OPUSCULA QUATUOR

QUIBUS ILLUSTRANTUR GESTA

B. FRANCISCI QUIRINI
Patriarchæ Gradensis,

FRANCISCI FOSCARI
Ducis Venetiarum,

JOANNIS DE BENEDICTIS
Episcopi Tarvisini,

ANDREÆ DONATI
Equitis.

ACCEDIT OPUSCULUM QUINTUM

DE CULTU S. SIMONIS PUERI TRIDENTINI MARTYRIS
APUD VENETOS,

AUTHORE

FLAMINIO CORNELIO
SENATORE VENETO.





VENETIIS,

MDCCLVIII.

APUD MARCUM CARNIONI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



PRÆFATIO.



Audatissimum hunc morem apud plerosque Gentium vetustarum obtinuisse, ut Heroum suorum egregia gesta non solum memoriæ scriptisque commendarent, sed etiam metro hymnisque celebrarent, non uno exemplo docuerunt antiqui Scriptores, quos inter Ælianus Sophista, *Cretenses*, scribit, jussisse *liberos suos*, *ut fortium virorum encomia* perdiscerent. Sed & Sacræ Paginæ (Ecclesiastic. nempe cap. 44.) documento instruimur, laudare *in generatione sua viros gloriosos, & parentes nostros*, in quibus seu ob doctrinam, seu ob sanctimoniam, seu ob alia præclara merita posterorum memoriæ commendandis, Scriptorum omnium ex *generatione sua*, communi scilicet patria, certare deberet industria. Quum itaque in coacervandis Venetarum Ecclesiarum, quas illustrare constitueram, documentis, nonnullos pene neglectos ingloriosque repererim eximios viros

probitate & rerum gestarum laude insignes, Franciscum videlicet Quirinum, & Joannem de Benedictis Patritios Venetos, quorum ille per varias Ecclesiæ dignitates ad Patriarchatum Gradensem ascendit, alter vero e sacra Prædicatorum familia ad Episcopatum Tarvisinum assumptus fuit, eorum memoriam, prolatis ad ipsos spectantibus documentis, ab obscuritate, & dessidiosa oblivione, in quibus injuria latuerat, vindicare mihi proposui; cumque per ea tempora vir æterno nomine dignus Angelus Maria Cardinalis Quirinus aureas Francisci Barbari epistolas in lucem protulisset, easque eruditissima diatriba illustrasset, ipsi idcirco concinnatos de Clarissimis Præsulibus tractatus ad epistolæ formam redactos inscripsi, eo potissimum, ut professus sum, consilio, ut doctissimus vir, ea, qua præstabat, eruditione, plura ad sacrorum Heroum laudem in apertum educeret, injectasque seu rerum, seu temporum difficultates felicius explanaret. Utraque epistola vulgata fuit inter opuscula Calogerianæ collectionis, prima quidem de Beato Francisco Quirino Patriarcha Gradensi Tom. XXXIX. pag. 473. altera vero de Joanne Episcopo Tarvisino differens Tomo XLIX. pag. 319. Sed & alterum à me confectum Opusculum de cultu Sancti Simonis Pueri Tridentini & Martyris apud Venetos,

pu-

publici juris primo factum est in eadem collectione Calogeriana Tom. XLVIII. pag. 411. de quo quidem Opusculo dicere ausim, quod ad Sanctissimi Martyris gloriam ab Eterodoxo calamo vindicandam ineluctabilia afferat documentorum argumenta, eoque præsertim nomine a SS. Domino Benedicto Papa XIV. non semel benignissime memoretur, probeturque, & in Latina epistola ad authorem ipsius Opusculi missa die 22. Decembris anno 1753. & in alia Italico idiomate scripta die 22. Februarii anni 1755. ad R. R. P. Dom. Benedictum Veterani doctissimum Fidei Promotorem, in qua (Romæ deinde typis edita) de alterius pueri Beati Andreæ Rinnensis a Judæis occisi martyrio, & cultu copiosissime differit. Quum vero tam in hoc Sancti Pueri Tridentini, quam in alio Beati Francisci Patriarchæ Opusculis opportuna aliqua, quæ supervenerant adjicere in animo haberem, commodam se se obtulisse censui occasionem, ut ipsa additamentis variata rursus prælo subjicerem. Id etiam caussæ fuit, quod geminos alios ex illustribus Venetis viros documentis, & historicorum scriptorum testimoniis celebrare susceperam. Ii porro sunt Franciscus Foscarus Venetiarum inclytus Dux, cujus consiliis Italicam fere omnem, quam modo obtinet, Respublica Veneta ditionem se debere cognoscit,

& An-

& Andreas Donatus Eques, ejuſdem Ducis gener, plurimis Legationibus prudenter atque utiliter actis clariſſimus, qui & utriuſque fortunæ vices admirabili moderatione parique conſtantia ſuſtinuit. Quum itaque & iſtorum commentaria nunc primum vulganda, & aliorum, Sancti ſcilicet Simonis, & Beati Franciſci notitias novis rebus augendas haberem, placuit omnia uno volumine comprehenſa proferre, addita etiam ad integram opuſculorum collectionem epiſtola de Joanne Benedicto Epiſcopo Tarviſino, quam tamen ex epiſtolæ forma, ſicuti & aliam de Beato Franciſco Quirino differentem ad parvæ diatribæ methodum, defuncto jam ampliſſimo viro, cui nuncupatæ fuerant, redigendas cenſui. Hæc autem quaſi extremos laborum meorum conatus exhibeo, ut Veneti mei concives, tum qui civilia capeſſunt Reipublicæ munia, tum qui Clericalem militiam amplexantur, in præclariſſima hæc exemplaria aſſidue intuentes, illis ad patriæ utilitatem ſe ſtudeant conformare.

PARS

PARS PRIMA

CONTINENS OPUSCULA

DE

BEATO FRANCISCO QUIRINO
PATRIARCHA GRADENSI

DE

JOANNE BENEDICTO
EPISCOPO TARVISINO

DE

FRANCISCO FOSCARO
DUCE VENETIARUM.

DE BEATO
FRANCISCO QUIRINO
PATRITIO VENETO
PATRIARCHA GRADENSI.



B: Frant Quiri Gradensis
Patriarchę incorupa integritate Senatus
Accensus Pont. Max. Instanti
Animo Rogauit Vir.
In Sanctor. Album Recenseri
MCCCLXXII



DE BEATO
FRANCISCO QUIRINO
PATRITIO VENETO
PATRIARCHA GRADENSI.



Llustrium virorum gesta, & eorum præcipue, qui vitæ sanctimonia, & virtutum exemplis floruerunt, dignissima profecto sunt, quæ accuratiori diligentia colligantur, & posteris ad imitationem styli arte expressa quasi oculis spectanda proponantur. Hos inter nemini secundus est Franciscus Quirinus Justinopolitanæ Ecclesiæ primum, tum Cretensis Metropolitanæ, ac demum Gradensis Patriarchalis ornatissimus Præsul, cujus vita Patritiis Venetis, qui ad sublimiores Ecclesiæ gradus evocantur, exhiberi posset uti exemplar, cui se se conformari studerent, nisi culpabili hominum negligentia tanti viri merita & monumenta periissent. Nec mirari satis quis desinat, Sanctissimi Præsulis tum sanguinis nobilitate, & dignitatum ornamentis, tum sanctimoniæ fama, & miraculorum splendore clarissimi memoriam notitiasque adeo excidisse, ut ne apud ipsos quidem Regulares viros, in quorum Templo sepulcrum supra Altare, & Martyris consortium obtinuit, aliquid nec scriptis, nec traditioni commendatum inveniri fas sit. Perniciosa hæc desidia, quæ utiles admodum notiones posteritati eripuit, animum meum succendit, acresque stimulos admovit, ut ea omnia monumenta coacervarem, quæ hinc in-

de de tanto Præsule assidua diligentia conquirere potui, eaque in lucem adducerem, hoc potissimum consilio, ut publici juris facta Beati Patriarchæ memoriam immeritis huc usque tenebris obsitam in lucem aliquam, licet merito minorem, adducant. Hoc etiam ausim dicere, quod corrigi ex iis poterit *Italiæ Sacræ* Chronologia in Patriarchis Gradensibus, & forsitan etiam illustrari Historia Litteraria Italica, quandoquidem compertum est ex patrio Senatus Consulto inferius exhibendo, Theologica eruditione, divinarumque Scripturarum notitia excelluisse; ex titulo enim, quo *Magister in Sacra Pagina* appellatur, pronum est colligere, tum sacris litteris diligentiorem operam ipsum dedisse, tum pro meritis laurea etiam doctorali fuisse insignitum. Inter authores autem, qui de Beato Francisco Quirino aliquid scriptis mandarunt, in primis occurrit celeberrimus Abbas Ughellus, qui Tomo V. Italiæ Sacræ seriem digerens Justinopolitanorum Præsulum, illum ad num. 13. locat, illhæc de ipso enuntians col. 389. Venetæ Editionis.

„ Franciscus Quirinus Venetus Plebanus Sanctæ Mariæ de
„ Formosa electus anno 1349. die III. Aprilis, inde translatus
„ est ad Archiepiscopatum Cretensem anno 1363. III. Non.
„ Julii. Ex Reg. Vatic.

Parochialis curæ munus (juxta eorum temporum consuetudinem, in quibus quamplurimi ex Patritiis ad regendas Parœcias assumebantur) in Ecclesia Sanctæ Mariæ Formosæ administrasse Franciscum, antequam ad Episcopatum Justinopolitanum eveheretur, ut innuit Ughellus, liquido constat ex Pontificio Clementis VI. diplomate, quo per ipsum Pontificem *Plebanatus Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Formosæ de Venetiis*, quem Franciscus electus ad Justinopolitanam Ecclesiam eo adhuc temporis obtinebat, conceditur cuidam *Jacobo Græcio de Maiurbio beneficiato in Ecclesia SS. Apostolorum de Venetiis*, cujus quidem diplomatis autographum in Archivo Monasterii Sancti Zachariæ Venetiarum Monialium Ordinis Sancti Benedicti inter vetustas membranas neglectum propitio mihi omine reperire, & inde transcribere datum est.

„ Clemens Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fra-
„ tri... Patriarchæ Gradensi, & dilectis filiis... Sanctæ Mariæ de
„ Muriano Torcellanæ Diœcesis ac Azoni de Mansis de Regio Ca-
„ nonico Paduanę Ecclesiæ Salutem & Apostolicam Benedictionem.

„ Lau-

„ Laudabilia dilecti filii Iacobi dicti Graeci de Maiurbio be-
„ neficiati in Ecclesia SS. Apostolorum de Venetiis Castellanae
„ Dioecesis probitatis merita , quibus personam suam fide di-
„ gnorum testimonio iuvari percepimus, nos inducunt, ut eun-
„ dem Jacobum prerogativa specialis favoris , & gratiae prose-
„ quamur . Cum itaque Plebanatus Parochialis & Collegiatae
„ Ecclesiae Sanctae Mariae Formosae de Venetiis praefatae dioece-
„ sis, ad quem Plebanatum ejusdem Ecclesiae, qui fuerunt pro
„ tempore, consueverunt per electionem assumi , & quem di-
„ lectus filius Franciscus electus ad Ecclesiam Justinopolitanam
„ tempore promotionis suae per nos factae de ipso ad Justinopo-
„ litanam Ecclesiam tunc vacantem obtinebat, prout obtinet ,
„ per hujusmodi promotionem , & consecrationis munus im-
„ pendendum eidem in proximo vacare speratur , nos volen-
„ tes eidem Iacobo praemissorum meritorum suorum gratiam
„ facere specialem , Plebanatum praedictum , cum eum prae-
„ misso , vel alio quocumque modo , praeterquam per obi-
„ tum ipsius electi vacare contingeret conferendum dicto Ia-
„ cobo cum omnibus juribus & pertinentiis suis authoritate
„ Apostolica reservavimus districtius inhibentes Vener. Fratri
„ nostro Episcopo Castellano , & dilectis Filiis Capitulo ipsius
„ Ecclesiae, seu illi, vel illis ad quem, vel ad quos dicti Ple-
„ banatus collatio provisio electio seu institutio pertinet com-
„ muniter vel divisim , ne de dicto Plebanatu contra reserva-
„ tionem nostram hujusmodi disponere quoquo modo praesume-
„ rent ac decernentes ex tunc irritum & inane si secus su-
„ per hiis à quacumque authoritate scienter vel ignoranter con-
„ tingeret attemptari , non obstantibus quibuscumque statutis ,
„ & consuetudinibus ejusdem Ecclesiae contrariis juramento con-
„ firmatione Apostolica , vel quacumque firmitate roboratis ,
„ nec non si alicui super provisionibus sibi faciendis de digni-
„ tatibus personalibus , vel officiis in dicta Ecclesia speciales ,
„ vel de beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales di-
„ ctae Sedis vel Legatorum ejus litteras obtinuerint , si per eas
„ ad inhibitionem & reservationem decretum , vel alias quo-
„ modolibet sit processum , quibus omnibus eundem Iacobum
„ in assecutione dicti Plebanatus volumus anteferri ; sed nul-
„ lum per hoc ad consecutionem dignitatum personarum &
„ officiorum ac beneficiorum aliorum prejudicium generari .

Aut

„ Aut si Vener. Fratri nostro Episcopo Castellano, & dilectis „ filiis Capitulo ejusdem Ecclesiæ vel quibusvis authoritatis divisim „ ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel pro- „ visionem alicujus minime teneantur, & ad rem compellere „ non possint, quidquid de dignitatibus personatibus, seu officiis „ ipsius Ecclesiæ vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum col- „ lationem, provisionem, electionem vel quamcumque aliam „ dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli va- „ leat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam „ & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi men- „ tionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel „ speciali cujuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris „ non expressam, vel totaliter non insertam effectus hujusmo- „ di impediri valeat quomodolibet, vel diferri, & de qua cu- „ jusque toto tenore habenda sit in nostris litteris predictis men- „ tio specialis. Seu si dictus Iacobus presens non fuerit ad præ- „ standum de observandis consuetudinibus ejusdem Ecclesiæ so- „ litum juramentum, dummodo in absentia sua per Procura- „ torem idoneum, & cum ad Ecclesiam ipsam accesserit cor- „ poraliter illud prestet; seu quod in Ecclesia Sanctorum Apo- „ stolorum de Urbe prædicta aliquod beneficium perpetuum Sa- „ cerdotale beneficium nuncupatum idem Iacobus noscitur ob- „ tinere. Volumus autem quod postquam vigore prædictæ no- „ stræ gratiæ prefati Plebanatus possessionem pacifice consecu- „ tus sit, dictum perpetuum beneficium sacerdotale quod ex „ tunc vacare decrevimus, idem Iacobus, prout ad id sponte „ obtulit, omnino dimittere teneatur. Quocirca discretioni ve- „ stræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vel duo aut „ unus vestrum per vos vel per alium seu alios prædictum Ple- „ banatum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Formosæ per vos, ut præ- „ mittitur, reservatum, cum ipsum, ut præfertur, vacare con- „ tingeret eidem Iacobo cum juribus & pertinentiis suis au- „ thoritate nostra conferre, & assignare curetis, inducentes eum, „ vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessio- „ nem Plebanatus ac jurium & pertinentiarum prædictarum, „ ac defendere ipsum amoto ab eo quolibet detentore, ac fa- „ cientes ipsum, vel dictum Procuratorem pro eo, ad dictum „ Plebanatum, ut est mos, admitti, sibique de ipsius Plebanatus „ fructibus redditibus & proventibus integre responderi. Non obstan-

„ obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem Episcopo & „ Capitulo vel quibusvis communiter vel divisim ab eadem Se- „ de indultum existat quod interdici suspendi vel excomunica- „ ri .... per litteras Apostolicam non facientes plenam & ex- „ pressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi men- „ tionem ..... contradictores authoritate nostra appellatione „ postposita.

„ Datum .... Nono Kal. Maji Pontificatus nostri anno septimo.

Quum itaque ex verbis Bullæ manifesto appareat Francisci Quirini Plebanatus, & ex die, quo Bulla data est nempe Nono Kalendas Maji septimo Pontificatus anno (qui fuit Christi 1349.) ejus electionis annus confirmetur, ipsaque dies trigesima Martii in *Italia Sacra* relata satis indicetur, corrigenda tantummodo est positio anni, in quo ad Archiepiscopatum Cretensem asseritur fuisse translatum; in ipso enim translationis anno mendum irrepsisse evincit documentum quoddam inter schedas Francisci Zeni piissimi Episcopi Justinopolitani repertum, inque Veneta editione ad calcem paginæ typis editum, quod Ecclesiam Sancti Matthæi de Pirano Justinopolitanæ diœceseos consecratam docet a Francisco Quirino Justinopolitano Episcopo die Martis solemnitatis Sancti Georgii 24. (Librariorum error emendandus est appositione numeri 23.) mensis Aprilis sub anno domini 1364. Indictione II., quæ Indictio ipsaque dies Martis incidens in diem 23. Aprilis Divo Georgio sacra littera dominicali currente G. F. plane confirmant anno 1364. Aprile exeunte Justinopolitanæ Ecclesiæ adhuc præfuisse Franciscum. Documento Piranensi concordat Clar. vir Michael Lequienius Ord. Prædic. qui in suo Oriente Christiano Tom.III. translationem Francisci ad Metropolitanam Cretensem Sedem reponit ad annum 1364. eo quia ex quibusdam pacis formulis *Bernabonem nobilem Mediolanensem inter, & Ecclesiæ fæderatos* datis eodem anno 1364. die 3. Martii, & ab Odorico Raynaldo ad ipsum quoque annum num. 3. relatis apparet Cretensem Sedem tunc temporis adhuc tenuisse Sanctum Petrum Thomam Carmelitani Ordinis insignem alumnum in ipsius pacis tabulis cum titulo Archiepiscopi Cretensis memoratum, qui eodem postea anno ab Urbano V. Constantinopolitanæ Ecclesiæ renuntiatus est Patriarcha, ut constat ex ejusdem Urbani Pontificis Epistola Petro Patriarchæ Constantinopolitano data sexto Idus Ju-

Julii Pontificatus sui anno 11. qui idem est cum Æræ Christianæ anno 1364. quæ omnia invicem collata manifestissime ostendunt mense Aprili anni 1364. Justinopolitanam Ecclesiam Franciscum, Cretensem vero Metropoliticam gubernasse Petrum Thomam, qui mense Julio ad Patriarchalem Constantinopolitanam translatus est; dato ei successore die V. Julii Francisco Quirino, ut ex Regesto Vaticano notat Ughellus.

Tantam in utroque Præsulatu Venerabilis vir edidit exempla virtutum, ut earum fama permotus Senatus Venetus, dum defuncto Urso Delphino Patriarcha Gradensi de successore dando deliberat, ipsum Franciscum unanimi, ardentique studio ab Archiepiscopali Cretensi Sede ad Patriarchalem Gradensem Patriæ proximam transferendum esse censuerit, quod quidem etiam anno 1351. (vacante per obitum Andreæ Dotti Patriarchæ Sede Gradensi) expetierat a Summo Pontifice Senatus, nempe ut Franciscus Quirinus tunc temporis Justinopolitanus Episcopus ad Patriarchalem Gradensem Ecclesiam deduceretur.

Hujus secundæ translationis epocham diversis implexam difficultatibus alii authores aliis temporibus affigunt. Eam ad diem 22. Maji anni 1367. alligat Ughellus, qui *Tomo* V. *Italiæ Sacræ* ex ordine Patriarchas Gradenses enumerans dum loco 58. Franciscum Quirinum constituit, sic de ipso scribit:

„ Franciscus Quirinus Nobilis Venetus Archiepiscopus Cre-
„ tensis successit Urso ad hanc Ecclesiam translatus undecimo
„ Kalen. Junii anno 1367. ab Urbano V. In Reg. Vatic. Ex-
„ cessit circa annum Domini 2372.

In editione Veneta Ughelli numerum 58. subsequitur nota quædam marginalis tradens ex vetusto Necrologio Ecclesiæ Abbatialis S. Gregorii Venetiarum Ursum Delphinum Francisci præcessorem obiisse Idibus Decembris; ex qua proinde corrigendus videretur Ughellus in appositione anni, vel ad obitum Ursi, vel ad translationem Francisci.

Marinus Sanutus in suo Chronico *Tom.* 22. *Scrip. Italic. col.* 775. eam in annum 1366. collocandam indicat scribens: Senatus Consulto missos fuisse Oratores ad Patriarcham Gradensem Franciscum Quirinum Sacrificium (fortasse in recipienda Patriarchatus possessione) celebrantem.

Nel 1366. a' 22. di Marzo fu preso d' eleggere due Oratori, che vadano a Grado dal Patriarca Francesco Querini, il quale vuol dire

re la sua Messa, e furono eletti s. Anzolo Bragadin, e s. Giovanni Contarini, e a' 22. di Settembre fu scritto a Roma per farlo Canonizare, il quale era morto.

Difficultates auget Lequienius, qui in Latinis Archiepiscopis Cretensibus *col.* 911., & in Ariensibus Episcopis *col.* 931. asserit, Ursum hujus nominis III. anno 1367. Ecclesiam Cretensem administrasse, & Gerardum quemdam ex Augustiniana familia Ariensem Episcopum elegisse. Electionem hujusmodi Metropolitani Præsulis peractam authoritate, irritam declaravit Urbanus V. qui ipsum tamen Gerardum virum dignissimum Ecclesiæ Ariensi postea præfecit. Electionis Bullam datam fuisse Romæ VI. Idus Novembris Pontificatus anno VI. idest 1367. refert ipse Lequienius ex Thoma de Herrera *Tom. I. Alphab. Augustin.*

Cum itaque de hujus translationis Epocha adeo discrepent Authores, inextricabiles inde exsurgerent difficultates, quæ rei veritatem cæca obscuritate offunderent; sed ad discutiendas tenebras clarissimum lumen affert, omnemque dubitandi ansam adimit innegabile documentum, quod adhuc extat autographum, decretum nempe Senatus Veneti, quo plenis suffragiis P. C. Franciscum Quirinum Archiepiscopum Cretensem ad Patriarchalem Gradensem sedem delegerunt die septima Decembris anno 1367. cujus anni veritas ex Indictionis V. appositione plene comprobatur.

1367. 7. *Decembris. Indictione V. In Rogatis* „ Quod infrascripti „ scripti ad Patriarchatum Gradensem probentur ad unum se- „ cundum usum, & pro illo, qui habuerit plures Ballotas, pos- „ sit scribi Domino Papæ, & Cardinalibus in illa forma, quæ „ videbitur Dominio. 93. 17. *Reverendus P. Dominus Franci-* „ *scus Quirino Magister in Sacra pagina Archiepiscopus Cretensis.* 33. „ 65. *Ven. D. Joannes Lauredano Primicerius Ecclesiæ S. Marci.*

Documenti hujus fidem roborat, & auget simile decretum S. C. Veneti, sub Indictione VI. ad annum 1367. More Veneto ideft annum Romanum 1368. die 15. Februarii, quo exhibetur electio per Senatorum suffragia ad Archiepiscopalem Cretensem sedem tunc temporis per Francisci translationem vacantem; in eo autem decreto, & candidatorum nomina, & ipsa Patrum suffragia recensentur.

Ex utroque igitur documento Quirini translationem propo-

B nen-

nente, & ratam habente plenissime evincitur ipsum, vel eodem anno 1367. ad finem vergente, vel subsequenti ineunte ab Urbano confirmatum fuisse Patriarcham Gradensem, siquidem nonnisi peracta ejus translatione, novum delegisset Ecclesiæ Cretensi Antistitem Venetus Senatus; quod si conjecturæ locus sit, dicendum erit diem electionis ejus apud Ughellum 11. Kal. Junii Librariorum fortuito errore vitiatam fuisse, & probabilius reponendum undecimo Kal. Januarii, seu 22. Decembris quindecim ab ejus electione transactis diebus, quo scilicet temporis intervallo nominatus a Venetis, a Romano Pontifice confirmaretur, eaque posita mensis emendatione stare poterit Ughelli Chronologia, qui, ut supra attulimus, Franciscum anno 1367. ad Gradensem Patriarchatum ab Urbano V. asserit fuisse translatum. Rursus si corrigatur annus, stabit & historicum Sanuti documentum de inita Patriarchatus possessione, seu, ut loquitur ipsemet Chronologus, de Missa ipsius celebrata, si enim pro 1366. reponatur 1368. omnia apprime sibi cohærent; electus enim Franciscus die septima Decembris, confirmatusque die 22. ejusdem mensis potuit die 22. subsequentis Martii primam cantu solemnem Missam celebrare, ut Patriarchatus sibi commissi possessionem rite, ac de more capesseret. Pronum igitur est credere, ex emanuensis negligentia in Ms. Sanuti codice talem irrepsisse errorem, præcipue cum inter numerum 6. & 8. parum varietatis intersit, qui, si ipsi tribuendus esset, jam notum est, compertumque, non adeo diligentem scriptorem fuisse Sanutum, pluribusque chronologicis mendis opus ejus scatere.

At vero his positis labitur omnino fides Necrologii ab editore Veneto adhibiti nusquam cum autographis tabulis comparandi, si enim transitus Ursi Delphini diei 13. Decembris assignatur, quomodo die septima ejusdem mensis sex ante Ursi obitum diebus Quirinus per Patrum suffragia ad Gradensem sedem, vivente adhuc prædecessore, evocatur?

Quam vero Lequienius, & ab eo allatus Thomas de Herrera referunt electionem Gerardi ex ordine Eremitarum S. Augustini ad Episcopatum Ariensem propria Cretensis Archiepiscopi auctoritate anno 1367. peractam, non ad Ursum ejus successorem, sed ad ipsum Franciscum nondum ad Gradensem sedem translatum referenda est, ipsoque Cretensem Ecclesiam adhuc

huc regente data est Urbani V. Bulla, quæ ipsum Gerardum virum meritissimum (deleta Archiepiscopali electione) auctoritate Apostolica Episcopum Ariensem renunciat, si quidem, ut superius innuimus, Pontificium Urbani diploma datum est Romæ VI. Id Novembris Pontificatus anno VI. qui coincidit cum Incarnationis Dominicæ anno 1367.

Ut ut se res habeat, mei instituti non est chronicas Scriptorum notas vel corrigere, vel conciliare, sed antiqua tantummodo documenta ad Sanctum virum utcumque spectantia inquirere, ac proinde, cum ea, quæ hactenus allata sunt, illas potissimum Ecclesiasticas dignitates respiciant, quas piissimus Præsul insigni pietatis ac virtutum splendore illustravit, reliquum est, ut præclara quoque de ejus Sanctitate, quæ mihi fuerint comperta testimonia, opportune exponam.

Quanta apud Venetos sanctitatis opinione claruerit iterum ac sæpius docet Sanutus in suo Chronico, primum ubi Historiæ suæ præmittit catalogum Sanctorum, Beatorumque, quorum Sacra Corpora in Venetis Ecclesiis requiescunt; recensens enim templum Fratrum Minorum (vulgo *i Frari*) statim post B. Gentilem a Matelica M. Franciscum Quirinum apponit hisce verbis: *B. Francisco Quirino Patriarcha de Grado*.

Ad annum deinde 1372 Senatus Consultum refert splendidissimum sanctitatis ejus testimonium, quodque unicum sufficere posset, ut comprobetur quanto religionis, & virtutum fulgore refulserit, quarum fama permotus Senatus publicis plenisque suffragiis ejus solemnem apotheosim apud Pontificem postulandam esse decreverit. Decretum vero est hujusmodi.

1372. *Die 29. Augusti. Quum Deus Omnipotens in diebus nostris ostenderit huic benedictæ Civitati lucem maximæ consolationis, & devotionis reverendæ scilicet memoriæ Dominum Franciscum Quirino Patriarcham Gradensem, cujus meritis in vita, & obitu ipsius Domini Patriarchæ Dominus ostendit multa notabilia, & manifesta miracula; Vadit pars; ne tanta lux remaneat in obscuro, sed clarius appareat ad consolationem perpetuam patriæ nostræ, & totius fidei Catholicæ, quod ob Dei reverentiam, & honorem nostrum committatur Ambasciatori nostro ituro ad Romanam Curiam; quod expeditis factis principalibus super commissis, faciat, & procuret quidquid bene poterit tam apud Dominum Papam, quam alios, quod prefatus Dominus Patriarcha canonizetur, & ponatur in Catalogo*

Sanctorum, ut suis intercessionibus ista civitas semper conservetur in bono statu.

Postremo *pag.* 1161. ubi felicem S. Laurentii Justiniani transitum ennarrat, rursus de B. Francisco ingerit: *Nota, che pel detto B. Lorenzo fu scritto più volte pel Senato a Roma per canonizarlo, e il Papa mandò a fare il processo qui, & ultimamente a tempo di Papa Leone X. fu scritto, ma nulla è stato fatto, siccome non fu fatto del Beato Francesco Quirini Patriarca di Grado.*

Nec prætermittendum hoc loco censeo illustre testimonium, quod Bartholomæa Riccobona Sanctimonialis Monasterii Corporis Domini Venetiarum de Francisco nostro perhibet. Hæc ornatissima Virgo in Chronico Ms., quod vigesimo circiter ab obitu Beati viri anno de ædificatione sui Monasterii composuit, capite primo enarrat Luciam Theupulo Abbatissam Cænobii S. S. Apostolorum de Haimanis, cælesti visione Christi Domini ad columnam alligati recreatam ab ipso mandatum accepisse construendi in urbe Venetiarum Asceterium titulo Dominici Corporis consecratum. Quamobrem pia Abbatissa supernis monitis ombtemperare gestiens Venetias se contulit ad Franciscum Quirinum Patriarcham Gradensem Sanctissimum virum, (*la andò da Missier lo Patriarca Misser Francesco Querini Santissimo homo &c.*) cui visionem, mandatumque ex ordine aperuit, & ab eo vicissim confortata, bonoque animo stare jussa cæleste de sui Monasterii constructione vaticinium accepit. Divinam viri prædictionem confirmavit eventus; paucis siquidem interjectis annis opera Joannis Dominici ex Ordine Prædicatorum, inter S. R. E. Cardinales a Gregorio XII. postmodum cooptati, Cænobium sub invocatione Corporis Domini, vivente adhuc Lucia, mirabiliter ædificatum est, piisque Monialibus sub vexillo S. Dominici Deo inservientibus repletum.

Nec minus illustria de Beati Francisci meritis documenta profert Antonius Melissanus Minorita in Supplementis ad Annales Vvadinghi anno 1360. „ Franciscus Quirinus nobili Ve-
„ netorum genere natus, verus Dei servus Minoriticæ familiæ
„ quondam adscriptus præclaro virtutis ac sanctitatis nomine
„ fulgens ad Patriarchalem Gradensis Ecclesiæ honorem eve-
„ ctus fuit: ea in dignitate summo exemplo, & vitæ innocen-

„ tia

„ tia conspicuus, non tantum omnium amorem, sed ob patrata „ miracula in vita, & morte solemni cum laude venerationem „ assecutus est: suo enim tempore adeo nomen ipsius claruit, „ ut etiam ejus memoria in Archivo Reipublicæ conservetur, „ & ejus sacra Lipsana in Ecclesia ipsorum Fratrum Minorum „ a pluribus sæculis super Altare Divi Hieronymi devote co- „ luntur, & visitantur; a piis ejus intercessio apud Deum in- „ vocatur, & gratiam experti in servo suo benedicunt Domi- „ no. Obiit. an. 1360., ut notavit Cimarella. “

Ipse autem Cimarella, quem citat Melissanus in recentiori parte Chronicorum Ordinis Seraphici *Tom. III. Parte IV. Lib. 5. cap. 7.* ita loquitur:

Poichè abbiamo ragionato della Santità di vita delle sopradette Beate Veneziane (Beatrice Veniera, e Orsola Ausdago) *non abbiamo voluto mancare di far memoria d'un Illustrissimo Prelato Patriarca di Grado anch' egli Nobile Veneziano, di cui alcun Scrittore non ne favella, riserbandoci a suo luogo spiegarvi la sua vita intiera, e compiuta, ma per ora a gloria di Dio, e dell' Ordine Francescano contentatevi di questo poco motivo. Fu dunque il B. F. Francesco Querini nobile Veneziano, e vero servo del Signor Iddio e Frate dell' Ordine de Minori del P. Serafico S. Francesco il quale meritò per le sue gran virtù, e per la fama della sua santità d' esser inalzato al grado Patriarchale della Sede Gradense, dove in essa dignità riuscendo ogni giorno di sommo esempio, e di maggior bontà, fu perciò amato, e venerato, vivendo, e morendo poi celebrato, e solenneggiato per li molti miracoli, che fece restando allora così gloriosa, e celebre la fama del suo nome, che anco negli Archivii della Serenissima Republica di Venezia si ritrovano memorie di questo, come anco della Venerazione delle sue ossa nella Chiesa degl' istessi Frati Minori dove già molti secoli, sopra l' Altare di S. Girolamo è venerato il suo Corpo, che stà vicino a quello del B. F. Gentile da Matelica della Marca che fu Frate del medesimo Ordine il cui corpo fu portato a Venezia da Marco Cornaro, che fu Serenissimo Doge, e dato a suoi Frati: i cui beati Corpi sono religiosamente visitati, e invocati tuttavia dalle divote persone col vederne anco il vero effetto delle loro intercessioni appresso il Signore Iddio: Egli passò al Cielo circa gl' anni di Nostro Signore 1360.*

In assignando anno quo è vivis Quirinus excessit, dum annum 1360. referunt, modo allatos scriptores graviter errasse pla-

plane evincitur tum ex superius enuntiatis documentis, tum ex Ughello & Sanuto, quorum concors sententia ejus obitum ad annum circiter 1372 assignat. Rei fidem astruunt Ephemerides OEconomicæ Veneti Sanctæ Mariæ Servorum Monasterij, ex quibus non solum emortualem Francisci Patriarchæ annum, sed & ipsam depositionis diem addiscimus; siquidem in eis hæc leguntur.

„ 1372. Julij die I. recepi pro sepultura Domini Patriarchæ „ facta in Conventu Fratrum Minorum *& paulo post* Luglio „ da Fra Piero che lo avè per la sepoltura de Misser lo Patriarca lir. III.

In alium præterea errorem labitur Cimarella, dum Beati Gentilis lipsana à Marco Cornelio, postea Duce, Venetias translata fuisse asserit, quæ jure & merito a Nicolao Quirino deportata autumat celeberrimus Vvadinghus.

Cum autem ambo supralaudati rerum Seraphicarum Historici eum Minoriticæ familiæ adscriptum asserant, mirum profecto videtur Vvaddinghum scriptorem adeo illustrem, & præ cæteris in exponendis Instituti sui ornamenris diligentem, rem hanc alto silentio premere, nec Arcturum in Martyrologio Seraphico, nec in Menologio pariter Seraphico Hueberum ejusdem mentionem ingerere.

Errandi ansam fortasse præbuit locus sepulturæ in Ecclesia enim Sanctæ Mariæ Gloriosæ Fratrum Minorum Conventualium corpus Beati Patriarchæ depositum quiescit, ex quo ancipiti indicio Cimarella, ac proinde Melissanus nimio partium studio addicti incertam prorsus conjecturam pro certa veritate sumentes Franciscum inter Seraphici Ordinis alumnos cooptarunt.

Curam tantummodo animarum in Ecclesia S. Mariæ Formosæ Franciscum administrasse asserunt vetusta superius allata monumenta, neque Ughellus ulli Regularium Ordini adscribit, qui cæteroquin in allegandis Sacris Familiis Præsulum, de quibus agit, nullam diligentiam ommittere consuevit. Ipsum quoque Clericali militiæ tantum adscriptum fuisse confirmat liber Ms. qui Matricula (*mariegola*) dicitur Magnæ Confraternitatis S. Mariæ de Charitate, in quo nominatim recensentur Antistites omnes qui ipsum Sodalitium dato nomine decorarunt, in eo enim Francisci nomen sic scriptum legitur: *Lo Venerabele*

Pa-

Pare Messer Francesco Quirini Patriarca de Grado: in qua adnotatione magnum argumenti robur affert, quod ad titulum *Messer* apposita non inveniatur vox *Frar*, quæ profecto addita legeretur, si cænobiticam vitam aliquando professus fuisset Quirinus, cum mos esset eorum temporum eam alligandi nominibus Episcoporum ex aliquo Mendicantium Ordine delectorum, ut in ipsa quoque matricula apparet; ubi inter Confratres adnumerantur Episcopi ex Regularibus familiis assumpti, inter quos præcipui duo Patriarchæ Gradenses: *Lo Venerabele Pare Messer Frar Guido Patriarca de Grado, e Messer Frar Cilio* (Ægidius) *Patriarca de Grado;* quorum primus ex Ordine Eremitarum S. Augustini, alter vero ex Prædicatorum Ordine ad Patriarchales Gradenses Infulas evecti sunt; quæ quidem adnotatio cum sit Sancto Præsuli synchrona, dubium omne de ejus Clericali unico instituto amolitur.

Corpus ejus, quod ex Sanuto, & Melissano addiscimus a pluribus sæculis quiescere in Templo Fratrum Minorum Conventualium in Sacello, & super Altare Divi Hieronymi; idem ibi repositum asserit Cimarella juxta sacras reliquias B. Gentilis a Matelica Martyris. Altaris quoque, & Sacelli mentionem afferunt Rodulphus Tossinianensis, & Vvaddinghus, quorum primus in Historia Seraphica. *Lib.* 1. *pag.* 102. de B. Gentile a Matelica M. differens refert, ejus ossa de partibus Babiloniæ, ubi martyrii agonem consumavit, translata fuisse Venetias a Marco Cornelio, & in Ecclesia Fratrum Minorum condita in Capella S. Hieronymi sub Altare; alter vero latiore sermone de eodem B. Martyre agens hæc habet.

„ Martyrii coronam adeptus est in civitate Toringiæ, dum
„ innumeri a Mahometi perfidia ad veram Christi fidem con-
„ volarent. Corpus caputque prætio redemptum, vir nobilis
„ Nicolaus Quirinus Venetias deportavit; Cornarius ab hoc
„ obtinuit caput, quod magna reverentia domi asservavit, &
„ demum Fratribus Minoribus obnixe postulantibus concessit.
„ Construxerunt sacris reliquiis nobile Sacellum Heroes Quiri-
„ ni, & familia de Cumberlandis in æde Minorum sub invo-
„ catione S. Hieronymi, ubi sub altari sacra pignora condi-
„ derunt.

Indubitanter itaque ex allatis Historicorum fragmentis instruimur Franciscum nostrum repositum fuisse juxta veneran-

da

da B. Gentilis Martyris lipſana Venetias a Nicolao Quirino translata in Eccleſia S. Mariæ Glorioſæ Minorum Conventualium, ibique quieſcere in Sacello, & Ara D. Hieronymo ſacra, quod utique Sacellum, utpote a Nobili Gente Quirina conſtructum ad eandem jure ipſo ædificationis pertinere deberet; ſed cum noſtris hiſce temporibus in ejuſdem Templi ſacellis nullum extet altare in honorem S. Hieronymi ſacrum, neque ullum ex Sacellis ipſis poſſideat prænobilis Quirinorum familia, ſimplexque ſolum inveniatur marmoreum extra Capellas altare S. Doctoris titulo inſignitum nullis prorſus decoratum reliquiis, incertum, obſcurumque erat B. Patriarchæ alibi exuvias requirere, cum Vvaddinghus altare D.Hieronymi indicet, Toſſinianenſis vero Capellam ejuſdem Sancti commemoret.

Mihi igitur in tanta rerum obſcuritate conſtituto, & de Sancto viro plurima ſciſcitanti modicum lucis attulit Cænobii Procurator aſſerens, Altare, quod viſitur in Sacello ad lævam aræ majoris nunc temporis S.Franciſco de Paula ſacrum, olim D. Hieronymo dicatum fuiſſe, ipſumque, ut pote ex lignis inauratis conſtructum, multis jam pridem annis appellari conſueviſſe *S. Girolamo d'oro*, ut diſcrimen fieret ab alio modo recenſito Altari ipſius Eccleſiæ, in quo marmoreum S. Doctoris colitur ſimulacrum.

Cum vero ex ſuprarelatis conſtet de Altari & Sacello, deque ipſius ſacelli conſtructoribus, ex hoc rerum ſcriptorumque conſenſu profecto etiam patet cauſa, cur corpus B. Patriarchæ ibi conditum fuerit, ut mea quidem fert opinio. Cum enim a Nicolao Quirino ejuſdem B. Franciſci conſanguineo redemptum fuerit corpus B. Gentilis, eidemque nobile Sacellum erectum; apud venerandas B. Martyris exuvias Beatum quoque Patriarcham virtutibus, & vitæ ſanctimonia inſignem, multiſque a Deo manifeſtis ſignis decoratum ipſius gentiles condiderunt.

Cognito itaque Sacelli Altariſque ſitu an ibidem B. Franciſci corpus repoſitum quieſceret, irrito voto perquiſivi. Mihi enim de ſancti viri lipſanis monumentiſque ſtudioſius ſciſcitanti remotioris ævi repoſuerunt incendium, quo Archivum conflagravit, nomenque ejus tanquam ignoti penitus viri exceperunt, quamvis circa anteacti ſæculi finem in S.C. obedientiam ipſius Conventus moderatores Procuratoribus Eccleſiæ S. Marci *Catalo-*

gum

gum obtulerint *Reliquiarum in celeberrimo* (ut ipsi ajunt) *Magnæ domus Venetiarum repositorio jacentium*, in cujus catalogi fine recensentur. *Ossa B. Francisci Patriarchæ Gradensis dicti ordinis*, quæ postrema verba falso invecta esse jam superius ostendi.

Ex hac desidiosa negligentia factum est, ut ipsius sepulturæ locus modo reddatur ignotus, sacrumque ejus corpus aliis fortasse Sanctorum Lipsanis intermixtum, & innominatum confuse quiescat.

Jam ex allatis scriptorum testimoniis pro indubio tenemus B. Francisci corpus juxta lipsana B. Gentilis fuisse locatum in Divi Hieronymi Sacello, hodierna autem die, plurima ejusdem Beati Gentilis ossa in Sacrario translata asservantur in duabus ligneis capsulis inauratis crystallo ab anteriori parte munitis, & ad basim Seraphico stemmate insignitis cum hac inscriptione.

Frater Marinus Cavaletti Venetus pro gratiarum actione 1642. in interiori vero ipsarum Capsularum parte ossibus, quibus refertæ sunt, apposita invenitur duabus schedis chartaceis inscripta hæc epigraphe. *Ossa B. Gentilis Ordinis Minorum martyrio coronati in partibus Babyloniæ*. Quo tempore vero ab Altari ad Sacrarium contigerit hæc translatio, incompertum est, nisi ex suprarelato inscriptionis anno deducatur accidisse circa annum 1642.

Translatis itaque ad Sacrarium plurimis B. Martyris ossibus, fortasse cum reliquis relictum est in ipsa ara B. Patriarchæ corpus, quod tamen supra aram potius repositum, quam intra ipsam reconditum ex collatis Historicorum assertionibus dicendum esset, quod etiam exacte congrueret cum iis, quæ mox afferentur.

In ea Altaris parte, quæ inter Iconem, & mensam media est, quinque visuntur loculi, ossibus humanis in gossipio dispositis referti, quorum anteriores partes crystallis ferreaque inaurata crate muniuntur. Lipsana in duobus contenta nulla nominis inscriptione connotantur, reliquis vero tribus inclusa visitur epigraphe in totidem chartaceis schedis signata; *Ex sociis S. Ursulæ V. & M.*

Hanc porro epighraphen ad ipsa ossa in altari collocata pertinere nullo modo dicendum est, siquidem antiqui ejusdem Ecclesiæ catalogi tribus vicibus diversisque temporibus etiam Procu-

ratoribus Basilicæ Ducalis oblati nullas exhibent harum Virginum reliquias præter tria capita a Tossinianensi etiam memorata, quorum nostris hisce temporibus duo tantummodo inveniuntur in repositorio Sacrarii translata ; unde facile colligitur, in ipsorum capitum translatione ad Sacrarium relictas per oscitantiam fuisse in altari vetustas inscriptiones, quæ ad sola Virginea capita pertinebant.

Quum itaque in uno eodemque loco utriusque Beati sacræ conderentur exuviæ, consequeretur, ut ablatis, quæ unius fuerunt, alterius censeantur, quæ supersunt Reliquiæ nulla habita ratione chartaceæ Epigraphes, quæ errori causam præbuit, ipsam enim ad capita in Sacrario asservata pertinere ex supradictis manifestissime constat.

Sed in tanta rerum obscuritate dum aliqua de B. Francisci corpore notitia elucescit, novæ difficultates tenebris veritatem involvunt, ea enim, quæ usquemodo ex Minoriticis authoribus relata sunt, quæque cum expositis Altarium, Reliquiarumque circumstantiis optime possunt convenire, omnia ab uno scriptore Marco scilicet, Marci Barbari filio, penitus irritantur. Vir hic præstantissimus, qui circa annum Dom. 1570. floruit, in codice ms., in quo antiqua documenta ad Patritias Venetorum familias spectantia summo studio, & labore collegit, dum gentis Quirinæ illustriores viros singulariter recenset, talia de B. Francisci sepultura refert: *E' sepolto alli Frati Minori ad alto in quella sepoltura dorada di s. Scipion Bon, il qual l'aveva fatta per lui, e la donò a quel corpo.*

Sarcophagum illud inauratum, quod signat Barbarus ad lævam majoris januæ, quæ aditum præbet ad sacrarium, eminentiori loco collocatum conspicitur, stemmate Familiæ Bonæ tribus in locis insignitum, ad cujus basim marmori insculpta legitur sequens Epigraphe: *In hoc sepulcro depositum fuit Corpus Beati Pacifici Ordinis Fratrum Minorum anno Domini MCCCCXXXVII. die XXI. Julii.*

Porro cum hæc epigraphe decurrente sæculo XV. exsculpta, & antiquiori monumento apposita solam B. Pacifici depositionem indicet, verisimile profecto est, quod si ibidem illatus Venerabilis Antistes quiesceret, aliqua de eo vel vetustior in ejus depositione, vel recentior in alterius Sacri Corporis associatione inveniretur memoria, quam B. Pacificus & temporis ratione

ne

ne posterior & dignitatis munere inferior obtinere promeruit. Ut ut res sit, omne dubium, quod ex rei obscuritate inducitur ex interiori ipsius sepulcri inspectione cito poterit auferri. Hæc supremus rerum omnium arbiter ad famuli sui gloriam, dum tempus statutum adsuerit, moderabitur, qui plerumque maximorum operum, quæ congruis reservat temporibus, multo ante minima juxta captum humanæ prudentiæ fundamenta diponit.

Nec soli e Seraphica Familia scriptores Franciscum cætui suo adscribere adnitentes Beati titulo insigniunt, sed & alii quoque tum doctrina tum probitate præstantes viri ipsum pari sanctitatis encomio decorarunt. Eos inter Beatus Joannes Dominici Florentinus Dominicani instituti piissimus restaurator ac deinde S. R. E. optime meritus Cardinalis, dum in gravissima Epistola Joanni Benedicto de collato Patriarchatu Gradensi gratulatur, ipsum exemplo Francisci prædecessoris ad virtutes tanto muneri necessarias hortatur; *tibi namque*, dicens, *viam præparavit satis fidelem tuus prædecessor Venerandus, & Sanctus Patriarcha Quirino*.

Ampliori sermone Beati Patriarchæ laudes protulit Jacobus Maggius Brixiensis, qui concionem habens de Doctorali laurea Thaddæi Quirini in Lyceo Patavino, his verbis de Francisci Patriarchæ sanctitate mentionem egit.


„ Ex ea (familia nempe Quirina, complures Senatorii &
„ triumphalis ordinis viri magna virtute, prudentia, præclaris-
„ simisque rebus gestis floruerunt; tum in primis Bertuccius
„ Sancti Marci Procurator, ejusque germanus divini vir Spiri-
„ tus Franciscus Patriarcha Gradensis, cui ob singularem mo-
„ rum sanctimoniam, præcipuam religionem, fidem, & calca-
„ tas hujus mundi illecebras Beati nomen inditum est, virum
„ mehercules tam augusta civitate, & gloriosa familia dignum:
„ qui humana idest fragili hac haudquaquam contentus gloria
„ solidam perpetuamque Cælitum beatitudinem æmulatus ado-
„ ptavit, & ita adoptavit, ut non solum prosapiam suam hac
„ Cæli cognatione celebrem illustret, verum universo terrarum
„ orbi orationibus miraculisque non mediocriter opituletur. "

Præter supralaudatos clarioris nominis authores titulo Beati Franciscum nostrum insigniunt Joannes Theupolus Patriarcha Venetus in suo Indice mss. Sanctorum Beatorumque Veneto-

 rum,

rum, Fidelis Onuphrius in ſuo Chronico Veneto, & alii plerique minoris ſubſellii. Forte autem accidit, ut mihi Venerabilis Præſulis ſollicite monumenta requirenti oblata fuerit (antiqui Pictoris opus) quædam Beati viri effigies, quæ ex ſacrarum veſtium forma attentius perſpecta, ex alia vetuſtiore videtur fuiſſe deducta, ad cujus latus inſcriptum legitur hoc elogium: *B. Brancisci Quirino Gradenſis Patriarchæ incorrupta integritate Senatus accenſus Pontificem Maximum inſtanti animo rogavit virum in Sanctorum Album recenſeri*. Hanc verò imaginem calcograghi opere deductam æri incidi vulgarique curavi, ut interior viri ſanctimonia ab ipſa etiam exterioris vultus gravitate demonſtretur.

Hæc qualiacumque ſint non mediocri ſane labore collecta & comparata monumenta, quæ ad ſanctum virum pertinent, ideo evulganda ſtatui, ut ſplendidius ab ea, in qua immerito jacet deſſidioſa oblivione Beati Præſulis memoria aliquando reviviſcat.



DE

D E

JOANNE BENEDICTO


PATRITIO VENETO

ORDINIS PRÆDICATORUM,

EPISCOPO TARVISINO.









DE
JOANNE BENEDICTO
PATRITIO VENETO
ORDINIS PRÆDICATORUM
EPISCOPO TARVISINO.



OC fuit per omnem ferme ætatem in litteraria Republica apud eruditos homines ſtudium, ut Monumenta depromerent Virorum Illuſtrium, quorum propter rerum humanarum vices, ipſamque labentium temporum oblivionem, præter nomina vix aliquid ſupererat perenni traditione tranſmiſſum. Interea tamen noſtra hæc ætas in hujuſmodi monumentis anxie conquirendis, ſolerter concinnandis, abunde exhibendis, nulli adeo ætati alii concedit, ut ſive Collectorum copiam ſpectes, ſive Criticæ accuratioris ſtudium, ipſaſque adeo non leves impenſas à latebris penitioribus ſelectiſſima MSS. & Anecdota hactenus aliis impervia & ignota in medium protulerit.

Inter eos autem, qui hominum, ſive dignitate, ſive rebus geſtis illuſtrium, nomina, & documenta collegerunt, nemini ſecundus fuit Abbas Ferdinandus Ughellus, qui non ſine aſſiduo labore, curaſque incredibili ſeriem omnium in Italia Epiſcoporum digeſſit, & quantum in tanta rerum copia, & obſcuritate licuit, vetuſtiſſimis documentis locupletavit, compro-

ba-

bavitque. Opus hoc laudabile semper, nec satis unquam laudatum non ita pridem in Veneta Editione, qua auctum, qua castigatum est à Clar. Viro Nicolao Coleto Venetæ Ecclesiæ Alumno & Presbytero. Novam insuper eidem lucem afferunt, & nova apponunt additamenta, quotquot deinceps Ecclesiarum Italiæ peculiarium historias sibi concinnandas assumpserunt, quorum aliqui præclaros laborum suorum fructus jam in lucem protulerunt, alii vero nihilo minores ad suam maturitatem adducunt, ut Italiam sacram novis virorum & documentorum luminibus illustrent.

Ut igitur præclarum Ughelli opus, quod aliquod certe, neque enim dissimulabo, ex Venetis & Torcellanis documentis augmentum habuit, in Gradensibus, Venetis, & Torcellanis Antistitibus, etiam in Tarvisinis vel minimum illustretur, placet Anecdocta quædam proferre ad Joannem de Benedictis Patritium Venetum Ordinis Prædicatorum illustrem Alumnum spectantia, qui cum Patriarcha Gradensis designatus fuisset in primis, & huic se oneri subduxisset, evectus deinde ad Sedem Tarvisinam, fuit, quam pie prudenterque administravit. Tam insignem virum & virtutum splendore suismet dignitatibus majorem Ughellus ad Ecclesiam Tarvisinam in serie Episcoporum ita exhibuit, ut, servatis nomine & patria, institutum, & acta omnia mutaret, ipsique ea attribueret, quæ ad Joannem Zanettinum nuncupatum, Utinensem ex Ordine Minorum Episcopum Tarvisinum spectabant. Ut gravi admodum æquivocatione tempora personasque confunderet, deceptus fortasse fuit, (ita autumat author additionum ad Italiam Sacram) Amanuensis errore in describenda Joannis de Utino Episcopi Tarvisini sepulchrali epigraphe, in qua pro anno MCCCCLXXXIII. omissa numeri quinquagenarii nota legit MCCCCXXXIII. Verumenimverò error malæ excerptæ inscriptionis non ex Amanuensis, sed ex Typographi oscitantia processit, in editione Burchielati Memor. Hist. Tarvis. lib. 1. p. 255. Quod autem mendum hoc Typographo potius quam authori, aut Amanuensi tribuendum sit, ex eo deprehenditur, quod Burchielatus (cui consonat Bonifacius in Histor. Tarvis. recentis editionis pag. 552.) in Catalogo Joannem de Benedictis optime discernit ab alio Joanne Zanettino, eosque suis locis apte inserit, licet in enuntiandis tum Prædecessore, tum successore,

in-

inter quos jacet medius Joannes de Benedictis, erraſſe dignoſcatur.

Inutilis itaque labor eſſet, & lectoribus moleſtus, ea hic afferre, quæ de utroque Joanne ſimul permixta retulit Ughellus, præſertim cum in Italia Sacra Venetæ Edit., ſtudio Erudiſſ. Canonici Antonii Scoti, alter ab altero optime diſcriminetur. Iis itaque prætermiſſis, alias Joannis Benedicti memorias aliunde collectas, & per ſeriem chronologicam, quantum fas fuit, digeſtas, opere pretium erit afferre, ut ex ipſis innoteſcat, virum eximium pietate non minus, quam prudentia valuiſſe, eamque animi conſtantiam præſetuliſſe, qua virum fortem decet in tot, ac tantis rerum humanarum vicibus, in quibus, nec eum res adverſæ abjecerunt, nec proſperæ extulerunt.

Joannes ex Patritia inter Venetos familia Petro Patre (ut teſtatur Marinus Sanutus in Chronico Tom. XXII. Rerum Italic. col. 1013.) progenitus, Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt in Cænobio S. Dominici Venetiarum anno 1392. eo nempe tempore, quo diſciplina regularis in eodem Monaſterio per B. Joannem Dominici, alioſque pios viros inſtaurabatur. Tempus, quo Joannes ſacro Ordini nomen dedit, addiſcimus ex *Thomæ Antonii Senenſis Hiſtoria diſciplinæ regularis inſtauratæ in Cœnobiis Venetis Ordinis Prædicatorum* Tom. V. Eccl. Ven. Illuſtrat. ſic enim legitur pag. 170. *Eodem etiam anno* 1391. (more Veneto computato) *cum tamen intraſſet annus* 1392. (æræ vulgaris a Kalendis Januarii inceptus) *non ſolum intravit Ordinem in dicto Conventu S. Dominici quidam Nobilis dictus FR. JOANNES BENEDICTO de Venetiis, ſed adhuc duo ſæculares de ſtudio Bononienſi,.. & quidam alii de Venetiis videlicet Frater Antonius Corrario, Fr. Nicolaus Magiſtri Jacobi, & Fr. Juſtus.* Fortaſſe Thomæ Antonii Hiſtoriam vidit Joannes Nyder, qui lib. I. Formicarii cap. X. ſcribit Joannem Benedictum *Venetiis Conventum noſtrum intraviſſe reformatum*, ſcilicet Sancti Dominici, qui primus omnium regulari reformationi ſe ſubdidit. Atque ex iis quidem verbis, quibus in Thomæ Antonii Hiſtoria ſeu Tractatu apertiſſime & ſine ambagibus, aut obſcuritate ulla, enuntiatur Joannes Benedicto, & Antonius Corrario, evertitur omnino illorum ſententia, qui & Joannem Benedicto, & Antonium Corrario alumnis Cænobii SS. Joannis & Pauli afferunt

 eſſe

esse adnumerandos. Nec Monasterium tantummodo, in quo religiosæ vitæ tyrocinia posuit Joannes, sed & Priorem, a quo sacrum Ordinis habitum suscepit agnoscimus ex Fontana par. 1. de Reformat. Ordinis col. 563. ubi hæc affert. *Ordinis reformatio sequenti anno videlicet* MCCCXCI. *de mense Septembris in Conventu B. Dominici de Venetiis, qui tunc erat desolatus ex toto, accepit exordium per Rev. P. Fr. Joannem Dominici de Florentia Romanæ Provinciæ & R. P. F. Thomam Ajutamicristo de Pisis, qui fuit primus Prior Reformationis in eodem Conventu S. Dominici institutus per Magistrum Ordinis*. Sub piissimo itaque rerum spiritualium Duce & in primo reformatæ disciplinæ fervore adeo profecit Joannes, ut in ipsis regularis vitæ exordiis perfectum aliquid attigisse videretur. Joannis mentionem ingerit in Chronico Monasterii Corporis Domini ornatissima Virgo Bartholomæa Riccobona, dum eum solemnitati interfuisse, testatur, qua sacræ Virgines Viduæque ad nova Corporis Domini claustra deductæ fuerunt; In opusculo, quod B. Joannes Dominici concinnavit de origine Monasterii Corporis Domini, atque in Riccobonæ Chronico, Epocha festivi hujus ingressus alligatur ad annum 1395. in utroque autem codice mendum irrepsisse ex Amanuensis incuria autumat Clar. Vir Bernardus de Rubeis *in Commentario de Congreg. B. Jacobi Salamonii* pag. 53. qui annum 1394. legendum, reponendumque asserit, atque evidenter ex accurata Chronicarum notarum collatione confirmat.

Nec inter sacra dumtaxat claustra virtutis suæ splendorem continuit Joannes, qui vix quintum Religionis annum ingressus cœpit publicos de rebus Divinis ad populum sermones habere, utque ea charitatis officia, ad quæ alios efficacibus verbis hortabatur, efficaciori exempli opere compleret, cum eo tempore per Venetam Urbem lues teterrima grassaretur, pauperibus peste infectis, & humana ope destitutis constanti adeo charitate ministravit, ut ejus virtute permoti ditiores viri largas ei ad ægrotantium subsidia eleemosynas suppeditarent. Rem ex superius citato Thomæ Antonii opusculo asserimus: „ Inter hæc (pestis nempe furentis excidia) insonuit vox de maxima penuria, & indigentia tam corporali, quam spirituali „ quamplurium infirmorum, & singulariter popularis status „ hinc inde per civitatem commorantium; propter quod quidam de nostris, videlicet F. Johannes Benedicto de Venetiis,

„ tiis tam in prædicatione, quam in aliis piis operibus totus
„ fervens, supradictis miseriis ex corde compatiens veluti a
„ Domino inspiratus, & accepta licentia a prædicto F. Johanne
„ accessit ad patrem suum carnalem, & obtentis ab eo decem
„ ducatis, cæpit hinc inde dispergere tam verecundis, quam
„ omnis conditionis infirmis, eis non solum corporaliter sub-
„ veniendo, sed etiam ipsos consolando, & ad confessionem
„ audiendo. Cum autem succrescerent indigentiæ supradi-
„ ctæ, accessit etiam audacter ad Dominium, a quo duca-
„ tos III. centos obtinuit, quibus consumptis versus Trivisium
„ iter arripuit, ubi multi nobiles declinaverant propter pe-
„ stem. Quos requirens, ab eis trecentos ducatos alios repor-
„ tavit. Deinde per Venetias hinc inde discurrens a diversis
„ ultra ducatos quadringentos invenit, ut sic ascenderet præ-
„ fata pecunia infirmis per ipsum hinc inde dispersa longe ul-
„ tra mille ducatos, prout idem F. Johannes personaliter af-
„ firmavit. Cum qua pecunia duplex opus misericordiæ, tam
„ spirituale, quam corporale, longanimiter est prosecutus,
„ quamdiu videlicet a Prælatis suis fuit sibi permissum. Nec
„ est tunc reperta memoria similis operis, hoc sibi conceden-
„ te bonorum omnium largitore. “

Ducatos CCC. quos a Dominio Venetiarum Joannem de Benedictis pro unica tantum vice obtinuisse narrat superius laudatus Thomas Antonii de Senis, hos ei ex publico decreto statutos fuisse annuatim erogandos scribit Marinus Sanutus in Chronico: Rerum Italicarum Tom. XXII. col. 780. *del detto anno* (1397. *a* 18. *d'Ottobre fu preso di dare a un Frà Benedetto dell'Ordine de Predicatori ducati* 300. *all'anno, il quale s'offerisce di sovvenire agl' appestati, e di seppelirne i morti di quel male*. Porro Chronologum in statuenda pecuniæ quantitate, errasse facile deprehendimus, non solum ex Thomæ Antonius assertis, sed ex ipsius decreti verbis, quod in regestis Publicæ Cancellariæ Venetiarum asservatur.

MCCCLXXXXVIII. die XVIII. Octobris in
Majori Consilio.

„ Quod ob Dei reverentiam, & subventionem pauperum per-
„ sonarum, qui infirmantur in Civitate nostra Venetiarum de

„ passionibus epidemiæ sevientis non habentes unde possint se „ in aliquo subvenire, dentur Venerabili viro Fr. Joanni Be- „ nedicto Ordinis Prædicatorum ducati trecenti auri de pecu- „ nia nostri communis qui, circa necessitatem, & subventio- „ nem dictorum pauperum infirmorum, & ad sepeliendum de- „ functos pie laborat, ut possit secundum devotam dispositio- „ nem suam perficere, & in ea perseverare in benefaciendo „ prout incepit, & facit & est capta per IV. Consiliarios, tria „ capita de XL. XXX. & ultra de XL. & tres patres Majoris „ Consilii.

Anno deinde insequenti Joannes Coloniam se contulit, ut B. Raymundum de Capua Generalem Ordinis Magistrum de iis quæ Venetiis pro regulari disciplina instauranda agebantur, certiorem redderet. Perceptis igitur cunctis, quæ sibi Joannes retulerat, Raymundus Generalis *quasdam epistolas* Vicario suo Fr. Joanni Dominici dedit, quibus illi stimulos addidit, ne in adversis deficeret, aut animo desponderet, & iis, quæ Joannes epistolarum lator oretenus declarasset, fidem præstaret. Excerpta ex iis epistolis, quæ strictius ad Joannem pertinent exhibemus. „ In Christo Jesu Domino nostro prædilecte Vicarie. „ Post salutes cordiales in seipso, communem filium Fr. Jo- „ hannem Benedicto semi quodammodo fugitivum istis diebus „ recepi lætus quidem haud dubium: quia libenter oculos vi- „ det, quem animus diligit, sed ut verum fatear, etiam tre- „ mens eum aspexi: metuens ne aliquid novi adversi Sancto „ gregi, quem diligo, advenisset. Sed ipse me lætificavit in „ primis verbis, quæ protulit, asserens se non adversa, sed „ bona nova mihique piacita detulisse. Quo præcepto quievit „ animus, sed adhuc solicitus mansit inquirendi, & sciendi, „ quæ post meum discessum particulariter evenerint. Perceptis „ igitur cunctis, quæ mihi retulit, primo te namque habeo ad- „ monere, ut non deficias in tribulationibus, & persecutioni- „ bus, quas suscitat inimicus... Sicut ego verbo dixi dicto Fr. „ Johanni, nullo modo mihi videtur, quod ipse deserat pro „ nunc proprium Conventum, aut propriam civitatem, quia „ nihil alind esset, quam exemplum dare mortiferum cæteris, „ & Sanctum gregem collectum exterminii periculo totali ex- „ ponere, ducit me etiam ad hoc fructus animarum, quem per „ eum dignatur facere assidue Dominus, verum de Superiori-

„ ta-

„ tatus officio, ut cor meum aperiam, compatior sibi," (ex iis epistolæ verbis non obscure arguimus Joannem Dominici Vicarium in animum induxisse, ut Joannem de Benedictis licet ætate juvenem Cænobio S. Dominici vel alii restauratæ disciplinæ loco Priorem præficere) potissime quia impeditur per „ illud officium a fructu animarum jamdicto. Sed rursum etiam compatior tibi, quia novi, te non habere copiam talium, quos confidenter præponas regimini aliorum. Nihil ergo restat, nisi quod relinquam te tibi, & quid sit in hoc negotio agendum, tu videris, qui melius nosti particularia cuncta gregis tibi commissi, & zelas pro uniuscujusque bono. Mihi vero, quidquid inde feceris, erit gratissimum... Postremo multa tecum haberem conferre, de quibus non est modo scribendum per singula: Sed Fr. Joannes sæpius nominatus lator præsentium tibi oretenus aliqua declarabit, cui scio, quod fidem præstabis. Dat. Poloniæ die 27. mensis Septembris. "

Nulla deinde interposita mora Venetias rediit Joannes, sibique a Generali creditas litteras Fratri Ioanni Vicario obtulit *de mense insequentis Octobris* ut testatur in suo Tractatu Thomas Senensis.

Contigit post hæc, ut Petrus Amelii Gallus, qui ex Augustiniana Familia ad Patriarchatum Gradensem evectus fuerat, ad aliam Patriarchalem Ecclesiam, Alexandrinam scilicet promoveretur, quare Bonifacius Papa IX. (sive id motu proprio, sive aliorum impulsu egerit, dubium est) Gradensi Ecclesiæ per Petri translationem vacante *de persona Joannis Benedicti Ordinis Prædicatorum providit*. Electionem hanc, & commissam sibi Ecclesiam *acceptare non curavisse* piissimum juvenem, docent Apostolicæ ejusdem Bonifacii litteræ *Romæ apud S. Petrum* datæ X. *Kal. Octobris Pontificatus anno* XI. qui alligatur Christi anno 1400. Hæc sunt verba Apostolici Diplomatis, quod in Bullario Ord. Prædic. Tom. II. in appendice ad Bonifacii IX. constitutiones inter Patriarchas ex Dominicana familia in Joanne Benedicto attulit Bremondus.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Petro Caucho electo Gradensi.... post deliberationem, quam de præficiendo Ecclesiæ Gradensi personam utilem, ac etiam fructuosam.., habuimus diligentem, demum ad dilectum filium

lium Johannem Benedictum Fratrum Ordinis Prædicatorum professorem, cui de Religionis zelo, litterarum scientia, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona dicti Joannis .... eidem Ecclesiæ providimus, ipsumque illi præfecimus in Patriarcham, & Pastorem, curam & administrationem ipsius Gradensis Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, & deinde ad nostram fide dignorum relatione producto notitiam, quod dictus Joannes hujusmodi provisionem de persona sua, ut præfertur, eidem Gradensi Ecclesiæ per nos factam acceptare non curavit hactenus, prout nec curat ad præsens, ne Ecclesia ipsa prolixioris vacationis detrimenta subiret &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum x. Kal. Octobris Pontificatus nostri anno xi.

Collatæ dignitatis fama, cum se se diffudisset, ad aures quoque Joannis Dominici pervenit, qui data die 24. Augusti ejusdem anni ornatissima epistola, novo electo Antistiti ita gratulatus est, ut eidem verbis gravissimis edixerit, ne (modo esset *sine Simonia promotus*) electionem abnueret, onusque impositum detrectaret.

Joannis Dominici epistola in Venetis Ecclesiis illustratis vulgata visitur Tom. VII. pag. 311. ex qua fragmentum aliquod hic quoque exhibere ad clariorem rei notitiam, esse reor opportunum: „ Igitur olim dilecte fili, sed nunc Reverende Pa„ ter, quinimo Reverendissime Ave Pater Patriarcha, qui so„ nat Pater Patrum, suscipe simplicis hominis verba simplicia, „ sed de amoris sinceri divite fonte prolata. Vigesima tertia „ mensis præsentis de Roma suscepi, te in Patriarcham Gra„ densem promotum. Si per ostium intrasti & non aliunde „ (1) *gaudeo* plane. Non utique lætor, quod te amiserit Or„ do, sed ejus casum deploro, ipsius namque una fortior co„ lumna, qua tota credebatur fabrica sustentari, pro certo est „ ab illo remota. Te utique defleo Patrem a me professione, „ non corde divisum. Gaudeo tamen te Patriarcham effectum „ propter Domini Dei potiorem honorem, commune bonum „ præponendo privato. O Reverendissime Pater, & mi Do-

„ mine

„ mine plurimum venerande, quanto periculo, ad casum ani-
„ marum multarum, iniquorum occasione Pastorum jugiter
„ nomen Domini blasphematur nefande: avaritia videlicet cæ-
„ ca, ambitione superba, impudica lascivia, & gula mortali
„ ipsos præcipue, ut interim sileam de cæteris malis, agenti-
„ bus indefesse: a quibus cladibus divina gratia in hodiernum
„ diem, & te præservavit illæsum, & fortem athletam arma-
„ vit, atque expugnatorem felicem. Palmam adeptum populis
„ multis te concessit benigne: liberastique multos ab ipsorum
„ tyrannide forti, verbo pariter & exemplo. Spero ergo, jam-
„ que spe certa conspicio, non solum Venetum populum, sed
„ populos plures exemplo sancto tuo permotos, pietatis ma-
„ num aperuisse inopi, & palmas ad pauperes extendisse (2).
„ Jam video miseros sublevatos, & de tanto patrono pluri-
„ mum gaudentes. Vere hic eris Patriarcha pauperum, &
„ Christi pauperis in membris suis miserator benignus. Alium
„ jam te Martinum intueor veste propria propter egentes nu-
„ datum, & nisi vestiaris ut pauper, sacra missarum solemnia
„ celebrare non vales. Propter hoc credo, divina bonitate in-
„ spirante, ejusdem Martini devotionem præcipuam tuo cor-
„ di, etiam a cunabulis fuisse impressam, ut scires videlicet,
„ qualem patronum te decet imitari. Nempe tecum ab infan-
„ tia, ut soror, miseratio crevit, & viscera pauperibus condi-
„ visit. Oh quotiens te vidi a te derelictum, & omne com-
„ modum carnis tibi negatum propter afflictorum salutem ...
„ Tibi namque non pulverosos pedes, sed caput ex auro opti-
„ mo imitandum propono, dominum scilicet Jesum Christum,
„ cujus amore te sæpe languidum vidi, & deficientem præ
„ dulcedine sui te cadentem inter ulnas suscepi ... Tu nam-
„ que seculo dives, spectabilis domo, civitate insignis, verbo
„ gloriosus, refertus amicis, dignitate sublimis, & commissis
„ divitiis satis abundans, cæterisque pollens, quæ ambitionis
„ solent inducere cultum, ita ut forsan non sit in tua patria
„ similis. Si ergo humilitatem servaveris, quam tibi olim
„ uxorem junxisti, certe facies, quæ rogaris, quinimo exigen-
„ te justitia, & ratione cogente humilitas crescet. Cogor ca-
„ pitulum tertium, quod de pudicitia erat scribendum, transi-
„ re: forsan Deo jubente, quoniam expedit minus hæc do-
„ ctrina, quia a cunabulis flores, ita ut ne dum mens, sed

» ne sensus sentiret carnis pruritus. Non solum cum Bernardo
» latrones adesse, clamasti, sed ignem cum Benedicto, Frater
» Joannes Benedicte fugisti. Silere tamen ex toto non pos-
» sum, quinimo tuis pedibus jaceo cum lacrymis provolutus
» orans, ut tui dilectissimi amatoris pariter & amati miserea-
» ris Domini Jesu Cristi, ut non patiaris sub tuo sceptro po-
» tenti ipsum iterum crucifigi nefande a manibus impudicorum
» Sacerdotum. Pelle de sede tua omni jure, quo vales cleri-
» cos uxoratos, concubinarios & lascivos (4).... Et quia
» gradus personales ex propria voluntate acceptare non debes,
» sed renuntiare (& in hoc laudo fugam tuam, qui latebras
» quæris, ne Patriarchatum a Summo Pontifice tibi oblatum
» acceptare cogaris ;) omni authoritate, qua valeo juris vel
» amoris, tibi præcipio, ut si es sine Simonia promotus, ele-
» ctionem quinimo Ecclesiam tibi commissam acceptes: sciens,
» ex hoc, si fideliter egeris, magis onerari, quam honorari....
» In Christo. Vale. Scriptum cum festinantia multa, & inter-
» ruptione frequenti XXIV. Augusti MCCCC. Tuus ubique &
» semper Fr. Joannes Dominici. «

(1) Hæc epistolæ verba *si per ostium intrasti, & non aliunde:* aliquam movere videntur suspicionem, ne in hac sacra ad Patriarchales insulas designatione aliquid fortasse turpis ambitus, vel gravioris criminis intervenerit, quod quidem cum de Joanne Benedicto viro Apostolico, & sanctissimis predito moribus suspicari nefas sit, ad parentes ejus referri debet, qui vel cæca in juvenem filium dilectione, vel ambitiosa honorum cupiditate permoti, ecclesiasticam dignitatem vetitis modis accersiverint. Dubium augent alia verba quæ in calce epistolæ leguntur *: si es sine simonia promotus*, ex qua loquendi profecto formula non obscure innuitur, ipsum quoque Joannem Dominici in hujus suspicionis partem venisse. Joannes Nyder, quem citat in Comentariis laudatus de Rubeis, asserit Tom. I. Formicarii cap. X. Joannem Benedictum *fuisse cujusdam de majoribus Venetis filium, quem Patriarchatus quidam expectabat pridem eidem collatus*. Idipsum apertius explicat Joannes Michael Cavalieri in libro cui titulus *Galleria Domenicana* Tom. II. ubi *Joannem Benedictum* asserit *Militiæ Clericali a parentibus destinatum : sed ipsum, Patriarchali, quam regeret, Ecclesia ab eisdem* pa-

parentibus quæsita, ad Ordinem Prædicatorum confugisse. Hæc itaque cum Joanni Dominico satis nota essent, ipsius zelum, atque prudentiam impulentur, ut allatis in epistola verbis uteretur . .

(2) Pietatis opera commemorat, profusasque eleemosynas, quas (ut diximus) Joannes Benedictus in pauperes lue afflictos dispersérat.

(3) Quo majori studio Parentes Joannis Benedicti conati sunt, ut ipsi inter claustra S. Dominici abdito Patriarchalis dignitas obveniret, tanto majori humilis animi ardore oblatum munus respuit modestissimus juvenis, nec sola muneris detrectatione contentus, fugam arripuit, latebrasque quæsivit, ne fortasse ad onus subeundum Apostolica authoritate quæreretur. Quum itaque ut *electionem & commissam Ecclesiam* acceptaret, Joanni, *si tamen* esset *sine simonia promotus* præcepisset *omni juris authoritate* Vicarius Ordinis & tamen ipse delatum sibi Patriarchatum ut testatur in Pontificia Bulla Bonifacius IX. *acceptare non curavisset*, colligere inde necesse est, illicitos pro hac dignitate obtinenda modos a solis consanguineis profluxisse.

(4) Quam profundas in pudici juvenis corde radices egerit documentum hoc, satis ostendent, ea, quæ mos afferemus, a Joanne Benedicto gesta, dum Episcopatum Tarvisinum administraret, pro Clericis concubinariis in pudicitiæ officio sancte continendis.

Idipsum, quod fuse de Patriarchatu Gradensi disseruimus, Parentum nempe studio collatum fuisse, ad alios quoque casus referendum est, dum in Publicis regestis Joannis Benedicti nomen invenimus ad Episcopales infulas per P. C. suffragia evocatum, non enim unquam vir humilitatis cultor pro se, sed Parentes ejus eo etiam invito publica vota ad obtinendas Ecclesiasticas dignitates implorarunt. Quod autem in ipsis regestis legitur: *Isti se fecerunt scribi ad probam Episcopatus &c.* non ita ad litteram intelligendum est, ac si ipsi nomen suum sponte obtulerint ad ambitum dignitatis, sed quod ipsorum persona a consanguineis, & amicis nominata fuerit ad publica suffragia.

Nomen itaque Joannis Benedicti quater in publicis memoriarum codicibus relatum invenimus anno scilicet 1405. dum

de Veronensi Præsule creando actum est; anno 1408. in designando Ecclesiæ Cretensi Archiepiscopo; anno 1409. in electione Episcopi Patavini, ac tandem anno 1418. dum Jacobo Tarvisino defuncto successor deligeretur. Excerpta ex Publicis libellis exhibemus.

1405. ult. Julii.

» *Infrascripti fecerunt se scribi ad probam Episcopatus Veronensis.*
» D. Secundus.
» R. P. D. Petrus Patriar. Gradensis.
» R. P. D. Angelus Barbadico Episcopus Chissamensis.
» R. P. D. Marcus Justiniano Archiepiscopus Cretæ.
» R. P. D. Albertus Archiepiscopus Corfù.
» R. P. D. Leonardus Delfino Archiepiscopus Alexandrinus.
» Antonius Correrio Decanus Veronæ.
» F. Georgius Delfino Ord. Prædicatorum.
» Vincentius Memo Episcopus Polensis. (1)
» Joannes Superantio Ord. Prædicatorum.
» *Joannes Benedicto Ord. Prædicatorum.*

Pro Vincentio repone Guidum seu Guidonem ut patet ex iis quæ leguntur Tom. II. Eccl. Venet. Illustr. pag. 62. & Tom. XIV, in additionibus ad Ecclesiam S. Mariæ Servorum. Guido non Vincentius legitur in subsequentibus duobus electionum documentis.

Anno insequenti nominatus fuit non tamen electus in Concilio Rogatorum ad Episcopatum Patavinum Joannes Benedictus, ut ex Chronico Marini Sanuto patet in quo sic legitur: *Nel 1406. nel Consiglio de Pregadi fu ballotato Vescovo di Padova Messer Fra Gianbenedetto dell' Ordine de' Predicatori Priore del Monastero di San Giovanni e Paolo.*

1408. Aprilis.

» *Infrascripti fecerunt se scribi ad probam Archiepiscopatus Cretensis.*
» R. P. D. Leonardus Delfino Patriarcha Alexandrinus.
» *F. Joannes Benedicto Ord. Prædicatorum.*
» D. Petrus Corrario Ord. Fr. Minor. Episcopus Coroni.

» Mag.

„ Mag. Ludovicus Bollani Ord. Ser. B. M. V.
„ R. P. D. Guidus Memmo Episc. Polæ Decretorum Doctor.
„ R. P. D. Joannes de Putheo Episc. Civitatis Castelli.
„ Ven. V. D. Ludovicus Barbo Prior S. Georgii in
„ Alga.

1409. Ind. II. octavo Mensis Julii.

„ *Infrascripti fecerunt se scribi ad probam Episcopatus Paduanorum.*
„ F. Antonius Corrario q. s. Petri Episcopus Brixiensis.
„ Jacobus Baduario s. Jeremiæ Studens in jure Canonico.
„ *F. Joannes Benedicto Ord. Prædicatorum.*
„ R. P. D. Guido Memmo Episcopus Polensis.
„ R P. D. Petrus Marcello Episcopus Cenetensis.
„ R. P. D. Joannes Lombardo Episcopus Parentinus.

1418. 8. Martii.

„ *Infrascripti fecerunt se scribi ad probam Episcopatus Tarvisini.*
„ D. Joannes Venet. Civis Decanus Tarvisinus, Decreto-
„ rum Doct.
„ *D. Fr. Joannes Benedicto q. Petri Ord. Prædicatorum.*
„ D. Fr. Antonius Corrario q. Petri Ep. Cenetensis.
„ D. Franciscus Maripetro q. s. Peratii Abbas SS. Cos-
„ mæ, & Damiani Jadrensis.
„ D. Christophorus Geno Episcopus Capodistriæ.
„ Bartholomæus de Canali Prior Monasterii S. Anto-
„ nii de Venet.
„ D. Blasius de Molino Episcopus Polæ licentiatus in
„ Jure Civili.

(1) Joannes de Mutonibus Civis Venetus Decretorum Doctor, & Canonicus Decanus Tarvisinæ Ecclesiæ nobilitate generis, & Doctrinæ præstantia conspicuus, qui cum *optime Ecclesiam Tarvisinam longo tempore magno* cum honore rexisset, a Capitulo Tarvisino postulatus fuit ad Episcopatum, licet ad illum deinde (ut mox videbimus) assumptus fuerit Joannes Benedicto. Documentum, quo Joannes Decanus postulatus fuit a Capitulo, nobis protulit eruditio & humanitas Clar. Viri Rambaldi Comitis de Azzonibus Avogaris Canonici Tarvisini, ipsumque ad lectorum utilitatem vulgamus, cum speci-

 men

men præbeat earum postulationum, quas ævo illo in maxima consuetudine fuisse scimus.

1416. 13. Martii.

„ In Christi Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis
„ millesimo quadringentesimo sexto decimo. Indictione nona
„ die Veneris tertiodecimo mensis Martii. Tervisii in Capel-
„ la Magna Episcopatus. Congregato & convocato Capitulo
„ majoris Ecclesiæ Tervisinæ de tota Provincia ejusdem & ci-
„ tatis aliis quibus de jure competit jus eligendi Pastorem in
„ Ecclesia Tervisina pro infrascripta ellectione celebranda per
„ Presbyterum q. Matthæum Filium q. Benevenuti Prebenda-
„ tum in dicta Ecclesia juratum Nuntium dicti Capituli ut
„ moris est Cum nullus alius foret Tervisii, nec in provin-
„ cia Aquilejen. in qua Diocesis Tervisina sita est, in Sacris
„ Ordinibus constitutus, qui de jure & de eorum & Ecclesiæ
„ vel consuetudine ad dictum Capitulum pro infrascripta ele-
„ ctione fienda deberet convocari, ut ipsemet Decanus Cano-
„ nici & Capitulum infrascriptum asseruerunt Qui quidem lo-
„ cus & quæ Capella pro tuytiori remotiori & devotiori loco
„ per ipsos Dominos Decanum Canonicos & Capitulum pri-
„ die pro hac ipsa electione & causa fuit electus ad infrascri-
„ pta specialiter peragenda ut patet in actis mei notarii infra-
„ scripti. In quo quidem Capitulo interfuerunt Venerabiles,
„ & Circumspetti Viri Domini Johannes de Mutonibus De-
„ canus & Canonicus Philippus de Clarutis de Venetiis Mar-
„ tinus de Bernardinis de Venetiis Johannes Delphyno de
„ Venetiis Bernardus de Barixanis de Terv. Blaxius de Cha-
„ cinis de Venetiis Jacobus a Caballis de Tervisio ac Avan-
„ tius donatus Archidyaconus Tervisin' Petrus Benedictus The-
„ xaurarius dicte Ecclesie Tervisine & Nicolaus Magister Scho-
„ larum seu Magister Chori in dicta Ecclesia omnes Canoni-
„ ci dicte Majoris Ecclesie Tervisine Nec non Domini Pres-
„ biteri Bartholomeus de Barbixano Rector Ecclesie Sancti
„ Viti de Tervisio Stephanus de Albania Rector pro dimidia
„ Ecclesie Sancti Augustini de Tervisio Joannes Rector Ec-
„ clesie Sancti Pangratii de Tarvisio habentes vocem Primice-
„ rii & totius Congregationis Capellanorum Civitatis Tervisii
„ etiam per dictum Nuntium ad predicta peragenda citatorum
„ Et Vacante Episcopali Sede Tervisina per obitum Recolen-

de

» de memorie Reverendi Patris & Domini Domini Jacobi de Terviſio alias Epiſcopi Terviſini ultimi & immediati qui diem ſuum clauſit Venetiis extremum die... menſis Februarii nuperime preteriti, Cupienteſque prefati Domini Decanus Canonici & Capitulum nec non & Capellani ſupradicti pro dicta Congregatione & toto Clero pro bono ſtatu & utilitate dicte Eccleſie procedere ad electionem alterius Preſulis ipſius Eccleſie ſic viduate de utili & ydoneo providere poſt predicta in mediate prefati Domini Martinus & Petrus Paſtore, ne eis tempus elligendi percurrat prefatus Dominus Joannes Decanus tamquam Caput Capituli propoſuit in dicto Capitulo: Fratres mei Cariſſimi & deſideratiſſimi Nos ſumus hic mediante gratia Spiritus Sancti Congregati ut de futuro Paſtore Noſtre Eccleſie viduate provideamus Ideo ortor Vos precibus quibus poſſum ut ſolum Deum pre oculis habentes attendamus ad ſtatuam & utilitatem Eccleſie Et talem in Paſtorem elligamus qui ſecundum Deum Nos & ejus ſubditos bene & caritative regat & gubernet Sed aviſo vos & proviſos reddo quod plures ſunt modi & forme elligendi in jure ſtatuti ſecundum quos modos & quas formas poſſumus in ellectione ſervare & procedere ſilicet per modum Compromiſſi. Item per modum Scrutinii, Item per Capitulariter & per alios plures modos & formas per ipſum Dominum Decanum ibidem tunc expreſſas Eligite quem modum horum vultis. Qui omnes unanimiter & concorditer eorum nomine diſcrepante dixerunt deliberaverunt & Capitulariter decreverunt quod per modum & formam Scrutinii ſe velle ad elettionem futuri Preſulis procedere Rogantes me Notarium infraſcriptum de predictis publicum Conficere Inſtrumentum. Et ibidem in continenti prefati Domini Decanus Canonici & Capitulum Ac etiam Capellani electores ex ſeipſis ellegerunt infraſcriptos tres viros utique ydoneos & fide dignos ſcruptatores qui in ellectione infraſcripta deberent bona fide ſcruptari ſingulorum mentem ſecrete & ſingulatim & cunctorum vota & voluntates diſcuterent & requirerent & ea in ſcriptis reddacta in publico & communi omnium publicare ſilicet Dominos Martinum de Bernardinis Jacobum a Caballis & Petrum Benedictum Theſaurarium ſupraſcriptos Canonicos preſentes volentes & acceptan-

„ tes

„ tes, dantes eifdem omnem poteftatem & bayllam que de
„ jure eis tradit debet in talibus confuetis Rogantes etiam ne
„ Notarium infrafcriptum de predictis publicum conficere in-
„ ftrumentum. Qui quidem Domini Martinus Jacobus & Pe-
„ trus Benedictus immediate locum Secretum in dicta Capella
„ ab aliis feparatum elligerunt filicet Ad Altare dicte Capelle
„ me Notario infrafcripto prefente in omnibus unaha cum di-
„ ctis Dominis Scrutatoribus. Et tunc immediate prefati Do-
„ mini Jacobus & Petrus Benedictus fecrete vocaverunt pre-
„ fatum Dominum Martinum eorum confcructatorem coram
„ fe nullo alio prefente nifi ipfis duobus Scrutatoribus & me
„ Notario infrafcripto ceteris Teftibus Decano Canonicis &
„ Clericis videntibus fed minime audientibus dicentes eidem:
„ Domine Martine exprimatis veftram voluntatem in confcien-
„ tia veftra dicatis quis vobis videtur fufficiens effe ad Epifco-
„ patum & utilis fecundum veftram difcretionem qui fecundum
„ Deum & bonos mores bene & utiliter ac viriliter regat Ec-
„ clefiam Tervifinam ut prefertur vacantem elligatis & nomi-
„ natis de multis meliorem pro bono ftatu Noftre Ecclefie
„ Tervifine Qui Dominus Martinus adjuratus per Sacramen-
„ tum: dixit: Ego elligo egregium Decretorum Doctorem Do-
„ minum Johannem de Mutonibus Decanum Tervifine Ecclefie
„ in Epifcopum ipfius Ecclefie & credo ipfum effe meliorem
„ & utiliorem ceterorum Hominum maxime quia in Ecclefia
„ predicta pluribus annis prefuit in Decanum ultra XII. annos
„ & ipfam laudabiliter rexit etatis maturus fcientia preclarus
„ & morum honeftate precipuus Ac etiam quia extitit a toto
„ populo Tervifine Civitatis Coram Dominio Noftro Venetia-
„ rum efficaciter & cum magna inftantia in Epifcopum poftu-
„ latus. Rogantes me Notarium infrafcriptum dicti Domini
„ Scrutatores de interrogatione ellectione & nominatione per
„ dictum Dominum Martinum eorum confocium & confcru-
„ ctatorem facta pubblicum conficere Inftrumentum. Infuper
„ poft predicta in mediate prefati Domini Martinus & Petrus
„ Benedictus Scruptatores ut fupra fecrete in prefentia tamen
„ mei Notarii infrafcripti ad fe traxerunt prefatum Dominum
„ Jacobum a caballis confcructatorem fcifcitantes ab eodem
„ fecundum formam quam a Domino fuerant ipfe cum pre-
„ fato Presbitero Petro Benedicto fcifcitatus Qui fuo juramen-

„ to

„ to dixit non nosse aliquem de Collegio Capituli fore utiliorem & meliorem ad regendum Episcopatum & Clerum Tervisinum Domino Johanne de Mutonibus Decretorum Doctore & Decano Tervisino qui Nobili genere ortus moribus honestus etatis provecte & scientia preclarus optime longo tempore rexit Ecclesiam Tervisinam magno cum honere Idcircho ipsum nominavit & elegit in Episcopum, & Pastorem Ecclesie Tervisine vacantis Rogantes me Notarium de predictis conficere Instrumentum Demum vero prefati Domini Martinus & Jacobus tenuerunt prefatum Presbyterum Petrum Benedictum Thesaurarium & Canonicum ac conscruptatorem inquirentes ab eodem super permissis Quis eidem videbatur utilis & ydoneus ad Episcopatum Tervisinum Qui Presbyter Petrus Benedictus dixit suo juramento & in propria conscientia quod non cognoscit aliquem utiliorem Domino Decano prefato ad proponendum in Episcopum dicte Ecclesie ut pote tanquam persona que fuit cum eo in studio Bononien. & Paduano & quia novit ipsum Dominum Johannem fuisse Decanum annis sexdecim & Canonicum annis vigintitribus quem semper vidit honeste vivere & novit per ipsum tempus, misericordem & pium & in eo esse scientia literarum quia Decretorum Doctor & in Teologia provectum gravitate morum maturitate etatis quia annorum XLIIII. generis nobilitate ex quibus ipsum nominabat & elligebat prefici debere in Episcopum Tervisinum ipsum Dominum Johannem Attenta etiam Populi Tervisini requisitione qui circha eundem dirigerant vota sua Dominio Venetiarum solemniter pro eodem mittentes Oratores Rogantes me Notarium infrascriptum de predictis conficere debere publicum Instrumentum Sicque expediti dicti scruptatores ipsi tres me Notario infrascripto semper presente vocaverunt præfatum Dominum Johannem Decanum & Canonicum Conjurantes eum modo & forma predictis ut nominaret & elligeret & elliget ydoneum Pastorem & Episcopum dicte Ecclesie Qui Dominus Decanus nominavit & postulavit de gratia sibi dari Dominum Petrum Marzello nunc Episcopum Paduan' in Episcopum Tervisinum Rogantes me Notarium de predictis conficere Instrumentum. Deinde vocaverunt Dominum Philippum de Clarutis de Venetiis Canoni-

„ cus Tervisinum & exponentes eidem ut supra ac ipsum adiurantes Qui respondit quod postulabat & nominabat Nobilem Virum Dominum Dardi Justinianum Canonicum Tervisinum sibi dari in Episcopum & Pastorem Rogantes me Notarium de predictis conficere Instrumentum. Insuper vocaverunt Venerabilem virum Dominum Johannem Delphino Juris Canonici peritum Nobilem Venetum & Canonicum ac dicti Capituli & Ecclesie Vicarium Sede vacante qui etiam vigore sui officii laudavit & aprobavit omnes voces que elligerant de Collegio Capituli Dominum Decanus dicens & asserens in dicto Capitulo non esse aliquem digniorem electioni Episcopi ipso in regimine Ecclesie experto ac dilectum ab omnibus tam a Clericis quam a Laicis quem ipse nominabat & elligebat in Episcopum & Presulem dicte Ecclesie Rogantes me Notarium de predictis publicum conficere Instrumentum. Postea vocaverunt dicti Scrutatores me Notario infrascripro semper presente Dominum Bernardinum de Barixanis suscitantes ab eodem super predictis ut supra Qui Dominus Bernardus respondit quod postulabat Nobilem Virum Dominum Dardi Justinianum Canonicum Tervisinum in Episcopum Tervisinum sibi dari Rogantes me Notarium publicum conficere Instrumentum. Insuper vocaverunt Venerabilem Virum Dominum Blaxium de Chacinis de Venetiis suprascriptum Qui adiuratus nominavit & ellegit Dominum Johannem de Mutonibus Decanum & Canonicum ac Decretorum Doctorem benemeritum scientia etate & moribus in Episcopum & Pastorem Tervisine Ecclesie Rogantes me Notarium publicum conficere Instrumentum. Post predicta dicti Scrutatores vocaverunt Dominum Presbiterum Avantium Donatum Archidiaconum & Canonicum & adjuratus super predictis dixit publica voce quod nominabat & elligebat prefectum Dominum Johannem de Mutonibus Decanum in Episcopum Tervisinum & Pastorem ac Gubernatorem animarum totius Diocesis Tervisine ut pote hominem Sobrium quietum & pium scientificum moribus & etate provecta & omni bono laude dignum Rogantes me Notarium publicum conficere Instrumentum. Insuper vocaverunt post predicta providum virum Dominum Presbiterum Nicolaum Magistrum Scolarum seu Magistrum Chori exponen-

„ nentes eidem predicta ut supra Domino Martino fuit ex-
„ positum Qui respondit pro bono Ecclesie Tervisine & co-
„ muni utilitate tam Ecclesie quam Clericorum quam etiam
„ totius populi Tervisini ipse elligebat & nominabat Domi-
„ num Johannem de Mutonibus Decanum & Canonicum
„ Tervisinum in Episcopum tamquam benemeritum in scientia
„ honestate gravitate etate & moribus & utique a populo de-
„ sideratum quem novit bene & honeste vivere cum omni ho-
„ nestate ab annis vigintiquatuor citra Rogantes me Notarium
„ publicum conficere instrumentum . Postea vocaverunt dicti
„ Domini Scrutatores Venerabilem Virum Dominum Presbi-
„ terum Bartholomeum de Barbixano Rectorem Ecclesie San-
„ cti Viti habentem unam ex vocibus Congregationi Capela-
„ norum Civitatis Tervisii Qui adjuratus ut supra nominavit
„ & ellegit Dominum Johannem de Mutonibus Decanum &
„ Canonicum in Episcopum & Pastorem Ecclesie Tervisine
„ ydoneum & sufficientem etate scientia & moribus ac hone-
„ state & a tota Plebe Tervisina desideratum & postulatum
„ Rogantes me Notarium infrascriptum publicum de predictis
„ conficere Instrumentum. Postquam prefacti Domini Scruta-
„ tores vocaverunt & traxerunt ad se Dominum Presbiterum
„ Stephanum de Albania Rectorem Ecclesie Sancti Augustini
„ de Tervisio habentem unam de vocibus dicte Congregatio-
„ nis & scifcitantes ut supra de ejus voluntate & intentione
„ dixit se velle postulare Et sic de fatto postulavit Nobilem
„ Virum Dominum Dardi Justinianum de Venetiis Canoni-
„ cum Tervisinum sibi dari in Episcopum & Prelatum Ec-
„ clesie Tervisine Rogantes me Notarium publicum confi-
„ cere Instrumentum Finaliter vero vocaverunt Dominum
„ Presbyterum Johannem Rectorem Ecclesie Sancti Pangra-
„ tii de Tervisio habentem tertiam vocem Congregationis
„ Capelanorum Civitatis Tervisii & diligenter requisitus
„ quem vellet prefici in Episcopum Tervisinum Respondit li-
„ bere Ego nomino , & eligo Egregium virum Dominum Jo-
„ hannem de Mutonibus Decanum & Decretorum Doctorem
„ in Episcopum Tervisinum & Pastorem hominem utique dil-
„ letum a tota Civitate in etate perfecta nobili genere pro-
„ creatum & bonis moribus eruditum Rogantes me Notarium
„ publicum conficere Instrumentum . Quibus sic ut supra pe-

F ra-

„ ractis prefati Domini Scruttatores per me Notarium infra-
„ scriptum publicaverunt singulorum suprascriptorum vota elle-
„ ctiones & postulationes in comuni Canonicorum ad invi-
„ cem collationem habuerunt Conficientes insimul dicti postul-
„ lantes & eligentes de zelo ad zelum de etate ad etatem de scien-
„ tia ad scientiam de ordine ad ordinem & his similibus confes-
„ si sunt prefatum Dominum Johannem indubie prevalere di-
„ cto Domino Dardio & curiose & amicabiliter reprehensi a
„ Concanonicis dicti Domini Philippus & Bernardus Quare
„ ergo non ellegistis prefatum Dominum Decanum dimissa di-
„ cta postullatione dicti Domini Dardi qui in merito dicto
„ Domino Decano impar est Qui respondentes dixerunt Vo-
„ luimus & Nos dicto Domino Decano dare Nostras voces
„ & sic Nos eidem offerimus Sed ipse renuit dicens se nolle
„ elligi in Episcopum & tunc quia promisimus dicto Domino
„ Dardio ipsum elligere vel postulare ut fidem promissam servare-
„ mus ipsum in Elligibilem postullavimus Quare attendentes quod
„ unus solus postulabat Reverendum in Christo Presbyterum &
„ Dominum Dominum Petrum Episcopum Paduan'tres vero alii
„ postulabant Nobilem Virum Dominum Dardium Justinianum
„ Canonicum Tervisinum in Episcopum Tervisinum & novem no-
„ minabant & eligebant Egregium Decretorum Doctorem Domi-
„ num Johannem de Mutonibus Decanum Tervisinum in Episco-
„ pum Tervisinum intra se ipsos conferentes super meritis perso-
„ narum & differentia & cognoscentes quod postulatio Domini
„ Episcopi Paduan'facta per unum tantum: scilicet per Domi-
„ num Decanum licet sit facta de persona sufficientissima & per
„ personam principalem ad dandum vocem declaraverunt non esse
„ parem ad numerum infrascriptarum postulationum & elle-
„ ctionum. Insuper cognoscentes postulationem factam de pre-
„ fato Domino Dardio qui ratione defectus etatis erat inelli-
„ gibillis ut pote annorum decemnovem nec in scientia & ex-
„ perientia approbatus licet studens in Decretalibus per Domi-
„ nos Philippum de Clarutis Bernardum de Barixanis Canoni-
„ cos & Presbyterum Stephanum de Albania pronunciaverunt
„ declaraverunt & judicaverunt dictam postulationem non ha-
„ bere equalitatem cum nominatione & electione facta de pre-
„ fato Domino Joanne de Mutonibus Decano & Canonico
„ per novem dictorum elligentium scilicet Dominum Martinum

„ de

" de Bernardinis Dominum Jacobum a Caballis Dominum
" Petrumbenedictum Thesaurarium Dominum Johannem Del-
" phinum Vicarium Blaxium de Chacinis Dominum Avan-
" tium Donatum Archidiaconum Dominum Nicolaum Magi-
" strum Scholarum & Chori Presbyteros Bartholomeum de Bar-
" bixano Rectorem Ecclesie Sancti Viti & Johannem Rectorem
" Ecclesie Sancti Pangratii maxime cum dictus Dominus Jo-
" hannes sit annorum quadragintaquatuor sit Decretorum Do-
" ctor sit morum honestate preclarus fuerit in dicta Ecclesia
" Canonicus annis trigintatribus & prefuerit in Decanatu an-
" nis sexdecim sitque suis meritis exigentibus nobilibus ortus
" natalibus & Tervisinus & a toto populo Civitatis Tervisii
" dillectus & in Episcopum amodo per populum postulatus sit
" que in Sacerdotali ordine constitutus & prefactus Dominus
" Dardi postulatus sit tantum in minoribus Quibus sic ut pre-
" mittitur inter eos naratis & decisis supradictis attentis de
" omnium ellectorum seu elligentium supradictorum consensu &
" licentia presentibus dictis postulatoribus scilicet Domino Phi-
" lippo Domino Bernardo & Presbytero Stephano prefatus Do-
" minus Martinus tamquam Major Canonicus inter elligentes
" & antiquior & dignior ipsorum Scrutatorum Spiritus Sancti
" gratia invocata stans inter ceteros infrascripta verba protu-
" lit scilicet: ego Martinus Canonicus Tervisinus & Scrupta-
" tor presentis ellectionis de Novo Pastore & Episcopo elligen-
" do ad Ecclesiam Nostram Tervisinam vocantem per obitum
" bone memorie Domini Jacobi de Tervisio ultimi Episcopi
" in eadem. Ad Laudem Dei Omnipotentis Beatorum Aposto-
" lorum Petri & Pauli & Beati Liberalis Confessoris & Pa-
" troni hujus Alme Civitatis Tervisii & Nostre Ecclesie pre-
" facte meo proprio nomine ac nomine & vice omnium ac
" ellectorum Canonicorum & Capituli Eccclesie Tervisine pre-
" fate elligo prefatum Dominum Johannem de Mutonibus De-
" canum & Canonicum ac Decretorum Doctorem in meum
" & dicti Capituli ac totius Ecclesie & Diocesis Episcopum
" Prelatum & Pastorem. In nomine Patris & Filii & Spiritus
" Sancti Cunctis autem respondentibus Amen de hac publi-
" catione exceptis dictis Dominis Philippo & Bernardo Cano-
" nicis & Presbytero Stephano predicto & dicentibus predictis
" non consentire & petiit ipse Dominus Martinus post predicto

F 2 " no-

„ nomine suo & omnium & singulorum dictorum elligentium „ ibidem presentium ab ipso Domino Decano humiliter & cum „ instantia ut dicte ellectioni sic de ipso facte & celebrate di- „ gnetur suum prestare assensum Qui quidem Dominus Deca- „ nus nollens Divine resistere voluntati & supplicationi predi- „ ctorum & aliorum populi multitudini copiose inclinatus dicte „ ellectioni consensit humiliter & acceptavit eamdem Rogans- „ que me Notarium infrascriptum de predictis suo nomine & „ nomine & vice dictorum elligentium & Capituli ibidem pre- „ sentium & consentientium publicum conficere debere instru- „ mentum Te Deumque alta voce decantantes juxta consue- „ tudinem in talibus observatam & mandantes sigillo Capituli „ Tervisini appensione muniri.

„ Actum Tervisii in Capella Magna Episcopatus. Presenti- „ bus Venerabilibus Viris Dominis Presbytero Victore Rectore „ Ecclesiæ Sancti Andree de Tervisio Presbytero Bernardo Ple- „ bano pro dimidia Ecclesie Sancti Iohannis Baptiste de Ter- „ visio Presbytero Amadeo de Valledobladinis Presbytero Za- „ nanthonio de Tervisio Prebendatis in Ecclesia majori Tervi- „ sina Presbytero Francischino Rettore Ecclesiæ Sancte Agne- „ tis de Burgo SS. XL. Presbytero Augustino Rectore Eccle- „ sie Sancte Bone de extra & prope Tervisium Barnabe de „ Asilo q. Magistri Petri de Asilo Gramatices professoris Te- „ stibus rogatis & aliisque pluribus & populi copiosa multitu- „ dine.

„ Predictis millesimo & indictione die Dominico vigesimo „ secundo mensis Novembris Tervisii in Sagristia Ecclesie San- „ cte Marie Majoris Tervisio Presentibus Venerabilibus Viris „ Domino Jacobo a Caballis Canonico Tervisino Domino „ Presbitero Petro Benedicto Thexaurario in Ecclesia Majori „ Tervisina Domino Presbitero Avancio Donato Archidiacono „ Tervisino Domino Presbitero Nicolao de Conversano Man- „ sionario in dicta Ecclesia Majori Tervisina Domino Pres- „ bitero Christophoro Narama Rectore Ecclesie Sancti Leo- „ nardi de Tervisio ac Priore Sancti Jacobi de Schiriali de „ Tervisio q. Anthonio q. s. Alberti de Nascimbenis de Ma- „ rostica Notario Testibus rogatis & ad hec specialiter vocatis „ & aliis Quum hoc sit quod vacante Sede Episcopali Tervi- „ sina per mortem q. Reverendi Patris Domini Jacobi olim

„ Epi-

» Episcopi Tervisini Venerabiles Viri Dominus Philippus de
» Clarutis & Bernardus de Barixanis Canonicis Prebendati in
» Ecclesia Majori Tervisina & in Sacris Ordinibus Constituti
» & Dominus Presbiter Stephanus Rector Ecclesie Sancti Au-
» gustini de Tervisio pro dimidia tamquam procurator & pro-
» curatorio nomine specialis ad infrascripta peragenda Vene-
» rabilis Decretorum Doctoris Domini Johannis de Palentia
» Primicerii Congregationis Capellanorum Civitatis Tervisii &
» Burgorum tempore ellectionis facte de Presule & Pastore
» Tervisino ipsa Sede vacante ut supra & vocem habentes ad
» ellectionem fiendam tunc de ipso Presule & Pastore Tervi-
» sino postulaverunt & postulassent de gratia in eorum & di-
» cte Ecclesie Majoris Tervisine Presulem & Pastorem Virum
» Nobilem Dominum Dardium Justiniano tunc Canonicum
» Tervisinum qui inellegibilis erat propter deffectum etatis &
» scientie prout de ipsa postulatione constat manu mei No-
» tarii infrascripti millesimo indictione & die in ipsa postula-
» tione descriptis Nunc vero prefati Domini Philippus &
» Bernardus Canonici predicti ac dictus Dominus Johannes de
» Palentia Primicerius predictus presente & infrascriptis con-
» sentiente Domino Presbitero Stephano procuratore dicti Do-
» mini Primicerii in unum concurrentes & congregantes .
» Considerantes & animadvertentes postulationem alias per
» ipsos factam de persona dicti Domini Dardi Justiniano in
» Pastore & Presule Tervisino sortiri non posse effectum per
» mortem ipsius Domini Dardi Justiniano qui suum diem
» clausit extremum & eo suo corpore tumulato in dicta Ec-
» clesia Sancte Marie Majoris sponte libere ex certa scientia
» & non per errorem omni modo via jure & forma quibus
» melius potuerunt & possunt unanimiter & concorditer re-
» nuntiaverunt dicte postulationi alias facte per ipsos de per-
» sona dicti q. Domini Dardi minus bone & indiscrete & ad
» complacentiam quorumdam & sponte libere ex certa scien-
» tia & non per errorem & omni alio meliori modo via jure
» & forma quibus melius potuerant & fieri potest ipsi adhe-
» serunt & adherent de presenti ellectioni alias facte juridice
» per vocem habentes ad ellectionem factam & celebratam de
» persona egregii Decretorum Doctoris Domini Johannis de
» Mutonibus Decani Tervisini in Pontificem & Pastorem Ter-
» visi-

„ visinum benemeritum & eamdem ellectionem factam de ipso
„ Domino Decano confirmantes laudantes & approbantes &
„ dicentes ipsam fore juridice & legitime factam & celebra-
„ tam de persona ydonea & sufficienti & benemerito pro bo-
„ no & statu dicte Ecclesie Tervisine & ejusdem Diocesis in-
„ sistentes omnibus actibus factis & fiendis Ratificantesque pro-
„ curatorium factum per ellectores ad Romanam Curiam cau-
„ sa ellectionis prosequende & ad omnia alia que in predictis
„ & circha predicta fuerunt necessaria & opportuna Rogantes-
„ que me Notarium infrascriptum ut de predictis publicum
„ conficerem instrumentum.

(L. S. Not.)

„ Ego Petrus Paulus de la Panciera q. s. Thadei publicus
„ Imperiali auctoritate Notarius & judex Ordinarius Civisque
„ habitator Tervisii predictis omnibus intersui & rogatus scri-
„ bere scripsi.

Neque vero diuturna adeo annorum series, quæ electiones Joannis congestim enuntiatas complectitur, vacua seu opere, seu merito fuit, plurima siquidem vir piissimus & indefessa charitate egit, & invicta patientia toleravit, ut utriusque fortunæ vicibus (nam & adversam diu expertus est) constantia ejus probaretur & virtus.

Tertio a renuntiatione Patriarchatus anno impositus fuit Prior Monasterio Sanctorum Joannis & Pauli, ut disciplinam regularem non ita pridem in eo restitutam sua virtute & exemplo solidaret. *Priori Veneto Joanni Benedicto* epistolam misit anno 1403. die 29. mensis Septembris Ubertinus de Albizis Procurator Ordinis Prædicatorum, quam suo Tractatui Ordinis de Pœnitentia S.Dominici inseruit Thomas Senensis, ut videre est in Ecclesiis Venetis Illustratis Tom. v. pag. 55. Ex eodem Tractatu addiscimus Joannem de Benedictis eo in munere etiam insequentibus annis 1404. 1405. perseverasse. Eidem misit epistolam Joannes Dominici anno 1404. quam sic enuntiat in suo Tractatu Thomas supralaudatus: *Item recepit Prior noster Conventus Sanctorum Johannis & Pauli videlicet Frater Johannes Benedicto unam litteram a Fratre Johanne Dominici per ipsum scriptam Florentiæ die 5. Januarii 1404. cujus tenor*

talis

talis est: Scitis, mi Frater dilecte me mensem transisse sine litteris vestris contra promissum cum tamen in causa consimili fuerim obediens vobis &c. Vester Frater Johannes Dominici. Alia quoque epistola a Bartholomæo de Acerbis Vicario Italiæ, Romæ scripta eodem anno 1404. ad Joannem Benedictum Priorem legitur in eodem Tractatu: *Item consequenter recepit Prior Conventus Sanctorum Johannis & Pauli videlicet Frater Johannes Benedicto unam litteram a Vicario Italiæ per ipsum scriptam Romæ die* 10. *Februarii* 1404. *in qua &c.* Quo etiam anno ad finem vergente, cum innotuisset Fr. Joanni Benedicto Priori, & Thomæ Senensi, quod Joannes Melioratus Archiepiscopus Ravennas *in Bononia apud locum Fratrum Prædicatorum residentiam faceret, supplicem ipsi miserunt litteram, ut Ordinem de Pœnitentia S. Dominici efficaciter commendatum haberet. Reverendissimo in Christo Patri & Domino D. Joanni Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Ravennati* data fuit epistola *Venetiis die Decima mensis Novembris* 1404. cujus hæc est subscriptio: *Vestri humiles Oratores Frater Johannes Benedicto Prior, Thomas de Senis Conventus Veneti Sanctorum Johannis & Pauli Ordinis Prædicatorum*. Similem huic epistolam *Reverendissimo in Christo Patri & Domino* Angelo Corrario de Venetiis Patriarchæ Costantinopolitano dederunt ambo *Venetiis die* XIII. *Mensis Novembris* 1404. eundem sollicitantes super impetratione confirmationis Ordinis de Pœnitentia S. Dominici: Epistolæ se subscripserunt Joannes & Thomas hoc modo: *Vestri in Domino humiles Oratores Frater Johannes Benedicto Prior & Thomas de Senis posterior in Conventu Sanctorum Johannis & Pauli Ordinis Prædicatorum*.

Eadem anno insequenti iterarunt per epistolas postulata Angelo Corrario de Venetiis Patriarchæ Constantinopolitano, & Carolo Barbadico olim Abbati S. Georgii Majoris, tunc vero Innocentii VII. Cubiculario, ex quarum subscriptionibus patet Joannem Benedicto etiam anno 1405. in eodem Prioris officio perseverasse. Ita legitur in sæpe citato Tractatu pag. 95. *Reverendissimo in Christo Patri & Domino Angelo de Venetiis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Patriarchæ Constantinopolitano &c. Venetiis die prima Martii* 1405. *Pervestri in Christo humiles Oratores Frater Johannes Benedicto Prior, & Thomas de Senis Conventus SS. Johannis & Pauli de Venetiis Ordinis Prædicatorum*, & deinde pag. 97. *Reverendo in Christo Patri & Domino D. Carolo Do-*

mi-

mini Nostri Papæ Cubiculario &c. *Venetiis die Primo Martii* 1405. *Vestri* &c. *Johannes Benedicto Prior*, *& Thomas Conventus SS. Johannis & Pauli de Venetiis Ordinis Prædicatorum*.

Laudabilis erga patriam suam charitas Joannis Benedicti maxime enituit eodem anno 1405. cum ejus hortationibus potissimum permotus *Nobilis Vir Bernardus de Rovilio dictus Bernon de Guasconia* turpissimam conjurationem detexit perditorum hominum, contra Veneti Dominii statum & honorem, & contra Nobiles Venetiarum iniquissime dispositam. Quum autem extremo supplicio debitas sceleri suo pœnas nefarii homines exsolvissent, Joannes Benedicto ecclesiasticam irregularitatis noxam subiit, a qua, ut simul cum sociis Romæ absolveretur, statuit lato Decreto Decemvirale Consilium, ut Fratri Johanni Benedicto ejusque sociis ducati centum auri assignarentur, ut possent ire Romam *ad faciendum se absolvere pro tractatu denuntiato, & dischooperto*.

1405. die XXVI. Julii.

„ Quod donetur de pecunia nostri Communis Ducati cen-
„ tum auri Fr. Johanni Benedicto & Fr. Raymundo de Ven-
„ saco de Guasconia Ordinis & Conventus Prædicatorum de
„ Venetiis, & Nob. Viro Bernardo de Rovilo dicto Bernon
„ de Guasconia pro eorum expensis ut possint ire Romam ad
„ faciendum se absolvere pro tractatu denuntiato & dischoo-
„ perto.

Die XXVIIII. Julii.

„ Quod duo equi nostri Communis conducti Venetias de
„ partibus Marchie qui ibi erant pro negotiis provisorum bladi
„ mutuentur Fr. Johanni Benedicto qui vadit Romam pro re-
„ bus notis huic Consilio.

In epistolis autem, quas Innocentio VII. dedit Dominium Venetum, ut ab irregularitatis nexu solverentur ii, qui aliquo modo in denuntiationem & punitionem reorum immixti fuerant, Joannes Benedictus enuntiatur hoc modo: *& religiosi viri Frater Johannes Benedicto de Venetiis*, *& Frater* Raymundus de Vensaco de Guasconia, qui induxerunt denuntiatorem ad faciendum nobis conscientiam de prædictis.

Vi-

Vidimus hactenus Ioannem in fortuna secunda animi nihil elati, nunc in adversa nihil demissi videamus. Memorabile, totique Ecclesiæ deplorandum fuit Schisma illud, quod adversus Urbanum VI. Pontificem Maximum excitavit, fovitque pertinaciter Robertus Cardinalis de Sabaudia, Clemens VII. in Pseudopontificatu dictus, in quo quidem schismate se fœde laceratam divisamque ingemuit Catholica Ecclesia. Urbanus VI. Bonifacius IX. & deinde Innocentius VII. alius ab alio consequuti sunt, cumque deinde in Defuncti Innocentii locum subrogatus fuisset anno 1406. Angelus Corrarius, qui sibi Gregorii XII. nomen assumpsit, non multo post ex assertis causis in Concilio Pisano depositus fuit, & in ipsius locum suffectus Petrus Philargo Ordinis Minorum Cardinalis, qui Alexander V. in sua assumptione fuit nuncupatus. Nova hac electione Pisis peracta, Catholici Principes, ii scilicet, qui concordes Gregorio XII. ejusque prædecessoribus adhæserant, in duas partes discesserunt, quorum tamen major, & splendidior numerus, Deo sic permittente, ad obsequium electi Alexandri V. accessit. Eos inter Reipublicæ Venetæ Patres *ut viri graves in agendis* (ita Sanctus Antoninus in Chronico Par. III. Tit. XXII.) *collectis, quos habere potuerunt, ibi doctoribus, & magistris peritis in Theologia & jure ad tractandum materiam, & indagandum; in hac sententiam convenerunt, Alexandro ut vero, & indubitato Pastori Ecclesiæ fore obediendum, & eum omni reverentia habendum; quod & fecerunt*. Id itaque cum ex animo crederent Veneti, electumque Alexandrum esse Petri legitimum successorem putarent, tanta ejus obedientiæ se subjecerunt devotione, ut quoscunque, qui diverse sentirent, exilio, carcere, aliisque pœnis puniendos esse decreverint. *Subtraximus* (inquiunt in publicis epistolis ad Prætorem Tarvisinum missis) *obedientiam Domino Angelo Corrario, & dedimus obedientiam nostram Papæ Alexandro electo per Concilium Pisis, ut volentes, tenere, & credere nobiscum in Papam Alexandrum V. prædictum, teneant, & credant. Illi autem, qui non crederent, & non sequerentur nobiscum, debeant penitus ire ad faciendum facta sua extra Venetias, & non reverti Venetias, sed teneantur, & debeant recedere de Venetiis infra tres dies proximos sub pena standi duobus annis in uno carcerum inferiorum, & denuo banniantur*. Multi igitur ex claustralibus viris, qui Gregorium XII. ex sincera animi sententia sequebantur, vel legis

 latæ

latæ reverentia, vel ſtatutæ pœnæ metu Venetiis receſſerunt, & exilii pœnam ſibi irrogatam ſponte ſubiierunt. Licet autem inter eos, qui peculiari Xviralis Conſilii lege extra urbem pulſi ſunt, Joannis Benedicti nomen non appareat, attamen ipſum in Gregorii XII. obedientia perſeveraſſe, & ex urbe receſſiſſe, manifeſto patet ex Xviralis Conſilii decreto, quo Joanni ipſi (cujus benefico, pioque ſtudio orphanæ Familiæ ſuæ res curabantur) conceſſum fuit anno 1410. die 29. Octobris ob ſororem ſuam in matrimonium collocandam, ut *poſſet venire Venetias, & ſtare poſt applicationem ſuam per duos menſes*.

MCCCCX. die XXVIIII. Menſis Octobris.

„ Quia F. Iohannes Benedicto noſter Nobilis ſicut omni„ bus eſt manifeſtum habet curam, & onus totius Familiæ „ qu. Patris ſui, quæ magna eſt, & mater ſua, quæ ſubleva„ bat eum a parte ipſius oneris ſit infirma, & pro honore & „ bono dictæ Familiæ ſit neceſſe maritare unam Sororem di„ cti Fr. Iohannis Benedicti, & ipſo abſente nihil fieri po„ teſt, nec debemus velle, quod alienæ differentiæ noceant „ noſtratibus & ſpecialiter in iſtis caſibus. Vadit Pars, quod „ non obſtante parte capta in MCCCCVIIII. die XXVI. Auguſti „ in hoc conſilio, quæ non eſt ſecreta, dictus Fr. Iohannes „ Benedicto poſſit venire Venetias cauſis ſupraſcriptis, & ſtare „ poſt applicationem ſuam per duos menſes. “

Completa deinde duorum menſium conceſſione, cum adhuc Joannes Venetiis, ſeu potius in Muriani Inſula commoraretur, Xvirum Decreto ſtatutum fuit, ne ullus *in Muriano* præſumeret *Fr. Johannem Benedicto tenere*, *nec recipere in domo*, *donec ipſe non* dediſſet *obedientiam Domino Papæ* (Joanni ſcilicet XXIII. qui Alexandro defuncto ſucceſſerat) cui Venetum Dominium dederat obedientiam.

MCCCCXI. die XV. Aprilis.

„ Quod debeat publice proclamari in Muriano, quod ali„ quis non debeat, audeat, nec præſumat tenere, nec reci„ pere in domo Fr. Johannem Benedicto ſub pœna ſtandi „ duobus annis in carceribus, & eſſendi bannitus de Venetiis,

&

„ & Muriano per quinque annos, & qui accusabit aliquem
„ contrafacientem, habere debeat de pecunia nostri Commu-
„ nis Venetiarum libras quingentas parvorum si per ejus ac-
„ cusationem veritas habeatur, & scribatur, & mandetur Po-
„ testati Muriani, quod faciat dictam partem statim in locis
„ solitis sui regiminis proclamari. Et similis crida & præce-
„ ptum fiat & observetur in quolibet alio loco nostro, ad
„ quem sentiretur ipsum Fr. Johannem Benedicto esse, vel
„ morari. Et hic ordo duret donec ipse Fr. Johannes Bene-
„ dicto non dederit obedientiam Domino Papæ cui nostrum
„ Dominium dat obedientiam. Et ob istud tempus pluviosum
„ & pessimum habeat dictus Fr. Johannes Benedicto termi-
„ num recedendi de Muriano trium dierum post proclamatio-
„ nem factam.

Potestati Muriani.

„ Scribimus, & mandamus vobis cum nostro Consilio de X.
„ quod debeatis facere publice proclamare in Muriano, quod
„ aliquis non debeat, audeat, nec præsumat recipere, nec te-
„ nere in domo Fr. Johannem Benedicto sub pena standi duo-
„ bus annis in carcere, & essendi bannitus de Venetiis, &
„ Muriano per quinque annos, & qui accusabit aliquem con-
„ trafacientem habere debeat de pecunia nostri Communis Ve-
„ netiarum libras quingentas parvorum, si per ejus accusatio-
„ nem habebitur veritas, & hic ordo duret, donec ipse Fr.
„ Johannes Benedicto non dederit obedientiam Domino Pa-
„ pæ, cui nostra Dominatio dat obedientiam, verumtamen
„ habeat dictus Fr. Johannes Benedicto terminum recedendi
„ de Muriano trium dierum post hanc proclamationem factam,
„ quam proclamationem statim facere debeatis in locis solitis
„ vestri regiminis. Datum 16. Aprilis.

Dum igitur extra patriam Urbem versaretur Joannes, seque totum religionis operibus mancipasset, Hierosolymam (quod diu habuerat in votis) petere omnino constituit, ut sacra loca sudoribus & sanguine Christi Domini irrigata veneraretur. Hac itaque mente Venetias reverti decrevit, ex ea urbe sciens breviorem sibi tutioremque in Palestinam fore trajectum. Obstabat consilio lata a decemviris exilii lex; quare precibus ad

eos porrectis facile impetravit anno MCCCCXIV. die XIV. Junii ut in patriam eo religionis intuitu remeare posset, ibique, donec opportuna sibi navigandi eveniret occasio, certo statuto termino permanere. Quum autem latæ concessionis tempore Joannes *in longinquis partibus* ageret, Venetias expirato jam permissionis spatio adventavit, novumque imploravit dilationis decretum, ut scilicet Venetiis degere ei liceret, donec oblata navigii opportunitate inde in Palestinam transmigraret.

MCCCCXIV. Ind. VII. die XIV. Junii.

„ Quia Venerabilis Fr. Johannes Benedicto Nobilis Civis „ Venetiarum dispofuit ad viagium Sepulcri Domini ex voto, „ & devotione sua cum primis navigiis illuc tendentibus proficisci; Vadit Pars, quod concedatur eidem quatenus possit „ venire, & stare Venetiis per unum mensem ante recessum „ suum ad dictum viagium & post reditum suum possit stare „ per alium mensem in Venetiis pro commodo agendorum suorum, quoniam asseritur ipsum esse optime dispositum ad „ honores & obedientiam nostri Dominii.

MCCCCXIV. Ind. VIII. die VII. Novembris.

„ Cum pridem concessum fuerit auctoritate hujus Consilii „ Ven. Viro Fr. Johanni Benedicto Nobili Civi Venetiarum „ quatenus posset venire Venetias & pro voto & devotione „ sua posset ire ad Sanctum Sepulcrum cum primis navigiis „ illuc tendentibus stando per unum mensem in Venetiis ante recessum pro ponendo se in ordine, & similiter observasset, sed ipse Fr. Johannes Benedicto existens in longinquis „ partibus, quando scivit de concessione sibi facta non potuerit venire ad talem terminum, quod potuisset ire cum navigiis euntibus ad dictas partes propter mortem Regis Ladislai & itinera non secura. Vadit Pars quod eidem Fr. Johanni Benedicto, qui jam venit Venetias, & cui concessa „ est de uno mense standi Venetiis ante recessum ejus concedatur & elongetur terminus quod possit stare Venetiis usque „ ad prima passagia itura ad partes Levantis cum sit optimo „ dispositus ad honorem & obedientiam Nostri Dominii.

Num

Num Joannes deinde religiosa peregrinationis vota adimpleverit, mihi incompertum.

Post hæc ad statuendam Ecclesiæ unionem coactum fuit Constantiense Concilium, in quo ipsius etiam Gregorii XII. authoritate confirmato, Carolus Malatesta Arimini Princeps ipsius Gregorii Pp. nomine Pontificatui renuntiavit. Ad Petri Sedem ejus loco, & post ipsius obitum electus deinde fuit Martinus V. qui primo sui Pontificatus anno Joannem Benedictum a Senatu Veneto postulatum, Tarvisinæ Sedi per obitum Jacobi Episcopi vacanti Pastorem præfecit & Episcopum.

Refert Ughellus ad Archiepiscopales Ravennatensis Ecclesiæ infulas delectum pridem fuisse Joannem Benedictum, qui tamen earum solo titulo, non administratione aut beneficio frui potuit. Unde hoc hauserit Ughellus incompertum, siquidem nulla ad hanc dignitatem comprobandam nobis innotescunt documenta, quæ verisimiliter extare debuissent, præsertim cum Joannes de Benedictis Concilio Constantiensi per tres fere annos interfuerit, ex quo post collatam sibi Tarvisinam Ecclesiam discessit. Quod autem *in Sacrosancta Synodo Constantiensi* circa tres annos steterit, ex documento addiscimus, quod Clar. Vir Rambaldus Comes de Azzonibus Avogaris Canonicus Tarvisinus retulit in erudit. Opusculo, cui titulus: *Osservazioni sopra un Sigillo della Badessa di S. Girolamo di Trevigi*, quod in Collectione Calogeriana vulgatum fuit Tom. XLVIII. Hæc sunt documenti verba. *MCCCCXVIII. de mense Julii collecta in ratione soldorum quinque pro libra solvenda D. Episcopo, quia stetit in Sacrosancta Synodo Constantiensi circa tres annos cum magnis expensis, & quia per adeptionem Episcopatus Tarv. habet solvere Camere Apostolice Ducatos* $\overset{c}{\text{IIII}}$ *pro communi servitio, ut est moris, & quia idem Dominus Episcopus suam Missam celebravit novam Pontificalem, & noluit offertam accipere ab aliquo; insuper quia Clerus Tarvisinus præfatus a dicto triennio citra nullum habuit gravamen, nec habiturus est in futurum in decimis nisi magna urgente necessitate.* E' notabile (sequitur doctiss. Author) fra gl'addotti motivi, quello di non aver voluto il Prelato accettare obblazione alcuna nella sua prima Messa, la quale Pontificalmente celebrò, conciossiachè quindi apparisce che un tal costume in queste parti vigeva;

„ di

„ di che fa fede anche lo Statuto di Trevigi Tract. xi. de
„ oblatione Presbyt. Rubr. I.

In ipsis initi Pontificatus exordiis, a Martino V. qui illum ad Ecclesiam Tarvisinam adlegerat, mandatum accepit, ut Villam S. Laurentii in Daila, (quæ, defuncto sine masculis Petro Michaelio Simonis nepote, ad jura Episcopatus Æmoniensis redierat) Ecclesiæ Æmoniensi authoritate delegati Apostolici perpetuo uniret, & annecteret. Joannis sententiam instante Thoma Thomasino Episcopo Æmoniense latam retulit in Italia Sacra Venetæ editionis Coletus in additionibus Tom. V. col. 244.

Amplissimum profecto est testimonium, quod in superius allato Tarvisino documento continetur de integerrimo Joannis animo, non quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi quærente; siquidem ultro respuit oblationes suis cæteroquin temporibus usitatas, quas sponte sua Christifideles certatim offerebant, cum rara quædam & solemnior occasio se daret, cujusmodi erat primum Sacrum ab Episcopo publica pompa celebratum. Nec minorem Religionis & animarum zelum præsetulit in Synodo, quam in ipsis Episcopatus exordiis coegit, & eodem electionis suæ anno Christi nempe 1418. celebravit.

Memor in primis enuntiatæ superius epistolæ, quam gratulantis in modum pro collata Gradensi Sede eidem dederat B. Joannes de Dominicis circa correptionem, & pœnas Ecclesiasticis viris infligendas, quorum turpes, & scandalosi essent mores; contra illos potissimum insurrexit, ut laxatam morum honestatem restitueret, piamque vivendi normam instauraret, ne latius serperet teterrima Concubinatus pestis, quæ Clericos bene multos infecerat. In hac suscepta Cleri reformatione, animi firmitatem puritatemque doctrinæ eo majorem exhibuit, quo plura, & validiora erant obstacula, in quæ offendebat.

Itaque, ut lata in Synodo decreta vigerent, ad severiores pœnas devenit contra Parochos, & Sacerdotes pravæ consuetudini pervicaciter addictos, & cænosis sordibus turpiter inquinatos, ad quos propterea ex eodem cæno extrahendos nulli pepercit labori, nihilque magis in Episcopali cura spectavit aliud, nisi ut morbidos ecclesiasticos ad veterem sanctimoniam ac sobrietatem omni studio revocaret. Hac igitur regendi ratione, dum Christi & Ecclesiæ causam tuetur intrepide, plurimorum

in-

injuſta odia ſimultateſque contraxit. Ex iis aliqui audacioris frontis, quos libido & metus ex æquo agitabant, auſu temerario ad Principem ſupplices libellos dederunt rem totam ambagibus involventes, & larvis vitia occulentes. Hinc litteras publicas ad Ioannem Epiſcopum obtinuerunt datas die XIII. Iunii anno MCCCCXIX. quibus monebatur, ut ſe mitius & ſuavius gereret, propoſito Epiſcoporum aliorum exemplo, qui in culpis ab humana fragilitate non ita alienis multa diſſimularent, ne mala longe majora emergerent. At Ioannes omnia, quæ ad reſtituendam Cleri diſciplinam opportuna eſſent, corde atque opere complexus conſiliorum ſuorum, & actarum rerum Apologiam reſcripſit, & Principi vitiorum late graſſantium fœditatem & ſcandalum, tum officii conſcientiæ ſuæ demandati debitum expoſuit; propterea Ducalis alia epiſtola ſubſequuta eſt, quæ dumtaxat mitiores pœnas ſontibus infligendas inſinuabat. Sed cum ex diſſimulatione vitium majora in dies capiat incrementa, & in univerſali corruptela lenior medicina morbum exaſperet, neceſſe habuit Ioannes, edictis, quæ ſanxerat, rigidiores cenſuras apponere, & ſuſpenſionem a Beneficiis adverſus contumaces indicere. Hinc frequenter Diœceſim luſtrando, & diu noctuque morbi extirpationi invigilando, tandem id conſequutus eſt, ut mores Eccleſiaſticorum maxima ex parte componeret, uberemque ſuorum laborum fructum Domino cooperante perciperet. Fruſtra potentiores quidam, quos inhoneſti Clerici ſibi multos in patronos incontinentiæ paraverant, obſtiterunt, qui irrito conatu apud Principem Sancti viri zelum, atque conſtantiam inſtar criminis traduxerunt, nec tamen quidquam contra ipſum extorquere valuerunt.

Hæc omnia enarrantur in accurata relatione, quam continet Codex in Capitulari Tarviſino Archivo aſſervatus, & Liber actorum nuncupatus, ex quo etiam colligitur, Epiſcopum noſtrum ſui muneris partes fervide nimium implentem in morbum valde periculoſum incidiſſe, ſed poſtmodum Deo dante convaluiſſe.

Ex Libro Actorum ſignato F. exiſtente in Archivo Capitulari Eccleſiæ Cathedralis Tarviſinæ fol. 22.

„ In Chriſti nomine Amen. Copia geſtorum per Clericos
„ Concubinarios Diœceſis Tarviſinæ contra eorum Antiſtitem
„ Rev.

„ Rev. in Christo Patrem & Dominum D. Fr. Joannem
„ Benedicto Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum
„ Tarvisinum coram Serenissimo Ducali Dominio Venetia-
„ rum.
„ Currente Anno Domini millesimo quadringentesimo de-
„ cimo octavo. Dum idem Rev. Pater Dominus Episcopus
„ Tarvisinus in principio sui Præsulatus circumspiceret Tarvi-
„ sinam Diocesim concubinatus vitio totaliter redundantem,
„ & nonnullis desolutis Clericis fetidatam, divino mediante
„ presidio ipsam Diocesim emundare disposuit, & incorrectos
„ Clericos totis viribus reformare. Unde præfatus Dominus
„ Episcopus Tarvisinus suam convocavit Synodum generalem,
„ in qua multas constitutiones edidit, & omnem Clerum suum
„ paternis monitionibus admonuit, quatenus unusquisque ipso-
„ rum honeste viveret, & vitam suam in bonis moribus re-
„ formaret abiciendo concubinas suas, quas secum damnabili-
„ ter detinebat ut eas amplius vel alias similes nullatenus
„ reassumeret, ne in damnationes suas pollutis manibus confi-
„ ceret Corpus Christi, comminando eis penam de libris xxv.
„ parvorum totiens quotiens præsumerent contrafacere, ponen-
„ das in fabricam Ecclesiæ Tarvisinæ in manibus Massarij fa-
„ bricæ jam inceptæ salva tamen majori punitione contuma-
„ cibus & obstinatis Clericis inferenda.
„ Evenit porro non post multos menses, quod hi Clerici
„ advertentes dictum Dominum Episcopum contra ipsos om-
„ nes equaliter procedentem & eos pena carceris, ut plurimum,
„ punientem, ommissa pæna pecuniaria, quam parvipendebant.
„ Et quod hodie mihi & cras tibi supplicium contingebat tan-
„ quam homines diabolica fraude decepti & in eodem crimi-
„ ne stomacati volentes potius omnia pati, quam suas eicere
„ concubinas, quas uxores esse suas ubilibet appellabant; co-
„ adunaverunt se insimul in Ecclesia Sancti Iohannis Baptistæ
„ de Istrana ubi fecerunt conventiculam suam," ut obstarent
„ principiis Domini Episcopi & consilium contra ipsum inhie-
„ runt juraveruntque per fas & nephas ad destructionem ipsius
„ unanimiter devenire, nisi ab expellendis concubinis, & pu-
„ niendis fornicariis totaliter declinaret & per manus Notarii
„ publici conventionem inter eos factam scribi voluerunt ac
„ se propriis manibus subscripserunt numero circa centum, ne
„ forte

„ forte aliquis ipsorum a tali proposito presumeret variare cu-
„ jus quidem Consilij tenor talis est.

„ De voluntate infrascriptorum Clericorum Tervisinæ Dio-
„ cesis fuit convocata atque congregata certa Synodus in Ec-
„ clesia Plebis S. Johannis Baptistæ de Istrana in qua Synodo
„ sive Capitulo interfuerunt Ven. Vir Dominus Presb. Jaco-
„ bus Plebanus dictæ Plebis Dominus Præsb. Jacobus Pleba-
„ nus S. Andreæ de Cavassaga Dominus Præsb. Guillelmus
„ de Paesio Dominus Præsb. Andreas de Scorzadis &c. qui
„ unanimiter & concordes voluerunt & deliberaverunt coram
„ Reverentia Domini Episcopi comparere & de verecundiis, con-
„ tumeliis, diffamationibus, injuriis, ruinisque, & damnis per ipsum
„ eisdem illatis se viriliter agravare. Rogantes, ut a talibus
„ debeat attualiter desistere, quoniam si ipsorum precibus non
„ annuerit se ad pedes Dominii volutantes vota misericordi-
„ ter impetrabunt: Insuper addenres, quod per sacra Dei E-
„ vangelia tactis manibus firmiter juraverunt hæc omnia rata
„ firmiter retinere, & ut cæpta finem obtineant præfati Do-
„ mini elegerunt Dom. Præsb. Jacobum Plebanum de Istrana
„ & Dom. Præsb. Andream de Canizano antedictos, qui hæc
„ omnia coram dicto Dom. Episcopo pro se ceterisque ad hæc
„ concurrentibus valeant pronunciare, & quia forte inopinati
„ sumptus possent supervenire ordinaverunt quod quilibet con-
„ socius debeat ducatum unum manualiter præsentare, & se
„ propria manu aliis Confratribus concorditer se subscribere.

„ Procedente siquidem ipso Dom. Episcopo in suprascripta
„ correctione sua jam segregatis quampluribus concubinis, di-
„ cti Clerici cum eorum Advocato ad Serenissimum Ducale
„ Dominium accesserunt, & quandam supplicationem in scri-
„ ptis porrexerunt, in qua supplicatione ad ornamentum facti
„ sui multa enormia & falsissima Prælato suo objicere mo-
„ liuntur, cujus quidem tenor talis est.

„ Serenissime Princeps, & Excellentissime Domine: Con-
„ queri compellitur Devotus Clerus Vester districtus Vestri
„ Tarv. Diocesis Tarvisinæ de suo Domino Episcopo Tarvi-
„ sino sed invite & cum dolore quia causam habere non ve-
„ let hoc faciendi, sed causa subest & justa: Hinc est quod
„ Clerus ipse Celsitudini Vestræ Ducali veneranter exponit.
„ Quod suus Rev. Pater & Dominus D. Episcopus Tarvisi-

H „ nus

„ nus a principio sui introitus Episcopatus per litteras suas
„ patentes singulos Clericos suæ Diocesis admonuit, ut Con-
„ cubinas suas a se ex toto expelleret alioquin &c. ut in eis
„ continetur. Quidam horum senio atriti pro vitæ suæ com-
„ moditate, quidam quia juvenes propter fornicationem cum
„ aliis mulieribus evitandam, ex quo pericula & scandala plu-
„ rima & pejora verisimiliter evenissent, fuerunt inobedientes.
„ Attamen quidam ad præsentiam ipsius Episcopi fuerunt sup-
„ plicantes quod eis & ætatibus misereri & compati dignare-
„ tur, neque motus fuit ad hoc; Volebat enim ex toto quod
„ Clerici ipsi Concubinas suas inter se permutarent aut ipsas
„ expellerent, & novas assumerent. Hoc quantum absurdum
„ & inhonestum erat, videri potest, ob quod Clerici ipsi ad
„ hoc non assenserunt, & permanserunt cum consuetis; quod
„ videns ipse Dominus Episcopus, quorumdam horum inho-
„ bedientium qui quasi omnes fuerunt pecuniariis condemna-
„ tionibus & multis a libris xxv. parv. usque ad libras duas
„ centum parv. condemnavit, & multos, & quasi singulos
„ pauperavit, quosdam ad carceres misit & quorumdam Con-
„ cubinas, & hos tam asperrime & sinistre in carceribus te-
„ nens, & sub tam tenui & misero victu panis & aquæ cum
„ jejunio nec ad sufficientiam nam vix fame peribant, & in
„ tantum hæc supplicia carceris & visus ipse Dominus Epis-
„ copus istis carceratis affligebat quod inter ceteros quidam
„ Presbyter fame & personæ sinistris ad desperationem dedu-
„ ctus in carceribus laqueo se suspendit & sic suspensus reman-
„ sit a vigesima secunda hora diei usque ad mediam horam
„ noctis & ni Dei gratia quidam familiaris ipsius Domini E-
„ piscopi sic a casu ivisset ad carceres & juvisset eum, absque
„ dubio in suspendio decessisset, quem Presbyterum, hoc sci-
„ to, ne tantum nephas patefaceret, in exilium posuit sibi
„ beneficio sublato & Concubina alia fame & sinistris carce-
„ ris relaxata emisit abortum & hoc carcerare procedebat ut
„ pecunia se redimerent carcerati. Quosdam beneficiis suis
„ spoliavit. Quosdam alios misit in exilium: In ista etiam
„ quadragesima in Pergulo dum ipse D. Episcopus prædicaret
„ in publico dixit. O bonæ mulieres & Dominæ orate Deum
„ pro me, ut me de manibus istorum impiorum Præsbytero-
„ rum qui me occidere volunt erripiat. Et vos Domini ad-

„ juva-

„ juvate me contra istos maledictos Præsbyteros, quos castigare non possum, quod ad dedecus, vituperium infamiam & onus totius hujus Cleri cessit & demum in die Jovis Sancta in Missarum solemniis omnes Clericos Concubinarios ad sonum Campanelæ & candellarum extinctionem excommunicavit; Singula hæc ipse Dominus Episcopus contra ipsum Clerum tam inhumaniter & ex abrupto & sui potestate, fecit nullo contra ipsum formato processu, nec inspecto tempori guerræ tempestatum vel penuriæ neque Clericorum paupertate nec ad aliquid aliud dummodo de Cleri substantiis canevam suam & locula adimpleret. Et insuper ipse Dominus Episcopus posuit, & habet per villas spionos perquirentes caute de vita, moribus, & Familia Clericorum, qui referunt ficta & mendacia ut sibi complaceant, ipse quoque D. Episcopus ubi debebat ponere suum caritativum subsidium de soldis tribus parvorum pro libra, ut moris est, posuit & exegit soldos quinque parvorum pro libra, quod fuit multos de Clero pauperare & nisi per brachium Excellentiæ Vestræ Ducalis ipsius Domini Episcopi modis obvietur, & remedium apponatur totus ipse Clerus consumptus est, & habitationes suas deserere sunt coacti & per alienas mendicare: Quapropter piissimæ Celsitudini Vestræ Ducali Clerus ipse humiliter supplicat & devote ut dignetur de suæ solitæ gratiæ benignitate taliter obviare, & ut expedire convenerit, providere, quod vivere ac stare & morari possint, ut cupiunt sub umbra alarum Clementiæ Vestræ Ducalis cum suis consuetis concubinis pro senium subventione & commoditate vitæ & pro juvenum remedio, ne in pejus incurrant, & scandala oriantur his pejora, & beneficiis spoliati ad beneficia reducantur, & exules ad patriam & domum propriam revertantur; de gestis & illatis præteritis nil dicitur, quod enim factum est, factum sit, imposterum remedium adhibeatur opportunum velut Clerus ipse in gratia, & misericordia Clementissimæ Ducalis Dominationis Vestræ Indubitanter sperat, quam Christus Omnipotens protegat, & in votivo statu defendat & per sæculorum sæcula ad vota conservet. “

„ Quæ quidem Ducalis Dominatio visa & audita supplicatione prædicta scripsit litteram unam dicto Domino Episco-

„ po tenoris infrascripti videlicet: Thomas Mocenigo Dei gra-
„ tia Dux Venetiarum Rev. in Cristo Patri Domino I. Dei,
„ & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Tarvisino Amico dilecto
„ salutem & sinceræ dilectionis affectum. Integritas famæ quam
„ de R. V. P. semper audivimus Nobis ingeneravit optimam
„ de Paternitate vestra eadem opinionem, adeo ut pensatis
„ modestis & ordinatissimis operationibus quas de vobis dudum
„ cognovimus non possit nobis satis faciliter suaderi: Ut ea-
„ dem V. P. quodcumque faciet ab honestate semotum & quo-
„ niam cogimur non mirari tantummodo sed stupere cum ali-
„ quid intelligimus per eamdem fuisse factum quod de illa
„ preconcipere nostra existimatio nequisset; graviter etenim
„ sunt nostro Dominio conquæsti nonnulli ex Clericis Tarvisi-
„ ni districtus Nostri parte Universi Cleri ejusdem districtus quod
„ cum tenuerint & teneant concubinas, partim pro remedio
„ & auxilio senectutis, nam simul consenuerunt, partim ut
„ abstineant ab uxoribus alienis & ducant commodius vitam
„ suam R. V. P. posito contra tales edicto suo aliquos ex eis
„ gravibus pænis. & in personis carceris acerbitate & in sub-
„ stantias exactione pecuniarum in non parvis summis, vestris
„ usibus adjunctarum plectendo in eumdem Clerum maximas
„ asperitates exercuit: Unde secuta asseruerunt inconvenientia
„ non exigua, quæ omnia considerata sapientia & modestia
„ vestra certe summa cum admiratione percepimus nam, etsi
„ talium vita non sit laudabilis, tamen considerato quantum
„ istud Concubinatus vitium inter Clericos inolerit & vires
„ sumpserit, non tamen ad præsens hæc eorum depravatio sti-
„ mulanda est acriori correctione, quæ nusquam possit dirigi,
„ nec in melius emendari. Pensare debuit etiam V. R. P.
„ tempora quæ nunc instant, in quibus profecto non irritan-
„ di sed leniendi nostrorum sunt animi subdictorum. Et quo-
„ niam præfatam V. R. P. rogitamus affectuose quatenus pla-
„ ceat ista tam humaniter reformare, quod predicti Clerici
„ Tarvisini Districtus Nostri non habeant causam se gravandi
„ sed quod vivere valeant sub umbra Nostri Dominii absque
„ innovationibus antedictis sicut & ceteri Prælati & Antistites
„ locorum nostrorum, & totius Mundi in talibus propter evi-
„ tare pejora cum dissimulatione prætereunt ex eo maxime
„ quia Nostri districtuales non sinerent nec tenerent aliquem

„ Cle-

„ Clericum in Ecclesiis suis qui non haberent concubinam „ propter zelotopiam & suspicionem uxorum & feminarum sua„ rum, in qua re quantum humanius se habebit V. P. cum „ eisdem tanto gratius erit nobis, & non habebimus materiam „ super tali causa aliter cogitandi. Dat. in Nostro Ducali Pa„ lacio die XII. Junii. Indictione XII. 1419.

„ Examinavitque dictus Dominus Episcopus literas antedi„ ctas & supplicationem prædictam ad manus suas extraneo „ modo perventam, & rescripsit præfatæ Dominationi Ducali „ in qualibet sui parte concludendo, quod de fama sui, quam „ dicti Concubinarii conabantur denigrare, ad ullum verbum „ penitus respondebat & quod eos mitissime & dulce punierat, „ & quod omnes condemnationes pecuniariæ quas fecerat non „ ascendebant in totum ad summam Ducat. xxx. qui deposi„ tati sunt penes Massarium fabrice, sed ex quo ipse D. Epi„ scopus omisit dictos Clericos pecunialiter condemnare, quia „ videbat ipsos obstinatos & pecuniarias penas non timere, „ quas per tempora retroacta pro tenendis concubinis solvere „ consueverunt idem Clerici contra omne debitum veritatis co„ nabantur sibi objicere ea, quæ in eorum supplicatione nar„ raverant & quod si Dominatio sua maturius inquireret fal„ sitates ipsorum, & mendaces narrationes, facilime reperiret, „ subjungens quod ex debito sui giuramenti pungebatur suos „ Clericos male viventes ad celibem vitam posse tenus refor„ mare, & quod confidebat in Deo & in Celsitudinem Du„ calis Dominationis suæ, quæ semper justitiam hactenus mi„ nistraverat quod ipsum D. Episcopum justitiam sectantem in „ suo bono opere minime perturbaret.

„ Postea vero non post multos dies eadem Ducalis Domi„ natio litteris dicti Domini Episcopi sub infrascripto tenore „ respondit:

„ Thomas Mocenigo Dei gratia Dux Venetiarum &c. Rev. „ in Cristo Patri & Domino J. Dei & Apostolicæ Sedis gra„ tia Episcopo Tarvisino Amico Dilecto salutem, & sinceræ „ dilectionis affectum. Intellectis litteris V. R. P. responsivis „ ad Nostras super facto Præsbiterorum Nostri Tarvisini Di„ strictus tenentium Concubinas & remanentes informati ple„ narie de omnibus contentis in litteris prælibatis V. R. P. „ affectuose rogamus & ortamur instantia quanta possumus,

„ qua-

„ quatenus pro omni bona causa, & respectu placeat cum di-
„ ctis Præsbyteris transire benigne dulciter & humane quod
„ habebimus valde gratum. Datum in Nostro Ducali Palacio
„ die tertio Julii Indictione XII. 1419.

„ Processit quippe dictus Dominus Episcopus in dicta sua
„ correctione per menses sex continuos vel circa parcendo ne-
„ mini desoluto & ex dictis clericis multos correxit precipue in
„ Civitate & locis magis propinquis, qui formidine pene &
„ metu vituperiis suas Concubinas totaliter abdicaverant: Sed
„ quia plures erant longinqui & a Civitate remoti, qui suas
„ non verebant publice detinere in scandalum non modicum,
„ & malum exemplum illorum correctorum ideo ipse Domi-
„ nus Episcopus cui laboriosum erat istos remotos posse con-
„ vincere nolens desistere ab opere cepto sed omnes delinquen-
„ tes equaliter flectere, sum Edictum generale proposuit, cujus
„ tenor sequitur in hanc formam..

„ In Christi Nomine Amen. Frater Joannes Benedictus
„ Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Tarvisinus univer-
„ sis & singulis Clericis Civitatis & Diocesis Tarvisinæ uniu-
„ scujusque status, gradus, dignitatis & conditionis Seculari-
„ bus vel Regularibus Civibus vel Forensibus in ipsis Civitate
„ vel Diocesi Beneficiatis salutem in Domino dudum ad Ci-
„ vitatis & Diocesis prædictarum præsulatum Divina vocati
„ Clementia, & a Sancta Sede Apostolica destinati nostras emi-
„ simus monitiones nostraque proposuimus edicta quas & quæ
„ tam in nostro generali Synodo, quam alibi fecimus publica-
„ ri quod unusquisque vestrum honeste viveret, & vitam suam
„ in bonis moribus reformaret, quodque nullus vestrum concu-
„ binam mulieremve suspectam apud se retinere, vel cum
„ eisdem quomolibet habitare præsumeret Quinymo concubinas,
„ vel suspectas mulieres, si quas habebatis, abicere, & a vo-
„ bis totaliter abdicare mora postposita curaretis ipsas vel simi-
„ les nullatenus recepturi vobis tamen & vestrum unicuique
„ terminos ad prædicta assignavimus competentes penam con-
„ trafacientibus comminantes infra quos terminos quidam ve-
„ strum ut veri obedientiæ filii nostris salubribus paruerunt
„ monitionibus atquemandatis, quidam vero negligenter, & ali-
„ qui pertinaciter animarum suarum salute postposita obedire
„ contumaciter neglexerunt ymo verius recusarunt, quod tol-

„ le-

„ lerare nollentes in Dei offensam nostrique honoris & conscien-
„ tiæ detrimentum aliquos punivimus, non secundum eorum
„ demerita, sed misericorditer & benigne monentes denuo eos
„ & alios ut a crimine desisterent memorato noviter autem
„ gravi querella quam dollenter refferimus ad Nos delatum
„ est, quod vestrum nonnulli ad vomitum revertentes ut ca-
„ nes, quidam vero in antiquo facinore perseverantes detinere
„ concubinas publice non verentur contra constitutiones no-
„ stras, & Sacrorum Canonum Instituta in animarum suarum
„ præjudicium, & honoris nostri ac totius Cleri non modicum
„ detrimentum. Nos igitur Fr. Jo: Benedict. Episcopus ante-
„ dictus zelo succensi conscientiæ, non valentes ymo non
„ volentes prædicta tam gravia ulterius tollerare, Attendentes
„ quod crescente contumacia crescere debet & pena omnes,
„ & singulos, qui ut prædicitur detinent concubinas vel alias
„ suspectas mulieres sive continue tenuerint, & denuo sint re-
„ lapsi sive etiam noviter assumpserint eorum exigentibus de-
„ meritis suspendimus a perceptione fructuum beneficiorum
„ suorum, & ipsos suspensos esse declaramus & sic suspensos
„ volumus remanere, quousque nobis fidem fecerint suas tales
„ mulieres a se totaliter abdicasse, & ut quilibet majorem ha-
„ beat causam se de prædictis corrigendi, vos omnes & singu-
„ los & vestrum quemlibet singulariter, & per se requirimus,
„ & monemus, ac in virtute Sanctæ obedientiæ, stricte preci-
„ piendo mandamus, quatenus in xx. dierum spacium a pu-
„ blicatione præsentium in Ecclesia Nostra Tarvisina nume-
„ randum quos vobis, & vestrum cuilibet pro primo, secun-
„ do, tertio, & peremptorio termino assignamus, studeatis
„ concubinas quas habetis & quascumque alias mulieres suspe-
„ ctas a vobis abjicere & abiectas vel abiciendas nullatenus as-
„ sumere vel reasumere sub pena privationis beneficiorum
„ omnium quæ habetis vel quomodolibet detinetis quam pri-
„ vationis sententiam contra vos & vestrum quemlibet contra-
„ facientem vel ut prædictum est non obedientem prædictis
„ monitionibus præmissis ferimus in his scriptis ad alia etiam
„ graviora processuri prout vestra meruerit contumacia perti-
„ nacia vel rebellio & ut prædicta ad uniuscujusque vestrum
„ notitiam &c. Datum XVI. Januarii 1420. Indictione XIII.
„ Et quia multi fornicarii obedientiam fingentes ipsas con-
„ cu-

„ cubinas de domibus abdicabant, & in propinquis casis ipsas „ retinebant idem D. Episcopus hujusmodi fraudibus volens „ obviare aliud fecit edictum tenoris infrascripti: Videlicet:

„ Fr. Joannes Benedictus &c. Pridem nostrum publicum „ proposuimus edictum, quod unusquisque vestrum concubi- „ nam habens vel aliam suspectam mulierem intra certum ter- „ minum jam elapsum illam a se abiceret & totaliter abdica- „ ret ipsam vel similem nullatenus recepturus sub pœnis in „ ipso contentis Nuper autem dolentes audivimus quod qui- „ dam vestrum diabolica fraude decepti & Concubinis suis da- „ mnabiliter colligati in priori detestabili delicto tenaciter per- „ severant, obedientiam tamen fingentes & mandato nostro „ fraudem committere cupientes abiciendo videlicet Concubi- „ nas prædictas de earum habitaculis & in propinquis domi- „ bus easdem collocantes, ad quas cum vollunt tam publi- „ cum, quam secretum habent accessum, Nos igitur cupien- „ tes hujusmodi fraudibus debitam adhibere medelam omnes „ & singulos suprascriptos monemus tenore præsentium quate- „ nus infra sex dierum spacium a publicatione præsentium nu- „ merandum, quatenus infra sex dierum spacium Concubinas „ tales mulieres ut suspectas quas secum habuissent debeant a „ suis Parochiis, in quibus habitant, seu Beneficiati sunt, to- „ taliter abjiciere nec in ipsis Parochiis eas ullatenus habitare „ patiantur, si penas in Nostro edicto comprehensas evitare „ voluerint, quod si forsan earum alique animo persisterent „ indurato & contra ipsorum Clericorum voluntatem in Pa- „ rochiis prædictis commorari contenderent, illud nobis vel „ Vicario Nostro denuntient Clerici antedicti intra terminum „ antedictum ut fraudibus quæ excogitari possent competens „ remedium adhibere valeamus in hoc eis de nostra benigni- „ tate gratificante quam de jure possimus hujusmodi fraudibus „ non obstantibus eos beneficiis suis juridice spoliare; has au- „ tem nostra litteras &c.

„ Quibus omnibus sic peractis idem Dominus Episcopus „ Diocesim suam cepit visitare, in qua Visitatione inter cæte- „ ros Clericos quos punivit, tres fornicarios rusticanos ex po- „ tentioribus & inveteratis qui vigore Edictorum præmissorum „ sententiam privationis incurrerant, privatos declaravit & fa- „ ctum est quod isti tres facta tali conventicula Venetias adi-

„ ve-

„ verunt & adherentes innumerabilibus Venetis, ex Majori-
„ bus dico & magis provectis obtinuerunt multas litteras re-
„ comendatorias ad ipsum Dominum Episcopum quas ipse
„ nullatenus exaudivit. Interim vero pestis gravissima cepit vigere
„ in Districtu Tarvisii propter quod ipse Dominus Episcopus
„ Torcellum se reduxit, ubi experimentatus fuit ab ipsis Cle-
„ ricis per viam supplicationum, & per intercessiones multifa-
„ rias Nobilium prædictorum etiam attinentium ejusdem, qui
„ particulariter ad ipsum Dominum Episcopum pro tali ne-
„ gotio multocies accesserunt & dum reperirent ipsum Domi-
„ num Episcopum constantem & se nullis precibus inclinan-
„ tem iidem Sacerdotes cum protectione ipsorum Nobilium
„ Venetorum & favore etiam aliorum Concubinariorum com-
„ paruerunt coram Ducali Dominio secum ductis quam pluri-
„ bus rusticis eorum compatriotis & expositis eorum querellis
„ obtinuerunt ab ipso Dominio posse ad sua beneficia residere
„ non obstante privatione aliqua de ipsis facta & citatus fuit
„ dictus Dominus Episcopus, qui pluries coram ipso Dominio
„ personaliter accessit expurgatis falsis impositionibus alias de
„ ipso factis, a prefato Dominio benigne, & laudabiliter li-
„ centiatus extitit & dictos residentes ab administratione Sa-
„ cramentorum celebratione Missarum & perceptione fructuum
„ immediate suspendit.

„ Ipsis namque temporibus dum in Civitate Tarvisii pestis vige-
„ ret acuta idem Dominus Episcopus ut prædicitur, Torcellum se
„ reduxit & ibi magnis febribus extitit infirmatus. Fama vo-
„ lat, quod idem Antistes laborat in extremis oh quanta for-
„ nicariis lætitia fuit, neque focariis forte minor omnes qui-
„ dem revertuntur ad vomitum desiderantes potius mortem
„ Præsidis quam salutem animarum suarum Providente nam-
„ que Domino idem Dominus Episcopus qui vix ad mortis
„ devenit extremum, hanc infirmitatem evasit & factus in-
„ columis Tarvisium profectus est.

„ Concordat cum registro &c.

„ Joannes Franciscus Alberti Cancell.
„ Capitularis in fidem &c.

Pias Episcopi sollicitudines libens excepit, probavitque Tarvisinum Canonicorum Collegium, utque eum aperto dilectionis, & reverentiæ testimonio prosequeretur, primum in Choro subsellium post Decani sedem Vicario-Episcopali Lucæ de Cantarellis Regiensi concessit anno 1419. at cum deinde (ut plerumque fit in similibus) inter Joannem Episcopum & Canonicos suscitatæ fuissent controversiæ, concessum primæ sedis privilegium adverso Capituli decreto abolitum fuit anno insequenti. Utrumque decretum afferimus ex libro Actorum Capitularium Ecclesiæ Cathedralis Tarvisinæ depromptum.

In Christi Nomine Amen Anno a Nativitate ejusdem MCCCCXVIII. Indictione decima tertia die vero Lune XIII. dicti mensis Februarii in Sacristia Ecclesie Tarvisine Venerabiles Viri Dominus Philippus de Clarutis Joannes Delphino Bernardus de Barisanis. Jacobus a Caballis Amantius de Lancenico Archidiaconus Petrus Benedictus Thesaurarius & Zandonatus del Como omnes Canonici Prebendati dictæ Ecclesiæ facientes Constituentes & representantes Capitulum dictæ Ecclesiæ &c. Unanimiter & concorditer eorum nemine discrepante reverentia & contemplatione Supradicti Domini Episcopi Tarvisini etiam attendentes quod suprascriptus Dominus Lucas Vicarius perpetuus dicte Ecccleſie etiam in Spiritualibus Vicarius ejusdem Domini Episcopi & est homo vertuosus & Doctor Decretorum Volentes ipsi Domino Episcopo complacere de gratia speciali concesserunt & voluerunt quod ipse Dominus Lucas quousque duntaxat fuerit Vicarius in spiritualibus Generalis dicti Domini Episcopi habeat & stet in prima Sede a latere sui chori & similiter in quibuscumque Processionibus funeralibus &c. incedat cum Domino Decano dicte Ecclesie a latere tamen sinistro ipso vero Domino Decano absente incedat cum Antiquiori Canonico contra a latere dextro & predicta fecerunt dicti Domini Canonici, & Capitulum, ac robur & firmitatem habere voluerunt ad beneplacitum: tantum dicti Capituli seu majoris partis non intendendo per hoc prejudicare juribus alicujus nec dicti Capituli.

Adi 7.

Anno Domini MCCCCXX. Inditione XIII. die VII. mensis Januarii Congregato Capitulo dictæ Ecclesiæ in quo interfuerunt Ven. Viri Domini Joannes de Mutonibus Decanus Philippus de Clarutis Ioannes Delphino Iacobus a Caballis Amantius Donatus Archidiaconus Petrus Benedictus Thesaurarius Zandonatus a Cornu & Nicolaus Magister Scholarum facientes & constituentes totum Capitulum dictæ Ecclesiæ ipsi Domini de Capitulo omni modo via jure & forma quibus melius potuerunt revocaverunt Gratiam alias factam Ven. Viro Domino Lucæ de Cantarelis de Regio Vicario Domini Episcopi Tarvisini de prima Sede & de omnibus gratiis sibi factis prout supra patet &c.

Eodem ipso anno MCCCCXX. quo Canonicorum Collegium gratiam pridem Episcopali Vicario concessam revocavit, Ioannes Episcopus die XXV. mensis Aprilis de Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ Tarvisinæ *consilio pariter & consensu* Fratribus Ordinis Servorum B. M. V. *Capellam* seu Ecclesiam S. Iacobi prope Castrum Franchum (quam prius iidem Fratres ad instantiam Communitatis Castri Franchi de licentia Loti de Gambacurtis Episcopi Tarvisini *per nonnulla tempora* excoluerant) cum omnibus juribus & pertinentiis suis amplo lato diplomate concessit, & donavit, ut *quiete Deo, & Gloriosæ Virgini servirent in Divinis*. Quamvis autem donatio Joannis Episcopi facta fuerit superius enunciato anno 1420. attamen, (ut ex ipso mox afferendo Episcopali diplomate patet) ad antiquius tempus referendam esse loci originem asserit Archangelus Giannius in Annalibus Ord. Servorum Tom. I. pag. 351. qui eam ad annum circiter 1390. alligandam arguit ex multis argumentis. Quod autem Ordo Servorum B. M. V. jampridem in Oppido Castri Franchi sedem obtinuerit anno nempe 1353. compertum habemus ex diariis Æconomicis Monasterii S. Mariæ Servorum de Venetiis in quibus hæc leguntur: 1353., *in fine mensis Januarii Item expendidi tempore Fratris Maphæi* (Maphæus Turlonus de quo in Ecclesiis Venetis Illus. Tom. II. pag. 58.) *olim Prioris Conventus, cum ipse ivit Castrum Francum causa capiendi ibi locum, quos ego non scripsi, quod credebam, quod Ordo*

deberet solvere. Quidquid autem sit de tempore, quo primum Ordo Servorum in Castro Francho sedem aliquam posuit, hoc certum exploratumque est, canonicam loci possessionem sive ex Communitatis donatione, sive ex Episcopi confirmatione anno 1420. solum obtinuisse; eo etenim anno die XXII. Aprilis Consilium Communitatis Castri Franchi Stephano de Burgo Ordinis Servorum Generali Ecclesiam S. Jacobi donavit, ut legitur in antiquo regesto Veneti S. Mariæ Servorum Monasterii *Matricula prima* nuncupato in quo pag. 9. hæc habentur: *MCCCCXX. adi xx. April noto che in questo dì el P. General Maistro Stephano dal Borgo siando personalmente in Chastel Francho, per quella Communità fo dado a lo dicto General el Convento de San Jacomo in Castel Francho per l' Ordine liberamente, e fonde fatto instrumento*. Eam deinde loci donationem ratam habuit Joannes Benedicto Episcopus Tarvisinus die XXV. ejusdem mensis hoo, quod exhibemus, diplomate. „ Fr. Joannes Benedicto Ord. Prædic. Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus „ Tarvisinus Venerabilibus Fratribus nostris, & Conventui Ordinis Servorum S. Mariæ Salutem in Domino fructuosam. Honestis supplicum votis, illis præsertim, quæ ad Religionis propagationem, & divini cultus augmentum cedere dignoscuntur libenter favorem benevolum impartimur. Exposita quidem nobis per Venerabilem S. Theologiæ Professorem „ Magistrum Stephanum de Burgo S. Sepulchri præfati Ordinis „ Servorum S. Mariæ Priorem Generalem petitio continebat, „ quod ejusdem Ordinis Fratres de Suorum Superiorum nec „ non bonæ memoriæ D. Loti de Gambacurtis prædecessoris „ nostri licentia ad instantiam & preces totius Communitatis „ Castri Franci in Capella quadam sub vocabulo S. Jacobi fabricata, & fundata prope Castrum Francum apud Bastiam „ nostræ Tarvisinæ diæcesis per nonnulla tempora sub Ordine „ F.F. Servorum exhibuerunt Domino famulatum. Eapropter „ ipsi M. Stephanus, & F.F. prædicti cupientes Ordini suo „ prædicto Cappellam ipsam aggregare, nobis constanter postularunt, quatenus ipsam Cappellam Ordini suo donare, & „ concedere dignaremur. Nos igitur divini cultus, ac Religionis „ augmentum, & animarum salutem intentis desideriis affectantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, considerantes, „ quod ibidem fabricatus est locus, & Conventus eidem Ordi-

„ ni.

„ ni congruus, & honestus, habito consilio pariter & consen-
„ su Venerabilium Fratrum nostrorum Canonicorum & Capi-
„ tuli Ecclesiæ nostræ Tarvisinæ & cum eisdem negotio præ-
„ dicto quam sæpius maturato, Cappellam ipsam S. Jacobi pro-
„ pe castrum Francum Diæcesis nostræ fundatam ipsi Ord. Ser-
„ vorum S. Mariæ, quantum nobis inest, concedimus, & do-
„ namus cum omnibus juribus, & pertinentiis suis tam in tem-
„ poralibus, quam in spiritualibus pleno jure, ut quiete Deo,
„ & Gloriosæ Virgini serviant in Divinis. Volumus tamen,
„ quod si quo tempore desierint in dicto Monasterio Fratres
„ residere, ipsumque Fratribus destitui Ordinis antedicti, sic-
„ que per biennium destitutum perdurare, Ecclesia ipsa sive
„ Cappella ad nos libere revertatur. In testimonium autem
„ præsentis concessionis solvant nobis, nostrisque successoribus
„ annuatim tantummodo libram unam Ceræ. In quorum om-
„ nium fidem præsentes fieri jussimus per Joannem Donatum
„ de Corona Notarium Curiæ Nostræ, & sigilli nostri Ponti-
„ ficalis appensione muniri. Datum Tarvisii in Episcopali no-
„ stro Palatio die Jovis xxv. mensis Aprilis 1420. Pontifica-
„ tus vero SS. in Christo Patris & Dom. N. Dom. Martini
„ divina Providentia Papæ V. anno Tertio.

„ Joannes Donatus de Corona Notarius Curiæ Episcopalis
„ Tarvisinæ de mandato prælibati Dom. Episcopi Tarvisini ".

Paucis deinde ab ea loci concessione elapsis diebus, Diæcesis suæ Pastoralem visitationem vel suscepisse, vel continuasse vigilantissimum Præsulem, non obscure arguimus ex quibusdam ipsius authenticis diplomatibus, quæ in Oppido Mestre Diæcesis Tarvisinæ die octava, & die nona Iulii ejusdem superius citati anni MCCCCXX. data leguntur. Eorum primo Ioannes Benedicto Episcopus Tarvisinus degens iu Burgo Sancti Laurentii de Mestre *in horto habitationis Presbyteri Marci de Venetiis Plebani Ecclesiæ S. Laurentii prædictæ investivit renovatione livelli perpetualis* Ioannem quemdam de rure Clerinaci, nomine uxoris suæ Margaritæ de prædio posito in Burgo S. Laurentii de Mestre, præsentibus ad Emphiteosis renovationem multis Clericis, aliisque viris de Tarvisio, quam quidem concessionem in publica acta redegit Notarius Curiæ Episcopalis Tarvisinæ. Secundum vero ex iis diplomatibus laudationem & approbationem exhibet superius enuntiatæ Margaritæ, quam quidem ap-

pro-

probationem in actorum codicem inseruit idem Notarius *in Curtivo habitationis* supradicti Plebani degens, iisdem testibus præsentibus; ex quibus utriusque instrumenti circumstantiis, loci nempe, testium, & notarii jure autumo Ioannem Episcopum tunc temporis Pastoralem egisse in eo Mestris oppido visitationem.

Excerpta ex iis documentis ad rem nostram pertinentia afferimus..

In Christi Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo quadringentesimo vigesimo Indictione tertiadecima die lunæ octavo mensis Iulii in Burgo S. Laurentii de Mestre in orto habitationis Domini Presb. Marci de Venetiis Plebani Ecclesiæ S. Laurentii prædictæ. Præsentibus egregio utriusque Iuris Doctore Domino Lodovico a Tovaleis. Presb. Andrea de Casellis & Presb. Petro Rubeo de Venetiis Mansionariis in Ecclesia Tarvisina. Ser. Andrea de Storga Notario qu. Ser Guillelmi Civibus & habitatoris Tarvisii testibus rogatis, & aliis. Rev. in Christo Pater & Dominus D. Frater Iohannes Benedicto Dei & apostolicæ Sedis gratia Episcopus Tarvisinus nomine suo & dicti sui Episcopatus per se, & successores suos nomine renovationis livelli perpetualis renovandi semper in capite viginti quinque annorum secundum aliquo precio vel premio pro renovatione fienda, cum quodam anulo aureo quem habebat in manu investivit Zanetum qu. Dominici de Clarignago, qui moratur ibi coram ipso Domino Episcopo flexis genibus constitutus & suo nomine proprio ac nomine & vice Dominæ Margaritæ uxoris suæ & suorum heredum humiliter acceptantem de uno sedimine terre cum una domo partim murata, & partim pareclata (1) cuppis cohoperta super dicto sedimine alias ædificata per Iohannem de Basso olim maritum dictæ Dominæ Margaritæ detentorem dicti livelli ab Episcopatu Tarvisii posito & jacente in burgo S. Laurentii de Mestre ex opposito puthei.... pro censu promisit solvere Domino Episcopo & successoribus annuatim quolibet festo S. Martini libr. XII. parvorum & par unum bonarum Gallinarum in Civitate Tarvisii... & taliter & tali modo dictus Dominus Episcopus investivit dictum Franciscum dictis nominibus jure livelli de dicto sedimine &c.

Eo-

(1) Idem ac ex lignis calce protectis.

Eodem millesimo anno & indictione, die Martis nono mensis Julii in Curtivo habitationis prænotati Domini Presbyteri Marci Plebani S. Laurentii coram præfato Rev. Patre Domino F. Johanne Benedicto Episcopo Tarvisino suprascripta Domina Margarita . . . . . laudavit approbavit, ratificavit eidem Domino Episcopo pro se & Episcopatu suo recipienti omnia & singula, quæ in dicto instrumento scripta sunt.

Ego Johannes Donatus Filius Ser Bartholomæi de Corona publicus Imperiali auctoritate Notarius & Civis Tarvisinus, tuncque Notarius & Scriba Curiæ Episcopalis Tarvisinæ prædictis omnibus & singulis interfui & rogatus scripsi.

Interea tum ex superius enuntiata expulsione Vicarii de prima Sede, cum ex aliis, quæ jurisdictionis prætextu oriebantur, novis causis, contentiones, quæ inter Episcopum, & Capitulum exarserant, majora in dies incrementa suscipiebant; quare exasperati Canonici Romano Pontifici supplices libellos mittere decreverunt, ipsum enixis precibus instanter obsecrantes, ut Joannem Episcopum ex Tarvisina ad aliam Ecclesiam transferre, pacis intuitu, dignaretur. Quum autem controversia ad Romani Pontificis judicium delata esset, Romam Joannes Episcopus ad negotia gerenda allegavit Præsbyterum quemdam Joannem de Nerula nuncupatum, qui pridem per Capitulum Tarvisinum *investitus fuerat de medietate Plebis Sancti Johannis Baptistæ ad Capitulum præfatum pleno jure immediate spectantem*. Ægre tulerunt Canonici virum a se beneficiis auctum controversa Episcopi jura apud Pontificem adversus Capitulum agere, quapropter causam prætendentes, quod Præsbyter Joannes de Nerula, invito, & facultatem denegante Capitulo, discessisset, Romamque petiisset, ubi *in contradictorio juditio fuit Procurator contra ipsum Capitulum defendentem se, & tuentem jura, & jurisdictionem dicti Capituli, quas Rever. in Christo Pater & D. Joannes Benedicto præsens Episcopus & Antistes usurpare sibi volebat*, ipsum Joannem Procuratorem beneficiis ei pridem collatis spoliarunt, & *consideratis* constitutionibus tam Synodalibus quam Patriarchalibus spoliatum esse declararunt anno Nativitatis Domini MCCCCXXIX. die Martis XIX. Mensis Julii.

Actum aliquando fuisse de pace inter dissidentes concilianda te-

testantur antiqui Codices Capituli Tarvisini, quos Redituum vocant, in quibus hæc adnotata visuntur.

„ 1430. Die 13. Aprilis de mandato Dom. Johannis Dol-
„ fino dedi Dom. Jacobo a Caballis, & Dom. Archidiacono,
„ qui iverunt Venetias pro loquendo cum Ambaseatoribus pro
„ pace fienda cum Dom. Episcopo lib. V.

„ 1430. die 18. Julii Ivi Paduam ad portandum unam lit-
„ teram Dom. Decano, quum Dom. Potestas debebat mitte-
„ re pacem in Dom. Episcopum, & Capitulum dedi pro
„ equo lib. 1. sol. 12.

Quum igitur utraque pars pro pietate sua pacem exoptaret, tandem post diuturnas contentiones, amicabili piorum prudentumque virorum interventu, discordes animi ad mutuam fuerunt concordiam restituti, indeque unanimi consilio ad pacem in omnibus perenniter tuendam statutum fuit, controversa utriusque partis jura in Romani Pontificis Eugenii IV. judicium, arbitriumque committere, ejusque authoritatem communi voto implorare, ut quæ de cætero agenda, servandaque essent, ipse decerneret. Pontificis mandato totius rei negotium Antonio Cardinali Corrario Episcopo Ostiensi die XXIV. Martii anni MCCCCXXXII. demandatum fuit, qui statuta Tarvisinæ Ecclesiæ novis editis constitutionibus reformavit, easdemque Episcopo & Clero Tarvisino *observandas mandavit die* XII. *Maii* ejusdem anni.

„ Antonius Miseratione Divina Episcopus Ostiensis Sacro-
„ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bononiensis vulgariter
„ nuncupatus Reverendo in Christo Patri Domino Johanni
„ Benedicto Dei gratia Episcopo Tarvisino ac Venerabilibus
„ Viris Dominis Decano, Vicario perpetuo, Archidiacono,
„ Thesaurario, Canonicis, Magistro Scolarum, Mansionariis,
„ Capellanis, nec non Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, Cu-
„ ratis, & non Curatis, ac aliis beneficiatis, Hospitaliumque
„ Rectoribus, seu Prioribus, ceterisque Ministris, Officialibus,
„ & Clericis Ecclesiæ Tarvisinæ Civitatis & Diocesis ac o-
„ mnibus aliis, & singulis quos præsens negotium tangit, seu
„ tangere posset quomodolibet in futurum salutem in Domi-
„ no sempiternam: legum latores Romanique Principes, qui-
„ que per ætates suas opportunas leges condiderunt, non ta-
„ men mutationes rerum, & conditionum previdere potue-

„ runt,

„ runt, nec tanti fuere consilii ut posteris labor omnis novas
„ condendi veterum correctivas supplectivasque esset ademptus.
„ Quinymo cura illa Principibus semper fuit varietate homi-
„ num temporumque id operante. Cum itaque in Ecclesia
„ vestra Tarvisina nonnullæ Constitutiones circa regimen ejus
„ tam per Prædecessores vestros, quam Apostolicos reformato-
„ res compositæ fuerint, quæ propter ipsarum personarum
„ mutationes, contentiones, & scandala afferebant in præju-
„ dicium Divini cultus animarumque vestrarum, Sanctissimus
„ in Christo Pater & Dominus Dominus Eugenius Divina
„ Providentia Papa Quartus supplicationibus vestris inclinatus
„ paterno affectu cupiens providere, Apostolicum rescriptum
„ more Romanæ Curiæ bulla plumbea bullatum non vitia-
„ tum, neque in aliqua sui parte suspectum, sed potius omni
„ vitio & suspicione carentem nobis direxit, cujus tenorem
„ inseri his mandavimus, & est talis.

„ Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fr.
„ Antonio Episcopo Ostiensi Salutem & Apostolicam Benedi-
„ ctionem. Injunctum Nobis desuper quo universis Orbis a-
„ stringimur Ecclesiis Apostolice Servitutis officium sedula Nos
„ perurget instantia illarum jugiter intendere profectibus ut &
„ elisis ab eis cujusvis note dispendiis votive directionis ope
„ fruantur illarumque propagentur decus & honor, prout ex-
„ pedire conspicimus salubriter providere. Cum itaque sicut
„ exhibita Nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris Nostri
„ Johannis Episcopi Tarvisini petitio continebat propter di-
„ versitatem Statutorum & Consuetudinum Ecclesie Tarvisi-
„ ne cui preesse dinoscitur, inter illius personas nonnunquam
„ contentiones & scandala suscitentur, pro parte dicti Episco-
„ pi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Ecclesie necnon
„ personis predictis super his opportune providere de benigni-
„ tate Apostolica dignaremur Nos itaque hujusmodi Supplica-
„ tionibus inclinati fraternitati tue per Apostolica scripta man-
„ damus quatenus visis recensitis & examinatis per Te Sta-
„ tutis & consuetudinibus predictis etiam si illa per Sedem
„ Apostolicam seu Legatos ejusdem facta vel confirmata &
„ juramento vallata sint, ex ipsis ea que rationabilia fuerint
„ auctoritate Apostolica approbes & minus justa vel contentio-
„ num & scandalorum hujusmodi productiva penitus reseces

 „ cas-

„ casses & irrites ac prout Tibi congruere videbitur aliqua per „ adiectiones & detractiones alteres & immutes ac nova inibi „ Statuta edas observandaque fore decernas Nec non omnia „ alia & singula facias & exequaris , que in premissis & cir- „ ca ea quomodolibet necessaria fuerint vel opportuna Non „ obstantibus premissis ceterisque contrariis quibuscunque . „ Datum Rome aqud Sanctum Petrum Anno Incarnationis „ Dominice MCCCCXXXII. Nono Kal. Aprilis Pontificatus „ nostri anno secundo.

O M M I S S I S

De fide adhibenda , & Testimonio predictorum.

„ IN quorum omnium , & singulorum fidem , & Testimo- „ nium predicta Statuta , Constitutiones , sive reformatio- „ nes in hanc pubblicam formam fieri , extrahi , & redigi fe- „ cimus , & per Johannem de Cayrate Not. publicum infra- „ scriptum Nostrumque Secretarium subscribi , & Nostræ Bul- „ læ prefatæ qua in similibus utimur appensione muniri Man- „ davimus præfato Reverendo Patri Domino Johanni Episco- „ po, & Venerabilibus Viris Dominis Petro Benedicto Archi- „ diacono , Petro Rosso , & Amadeo Canonicis Tarvisinis su- „ pradicta omnia suo Capituli , ac Successorum suorum nomi- „ ne expresse presentibus approbantibus acceptantibus & reci- „ pientibus . Datum Romæ apud Sanctum Grisogonum Anno „ Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo tricesi- „ mo secundo , Indictione decima , die duodecimo mensis Maii . „ Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini Nostri Domi- „ ni Eugenii Divina Providentia Papæ quarti Anno secundo . „ Presentibus ibidem Reverendis in Christo Patribus Dominis „ Daniele Episcopo Parentino Camere Apostolice Thesaura- „ rio , Bartholomeo Magistro Sancti Jacobi de altopassu Lu- „ can. Diocesis , & Venerabili & Egregio Legum Doctore ma- „ gistro Guillelmo Ugonis Archidiacon. in Ecclesia Virdunen. „ Testibus ad premissa ydoneis Vocatis specialiter , & rogatis.

Pacis itaque inter Episcopum & Canonicos Tarvisinos firmandæ illustris author fuit Eugenius IV. qui Joannis Benedi-

dicto virtutem prudentiamque plurimi fecit, eumque in ipsis sui Apostolatus exordiis Pontificium Auditorem delegit, ut testatur Marinus Sanutus in Chronico ad annum 1431. „ Nel
„ 1431. a' 7. di Marzo a ore 17. gionsero qui tre Corrieri,
„ l'un dietro l'altro, i quali portarono Lettere di Roma,
„ come i Cardinali ridotti in Conclave a' 3. del detto mese
„ avevano creato Sommo Pontefice un Cardinale Veneziano
„ chiamato Messer Gabriele Condolmerio, il quale era Nobi-
„ le Nostro (erat ex popularibus familiis) chiamato Euge-
„ nio IV.... E' da sapere, che il Papa tolse per suoi Audi-
„ tori tre Veneziani e Referendarii Don Filippo (Blasius ut
„ ex Diplomatibus patet) da Molino Patriarca di Grado Don
„ Fr. Giovanni Benedetto quondam Ser Pietro dell'Ordine
„ de Predicatori Vescovo di Trevigi, e Don Giovanni Con-
„ tarini quomdam Ser Marco Patriarca di Costantinopoli."

Splendidius etiam officium ei contulit Eugenius, suum namque & Apostolicæ Sedis Nuntium apud Venetos constituit, quo munere dum fungeretur anno MCCCCXXXV. unionem Monasterii Ammianensis Monialium Ss. Marci & Christinæ cum Torcellano Monasterio Monialium S. Antonii Abbatis a Philippo Paruta Episcopo Torcellano pridem peractam confirmavit, ea authoritate, quam sibi Delegato Apostolico tradiderat Eugenius Pontifex diplomate ejusdem anni, diei vero xx. Junii, ut videre est in Ecclesiis Torcellanis Illustratis ad Monasterium S. Antonii pag. 147. & 164. ubi Episcopale Joannis Decretum affertur latum die XVI. Septembris superius enuntiati anni MCCCCXXXV. in cujus Decreti initio hæc habentur : „ Universis & singulis præsentes litteras seu præsens pu-
„ blicum Instrumentum inspecturis Johannes Dei, & Aposto-
„ licæ Sedis gratia Episcopus Tervisinus Judex & executor ad
„ infrascripta a Sede Apostolica specialiter deputatus &c. Da-
„ tum & Actum Muriani in domibus nostræ habitationis in
„ contrata Sanctæ Mariæ de dicto Muriano Torcellanæ Dio-
„ cesis ubi habitamus in legatione nostra Summi Pontificis
„ ad Serenissimam, & Illustrissimam Dominationem Veneto-
„ rum præsentibus discretis & religiosis viris Bartholomæo Ni-
„ colai Novello de Venetiis Francisco Lazari de Muriano &
„ Johanne Astantii de Scarabellis testibus ad hæc vocatis spe-
„ cialiter & rogatis. Sub anno Nativitatis Domini 1435. In-

„ dictione XIII. die vero 16. mensis Septembris Pontificatus „ præfati Domini nostri Papæ anno Quinto. “

Eodem anno exeunte die XI. Octobris alias tum ad Joannem Tarvisinum, tum ad Philippum Parutam Torcellanum, & ad S. Laurentium Justinianum Castellanum Episcopos epistolas dedit Eugenius Papa eis committens, ut Corpus S. Christinæ Virginis & Martyris ex desolato Monasterio S. Marci de Ammiano ad Monasterium S. Antonii de Torcello solemni indicta supplicatione transferrent, & ibidem venerabili & congruo loco reconderent. Diploma Pontificium allatum fuit libro superius cit. pag. 178.

Interea dum Legationis munus apud Venetos ageret Joannes, nonnulli ex Patribus Basileensis Synodi iniquum aliquid contra Eugenium Papam moliebantur, qui ad eorum evitandas insidias Bononiam adventavit. Ibi cum ad eum accessisset Joannes Episcopus Tarvisinus gravi morbo correptus ad cælum evolavit die XIV. Aprilis anno MCCCCXXXVII. Emortualem Venerabilis Antistitis diem nos edocet ejus Clarissimus in Episcopatu successor Ludovicus Barbus, qui cum per ea tempora Bononiæ apud Pontificem degeret, Episcopus Tarvisinus, loco defuncti Joannis renuntiatus fuit, ut ipse refert in Historia a se concinnata: *De initio & progressu Congregationis Benedictinæ Sanctæ Justinæ de Padua*. In eo opusculo, quod vulgavit Clar. Bernardus Pez Tom. II. Thesauri Anecdoctorum Novissimi Parte III. sic legitur cap. XII. col. 305. „ Contigit, veneratione dignum Dominum Johannem Benedicto Episcopum „ Tarvisinum, Dominico die 1437. decimoquarto Mensis A- „ prilis, ex hoc misero sæculo emigrasse. Die vero lunæ im- „ mediate sequenti in Concistorio secreto ipsum Abbatem San- „ ctæ Justinæ, “ (Ludovicum Barbo opusculi Authorem) motu proprio (Eugenius IV.) in Episcopum Tarvisinum promovit. Annus 1437. notatus erat littera Dominic. F. ex quo cognovimus diem XII. Aprilis cum die Dominicæ omnino convenire. Ex fideli hac & accurata Ludovici assertione corrigendus erit error Exscriptoris, qui in editione Conciliorum Tom. XVIII. pag. 893. inter alios Episcopos, qui inchoationi Concilii Ferrariensis interfuerunt die VIII. Januarii anni MCCCCXXXVIII. Joannem Tarvisinum enuntiat. Dubium omne, si quod superesset, amollitur Potificium Eugenii IV. Diploma, quod in

Ar-

Archivo Capitulari aſſervatur & in Veneta editione Statuti Tarviſini anni 1574. relatum eſt, Volum. III. pag. 71. in quo quidem Diplomate quod Datum fuit *Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo Kal. Octobris Pontificatus anno ſeptimo* nominatur Ludovicus Barbus Epiſc. Tarv.

Eugenii Papæ IV. Diploma, quo Hoſpitale Sancti Jacobi de Schiriali nuncupatum Eccleſiæ Tarviſinæ ad Clericorum Scholarium ſubſtentationem unitum fuit, ex Archivio Cathedralis proferimus, ut ex ipſo emendari poſſint innumeri errores, quibus ſcatet exemplum in Statuti Tarviſini editione vulgatum.

„ *Bulla Unionis perpetue Hoſpitalis Sancti Jacobi de Schiriali Ca-*
„ *nipæ Eccleſiæ Terviſinæ una cum perpetua Præbenda Vicaria*
„ *nuncupata in Eccleſia Tarviſina.*

„ Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei
„ memoriam injunctum Nobis deſuper quo Univerſis Orbis
„ Eccleſiis aſtringimur Apoſtolice ſervitutis officium ſedula
„ Nos inſtantia perurget, ut illarum jugiter intendere profe-
„ ctibus & ut earum propagentur Decus & honor in ipſis quo-
„ que Divini cultus incrementa ſuccedant, prout expedire
„ conſpicimus ſalubriter providere. Cum itaque ſicut accepi-
„ mus, Hoſpitale, ſive domus Leproſorum prope muros Tarvi-
„ ſinorum cui Eccleſia Sancti Jacobi de Schiriali & prope di-
„ ctos Muros canonice anexa eſt, & quod ſemper ſecularibus
„ in titulum perpetui Beneficii Eccleſiaſtici aſſignari conſue-
„ verat, ac quondam Chriſtophorus de Rhana de Venetiis
„ ipſius Hoſpitalis, ſive Domus Leproſorum prope muros Re-
„ ctor dum viveret obtinebat per obitum ejuſdem Chriſtopho-
„ ri, qui extra Romanam Curiam deceſſit, vacaverit, & va-
„ cet ad preſens, ac Venerabilis Frater Noſter Ludovicus E-
„ piſcopus Tarviſinus ſummis affectibus proſequatur, quod in
„ Eccleſia Tarviſina, cui preeſt, ad illius venuſtatem, & ho-
„ norem duodecim Scholarium, qui in Gramaticalibus, & can-
„ tu prout congruit inſtructi una cum ipſorum Magiſtro Di-
„ vinis ibidem habeant Officiis intereſſe, numerus exiſtat.
„ Nos affectus hujuſmodi plurimum in Domino commendan-

„ tes,

„ tes, & ut optati fructus inde proveniant, Apostolicos volentes impartiri favores motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblate petitionis instantia, sed de Nostra mera liberalitate Hospitale sive domum hujusmodi, cui centum, & viginti, nec non perpetua Præbenda Vicaria nuncupata in dicta Ecclesia Tarvisina, quam Dilectus Filius Symon de Vivianis de Venetiis obtinet, & cujus octuaginta ducatorum auri fructus redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum ut etiam accepimus non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis suis Canipæ ipsius Ecclesiæ Tarvisinæ ad usus Magistri, nec non Scholarium prædictorum perpetuo authoritate Apostolica incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod liceat Massario dictæ Canipæ pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios Hospitalis, sive Domus sic ut premittitur, vel alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem alicujus de illo vel illa extra Rom. Curiam, & coram Notario pubblico & Testibus sponte factam vacet, etsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, nec non Hospitale, seu Domus hujusmodi dispositioni Apostolicæ specialiter reservatum vel reservata sit, & super eo vel illa inter aliquos lis, cujus statum pro expresso præsentibus haberi volumus, indecisa pendeat ex nunc, alioquin quamprimum illud vel illa, & etiam Prebenda dum ipsam per cessum vel decessum aut alias quovis modo vacare contingerit, juriumque & pertinentiarum predictorum corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere, nec non Hospitalis, sive Domus illa valeat, quod subportatis oneribus & ea, qui pro receptione, & susitentatione Leprosorum, & pauperum inibi pro tempore confluentium incumbentibus oneribus supererunt, nec non Prebendæ fructus redditus & proventus hujusmodi in premissos usus convertere, ac etiam deputare, Diocesani loci, & alterius cujusvis super hoc licentia minime requisita. Rursus eidem Episcopo convenientia, de quibus sibi videbitur ordinationes, & Statuta per quem velit, vel quos dicti Magister, & Scholares inibi successu temporis assumi nec non istitui, & destitui, qualiter vero, & de quibus, ac ubi vivere, & quomodo in

„ Ec-

„ Ecclesia Tarvisina prefata, nec non extra illam exercere debeant eadem auctoritate faciendi, ac omnia alia, & singula, quæ in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, vel opportuna fuerint disponendi & exequendi plenam, & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Propterea incorporationes, annexiones, & uniones hujusmodi perpetuam roboris obtineant firmitatem; motu simili volumus, & eadem auctoritate decernimus quod incorporationes, annexiones, & uniones prædictæ nisi de illis specialis, & expressa mentio fiat sub quibusvis revocationibus per Nos, vel Successores Nostros Romanos Pontifices de incorporationibus, annexionibus, & unionibus sub quacumque forma faciendis nullatenus comprehendantur, sed nihilominus illi juribus subsistant perinde in omnibus, & per omnia, ac si revocationes hujusmodi minime fierent, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris Nostri, ac aliis Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, nec non dictæ Ecclesie Tarvisine, Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem & Decretum vel alias quomodolibet sit Processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, ac quorumcumque inde secuta ad Hospitale sive Domum & Præbendarum hujusmodi volumus non extendi sed nullum per hoc eis quoad assequutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, ac Litteris Apostolicis generalibus, & specialibus quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris Litteris mentio Specialis. Volumus autem quod idem Massarius si & postquam incorporationes, annexiones, & uniones per Nos factæ hujusmodi effectum sortitæ fuerint premissa, nec non ratione dictæ Præbendæ incumbentia pro tempore onera subportare debeat, ac teneatur. Et insuper

„ ex

„ ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super hiis „ a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attemptari. Nulii ergo omnino Hominum liceat „ hanc paginam Nostræ incorporationis, annexionis, unionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu „ temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragentesimo trigesimo septimo. VII. Kal. Octobris Pontificatus Nostri anno VII.

„ Gratis de mandato D. „ N. Papæ Jo: de „ Stercariis.

Gratis de mandato D. N. Papæ Petrus de Vivianis.

„ Ego Præsbiter Petrus Benedictus Archidiaconus & Canonicus ac Massarius Capituli Tarvisini fideliter accopiavi dictam gratiam de Verbo ad Verbum prout stabat in 1438. „ die XIII. Januarii.

In eadem autem Bononiæ Urbe, in qua diem suum clausit extremum Joannes Benedicto Episcopus Ecclesiasticæ sepulturæ demandatus fuit in Ecclesia S. Dominici, in qua etiamnum visitur emortualis lapidea epigraphe ipsius tumulo super imposita. In ea frequentis populis pedibus attrita, hæc verba supersunt.

PATRITIÆ VENETUS GENTIS
BENEDICTE IOANNES QVI
TARVISINÆ PRÆFVIT
ECCLESIÆ.
QVI PRIVS OBLATOS (1) ....
....
.... REQVIESCIT MARMO-
RE POSTQUAM: REDDIDIT
AVCTORI DEBITA IVRA SVO

Interea dum Bononiæ defuncti Joannis Episcopi funus pro dignitate & merito viri curatur, ejusque sepultura epigraphe mar-

(1) Fortasse innuit oblatum Joanni Benedicto Patriarcatum Gradensem.

marmorea decoratur; Tarvisii, ubi delatum fuerat triste nuntium. *Nobiles & Egregii viri Antonius & Marcus de Azonibus de Tarvisio fratres Avogarii defensores ac conservatores Jurium, & bonorum Episcopatus Tarvisinæ Ecclesiæ secundum antiquam* consuetudinem inventarium omnium bonorum mobilium confici jusserunt die XVIII. mensis ejusdem, quarta nempe ab obitu Episcopi transeunte die. Ex eo mobilium rerum inventario, (quod tædium esset hic afferre) non obscure deprehenditur, quantum Regularis paupertatis etiam in Episcopali dignitate tenax fuerit optimus Præsul, siquidem præter undecim chocleatia & tres fuscinulas ex argento nihil inventum est in ipsius rebus, quod pretiosum esset, aut magnificum.

Inventarii documentum ommissa rerum mobilium inutili serie ex autographo damus ad lectorum eruditionem.

„ In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo trigesimo septimo Indictione quintadecima die Jovis decimo octavo mensis Aprilis Tarvisii in Episcopali Palatio Præsentibus Venerabili Viro D. Præsbytero Zananthonio Plebano pro dimidia Ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ de Dom. de Tervisio Egregiis & famosissimis Doctoribus Domino Hieronymo de Perseginis de Civitate Belluni judice Malleficiorum Magnifici & generosi Viri Domini Laurentii Fuschareno de Ducali mandato Communis Venetiarum Civitatis Tervisii onorabilis Potestatis & Capitanei Domino Zanpetro de Prato Nob. Vir. Domino Hieronymo de Barisanis ac prudente Viro s. Zanbonino de Scolaribus Civibus & habitatoribus Tervisii testibus & aliis. Vacante Sede Episcopali Tervisina per mortem bonæ memoriæ Rev. in Christo Patris Domini D. Johannis Benedicto de Venetiis Dei & Apostolicæ Sedis gratia olim Episcopi Tervisini, qui die Dominico quartodecimo mensis instantis ut asseritur in Bononia diem suum clausit extremum Spectabiles & Egregii Viri Dominus Antonius & Dominus Marcus de Azzonibus de Tervisio Fratres Avogarii dignissimi Tervisini & defensores ac Conservatores jurium & bonorum Episcopatus Tervisinæ Ecclesiæ filii qu. spectabilis & generosi Viri Domini Altinerii de Azzonibus volentes & intendentes juxta formam eorum juramenti alias sibi prestiti, ac secundum antiquam, & laudabilem consuetudinem a longo jam tempore

„ in similibus per Avogarios Tervisinos eorum Predecessores
„ hactenus observatam defendere manutenere, & conservare
„ bona, res, & jura ipsius Episcopatus & Ecclesiæ Tervisinæ
„ ne diminuantur distrahantur, nec modo aliquo dilapidentur,
„ dicta Sede Episcopali vacante, sed potius cupientes ipsa bo-
„ na res & jura augere & conservare pro eorum posse in Epi-
„ copatum Tervisii intraverunt & presens inventarium om-
„ nium & singulorum bonorum mobilium & jurium ipsius
„ Episcopatus tunc temporis in eodem inventorum & eis con-
„ signatorum per prudentem Virum Ser Zandonatum de Co-
„ rona Notarium factorem & procuratorem præfati Domini
„ Episcopi Tervisini in hunc modum facere procuraverunt &
„ fecerunt quæ qui dem bona mobilia dicti Episcopatus præ-
„ fati Domini Avogarii describi fecerunt in presentia Testium
„ suprascriptorum per me notarium infrascriptum prout infe-
„ rius continetur.

Omissa rerum mobilium enumeratione.

„ Ego Johannes Antonius Filius qu. Ser Bartholomæi Bas-
„ sis de Scandolaria publicus Imperiali auctoritate Notarius
„ Civis, Incolaque Tervisii predicti omnibus & singulis inter-
„ fui eaque rogatus scribere scripsi.

Præter eas, quas superius enuntiavimus dignitates Patriarcalem scilicet Gradus, Archiepiscopalem Ravennæ, & Episcopalem Tarvisii, ad quas vel dicitur, vel fuit electus Joannes de Benedictis, aliam quoque refert Clar. Vir. Daniel Farlatus in suo Illirici Sacri laudatissimo opere Tom. I. Archiepiscopatum nempe Spalatensem, cujus titulo decoratum fuisse affert Ioannem de Benedictis. Dum itaque supralaudatus Author Catalogos quosdam vulgat Episcoporum Salonitanorum & Spalatensium, tertio loco Catalogum exhibet, quem Romanum ideo vocat, quod in eo recenseantur *Pontifices Salonitani & Spalatenses a quodam Dalmata ex Archivis Romanis collecti*; quos inter Ioannes de Benedictis effertur his verbis.

„ Vacat Sedes ab anno 1408. usque ad annum 1813. se-
„ dentibus Gregorio XII. Alexandro V. Ioanne XXIII. impe-
„ rante in Oriente Ioanne VI. Palæologo Rege Hungariæ
„ Sigismundo Brandeburgico; Duce Venetorum Michaele
„ Steno.

„ Ioan-

„ Ioannes XI. de Benedictis Patritius Venetus ex Ordine
„ Prædicatorum Archiepiscopus Spalatensis XLI. electi nomen
„ obtinuit ab anno 1410. ad 1418. sedentibus Ioanne XXIII.
„ Marti no V. imperante in Oriente Ioanne VI. Palæogolo,
„ Rege Hungariæ Sigismundo Augusto, Ducibus Venetorum
„ Michae le Steno, Thoma Mocenico".

Antistitum Spalatensium seriem, autumat Farlatus, ab anonymo Dalmata collectam fuisse, *qui Romæ cum esset, nomina omnium Episcoporum, qui Salone vel Spalati Pontificatum gesserunt e tabulariis Romanis haud majori studio & labore, quam fide, & diligentia collegit*. Minori tamen diligentia Ioannem nostrum in Archiepiscoporum serie intrusum fuisse facile comperimus ex iis quæ jam in lucem eduximus, documentis, in quibus Ioannes sæpe sæpius legitur solo Fratris titulo decoratus. Patet etiam & ex aliis tribus a Farlato allatis Antistitum Spalatensium Catalogis, quorum nullus Ioannem exhibet, quinimmo tempus ejus asserti Pontificatus alio Episcopo assignat.

Hæc de Joanne Benedicto hac illac dispersa documenta, & in variis delitescentia Archivis non mediocri labore collegi, & in Chronologicam (quantum fas fuit) seriem disposui, eo potissimum consilio, ut prælo vulgata Optimi Præsulis memoriam jam ferme deperditam ab injuriis temporum tueretur, ejusque pietas & fervens restaurandæ disciplinæ zelus a posteris celebraretur, præcipue tamen ab Ecclesiæ pastoribus, qui ipsius virtutes sibi proponere possint ad imitandum.

DE
FRANCISCO FUSCARO
DUCE VENETIARUM.





D E
FRANCISCO FUSCARO
DUCE VENETIARUM.



Uamvis ex omnigena Historia plurimum voluptatis capere liceat, dum rerum humanarum vices, & casus varios, tum hominum clarissimorum consilia & res gestas addiscimus, tamen illud præ cæteris historiæ genus eruditorum animos singulari jucunditate perfundit, quod quidquid exhibet, monumentis ex antiquitate depromptis veluti quodam præsidio & ineluctabili veritatis testimonio confirmat. Hanc historiæ conscribendæ methodum ætas proxime elapsa feliciter invexit, nostra hæc libenter amplexa est, & studiosissime auxit. Ea de caussa litteratorum Reipublicæ nihil accidere potest jucundius, quam si eventus aliquis singularis, qui ex scriptorum calamo vel minus recte prodiit vel nimis jejune, Critices studio & ope documentorum integer ad veri formam restituatur.

Quæ res cum ita se habeat, pergratum fore historiæ criticæ amatoribus reor, si ex fastis Venetæ Reipublicæ tale aliquid proferam, cuiusmodi est Francisci Foscari Ducis seculo XV. peracta exhautoratio, & de sublimi gradu dejectio. Vir erat cæteroquin egregius, & ut de eo scribit Flavius Blondus, *omni virtutum præterquam litterarum gloria ornatissimus*, quem egregia in patriam merita commendabant, quique in tanto honoris culmine Rempublicam consilio, experientia, animi magnitudine atque constantia mirifice iuverat, & diuturno eoque felici

felici regimine, clariori fama, & ampliori imperio ditaverat.

Non igitur inutile opus exequar ea solum afferendo, quæ de tanti eventus caussis, & adiunctis, unanimiter litteris consignarunt fere omnes Veneti extraneique scriptores, sed potius remota principia Alexandri Mariæ Vianolii; Vitis Ducum Venetorum, atque ex antiquis mss. deprompta, & peractæ exhautorationis documenta in medium proferam, ut ex ipsarum Fide rei veritas & origo elucescat; quandoque enim factum est in Rebuspublicis maxime liberis, ut præstantissimos cives privatæ simultates deprimerent, & amor patriæ publicumque bonum altero quoque verbo iactarentur, ut exinde fas sit tectis odii invidiæve affectibus indulgere.

Itaque non abludet a vero, qui infortunium clarissimi Principis annum quartum supra trigesimum Rempublicam administrantis, à privatis odiis, atque (ut notat Joannes Baptista Egnatius in exemplis Illustrium Virorum) *à paucorum certe invidia* originem duxisse autumet, quamvis id prætexerent, gravissimis Reipublicæ temporibus consulendum esse, ne quid ipsa caperet detrimenti, idcirco caput illi præficiendum non annis imbecille & senio fractum, sed quod integris animi viribus, & alacri mentis consilio præesse posset, & quæ e re essent publica providere.

Memorabilem adeo eventum, & cui parem alium Veneti per tot florentis Reipublicæ sæcula non viderunt, aggredior nova luce donatum proferre, additis scilicet notitiis duabus, quæ curiosis hominibus & eruditis non iniucundæ esse poterunt. Altera earum caussas privatas complectitur, quæ ducem inclitum in discrimen primo, deinde in ruinam adduxerunt, & quas recensuit supracitatus Vianolus attigitque leviter Joannes Palatius in fastis Ducalibus, altera vero documenta continet, decreta scilicet Xvirum Capitalium, quæ in funesta Ducis deiectione prodierunt. Ipsa rerum enarratio Lectores in hanc cogitationem adducet, nihil esse quod intentatum relinquant inordinati animi motus, nisi opportune cohibeantur, tum rebus humanis nihil omnino esse fidendum, dum ornatissimum Ducem videmus per lustra fere septem de universa Republica egregie meritum ad privatas tandem ædes invitum & inglorium traduci.

Quamvis

Quamvis autem id præcipue rei, Ducis scilicet depositionem in hisce concinnandis memoriis præ oculis habuerim, nonnulla alia etiam de ipsius vita levi calamo attingere statui, paucisque, quantum fas erit, verbis sagacitatem ejus qua Divi Marci Procurator primum, mox universæ Reipublicæ Dux evasit, constantiam animi in perferendis filiorum infortuniis cæterosque vitæ ipsius eventus commemorabo. Ea autem quæ in longa adeo dignitatis suæ periodo in Reipublicæ administratione, seu terrestria maritimaque bella, seu politica quævis alia negotia evenerunt, cum in Venetis & extraneis Historiis fuse narrentur, consulto fere intacta prætermittam, sat enim erit, si illa, quæ in vitæ ejus eventibus nova sæpenumero occurrunt fortunæ adversantis exempla proferam & illustrem, in quibus ita fuit sibi animo præsens, ut publica consilia & principis dignitatem ne verbo quidem læserit. Vitam seu potius, ut verius dicam, ipsius elogium contexuit Æneas Sylvius Piccolomineus amœnioris primum ingenii scriptor, mox Sancti Consilii Pontifex Maximus Pius II. in Petri sede nuncupatus, quod in ms. simul cum aliis asservatur in Bibliothecæ Vaticanæ signato num. 3887. Pauca ex ipso haurire licuit instituto meo opportuna, quæ suis locis aptavi, siquidem Æneas epitomen potius rerum sub ejus Principatu actarum, quam Francisci gesta disposuit. Verum his prætermissis, quæ Venetorum universitatem respiciunt, peculiaria ac propria Francisci Ducis gesta in lucem proferre aggredior, ex quorum relatione dignum profecto laude, & admiratione videbitur, virum ætate ac meritis plenum ad tot angustias fortiter superandas e sua unice virtute hausisse solatium. Rem itaque exordior. Franciscus e Nicolao Foscaro tunc temporis extra Urbem Venetiarum exule natus est circa annum Domini 1374., quem patriæ suæ Principem aliquando futurum quidam Ægyptius Eremita Nicolao Patri de filii sui sorte sciscitanti vaticinatus est, ut refert in Historia de Europa Æneas Sylvius Piccolomineus postea Pius Papa II. hæc cap. L. scribens: *Ejus* (Francisci Foscari) *pater in Ægypto negotiatus cum prophetam regionis illius quempiam de futuris interrogasset, responsum ab illo accepit, filium sibi esse, qui aliquando suæ civitatis Principatum assequeretur*. Mox eadem ipse Æneas repetit Historiæ citatæ cap. LIX., ubi gesta Eugenii Papæ IV. compendiose afferens, ait; *Hujus* (Eugenii IV.) *pater cum*

M *in*

in Ægypto negotiaretur cum Patre Francisci Foscari (de quo jam mentio facta est) ab Eremita , quem pariter sciscitandum adorsi sunt , non minus lætum vaticinium , quam ille accepit . Ille enim filium , quem habebat , futurum patriæ principem , hic suum inter Sacerdotes ad summum evasurum didicerat . Nicolaum Patrem & Joannem Francisci Ducis Avum memoravit amplissimis verbis Bernardus Justinianus in funebri oratione, quam de ipso Francisco habuit coram ejus successore Paschali Maripetro : *Magna in eo viro magno fuere nomina , sapientia domus spetialiter habita , digna jampridem gentili Duce . Siquidem Joannes Avus maximis in rebus versatus amplissimis legationibus terra marique functus , quod Nicolaus Pater qui cum summas in nostris Urbibus* præfecturas , tum omnes fere honorum gradus , de quibus deinde inferius sermo erit , *in hac civitate est assequutus*. Nec abs re erit hoc loco causam afferre , cur Nicolaus Foscarus circa ea tempora ab Urbe exularet, quo infortunio non ipse solum, sed etiam Joannes Pater , & universa familia , ut notat Egnatius , afflicta erat . Rem fuse enarrat Caroldus in suo Chronico ms. libro IX. & X. quam compendio usi exhibemus. Anno 1377. quo tempore Reipublicæ præerat Dux Marcus Cornelius, cum inter Dominium Venetiarum, & Paulum Foscarum Episcopum Castellanum ob decimas (ut vocabant) mortuorum exortæ fuissent acres controversiæ, Episcopus vir ferocis ingenii Avenionem se contulit ad Urbanum V. Venetos Patres insimulans, tum quod sibi debitos redditus denegarent, tum quod Ecclesiam Sancti Marci ab Episcopi jurisdictione injurie vellent immunem. Quum autem ad omnia hæc validissimis rationibus reposuisset Senatus, nec tamen ab injustis molestiis abstineret Episcopus, ut suorum calamitate motus resipisceret, Joannem Patrem, Nicolaum fratrem Episcopi , cæterosque ejus familiæ viros in exilium ire compulit, a quo deinde post Episcopi obitum revocati fuerunt anno 1377. Duce Andrea Contareno.

Cum Nicolao patre in publicam gratiam restituto etiam Franciscus filius adolescens Venetias venit, ubi præclara specie, & morum suavitate sibi omnium demeruit amorem, & Andreæ (eum vocat Nicolaum Egnatius) Prioli præsertim viri Nobilis æque ac divitis , qui cum Franciscum frequens ad mensam exciperet, alacre ingenium, & indolem juvenis admira-

mira-

miratus filiam suam Mariam nomine ampla præditam dote ei in uxorem concessit. Rem fuse enarrat Joannes Baptista Egnatius in exemplis Illustrium virorum lib. III. cap. I. *Eluxit in hoc adolescente* (Francisco Foscaro) *tantum virtutis specimen, tantaque indoles ingeniique vis, ut quum non multo ante Foscara familia revocata ab exilio foret, in qua natus tunc esset Franciscus Foscarus re familiari non admodum opima, & grandi, tunc adolescens Rivoaltum de civitatis more ad mensam Priulam, quæ tunc celeberrima in urbe haberetur, frequens adiret, quem intuitus Nicolaus Priolus.* (ex regestis Archivi Familiæ Foscaræ de confinio Sancti Pantaleonis repetito legitur: 1395. Maria figlia de ser Andrea de Prioli dal Banco.) *mensæ præfectus, totiusque oris specimen admiratus, sermonemque cum eo frequentiorem conferens, non dubitavit ejus animum attentare, an de uxore ducenda quandoque cogitaret. Cæterum quum ille respondisset, nec rem sibi ampliorem esse, nec eam ætatem, quæ satis esse videretur uxori ducendæ, liberisque gignendis, postremo conditionem illi obtulit sese illi filiam suam daturum, quod ille admiratus, illudique sese suspicans: utinam, inquit, dignus essem tanta cognationis amplitudine, quæ me & reliquam familiam in primis honestaret, atqui non multis post diebus, amicis affinibusque advocatis, totiusque rei consilio patefacto filiam Francisco despondit superaddita dote pro tempore satis ampla, ex qua affinitate celebrior mox factus ad summum dignitatis gradum propter singulares ejus virtutes est advectus.*

Præclaræ igitur hujus affinitatis subsidio suffultus, eximiaque ingenii vi præditus, Franciscus interna Reipublicæ munia in ipso juventutis flore, subire non recusavit; quæ quidem, ætate quamvis nondum honoribus matura, ab eo consequuta fuisse testatur Bernardus Justinianus in oratione funebri, quam in ejus exequiis solemnem coram Principe & Senatu habuit. Hæc sunt ejus verba: *At dicere recensendo possim cum septimum & XX. annum ageret, inter XL. viros deligitur triennio ante legitimam ætatem, ex quo consilio aditus illi patuit in Senatum. Accidit autem eo tempore ut Franciscus secundus Patavij Dominus Scalensem bello diuturno confractum Veronæ dominatu pelleret: Vincentia vero urbs Carrario nomini specialiter infesta committeret sese fidei vestræ, id Carrarius tanta accepit cum indignatione, ut immemor beneficiorum in se majoresque suos patr. quam avus atavusque similior: bellum per tubicinem vobis indixerit.*

M 2 *Cum.*

Cum segnius fere collegium videretur quam gravitas injuriæ dignitasque Veneta deposceret, maximum tum præbuit Franciscus specimen futuræ tum sapientiæ tum felicitatis, causam enim sumpsit honoris publici, cumque princeps consilii XL. esset electus persuasit ut bellum fortiter magnanimeque susciperetur. Fuit enim eloquentia a natura, admirabili. Bellum igitur adversus Carrarienses Francisci potissimum consilio susceptum fuit, quod testatum etiam legimus in accurato Chronico MSS. ubi hæc habentur.

Nel 1401. fu deliberado d' accettar Vicenza, e levade l' insegne de S. Marco fù manda un Ambassata à Padova à far intender à quel Signor, che Vicenza era della Signoria, e che se levasse da quell' impresa altramente che sarebbe guerra. Zonto el Trombetta à Padova e fatta l' Ambassata rispose quel Signor che Veneziani andassero a pescar e che non s' impazzassero in simil cose; la qual risposta molto dispiaque, onde chiamado Pregadi per deliberar se se dovesse far guerra, ò no, & essendo Capo de 40. miss. Francesco Foscari che poi fù Dose, confortato dal Dose, solo messe la parte de far guerra, . . . onde cazzadi quelli, che havevano à far col Signor de Padoa, e mandata per detto miss. Francesco Foscari la parte fu preso d' una balotta di tuor detta impresa, e così fu mossa la guerra, sopra la qual si stette doi

Anno MCCCCI. Statutum fuit Vicentiam in potestatem recipere, erectoque Sancti Marci vexillo, fecialem Patavium mittere, qui Francisco Carrariensi Patavii Domino, nuntiaret Vicentiam Venetis se subdidisse, ideoque ab ejus oppugnatione desisteret, ne in se arma Reipublicæ provocaret. Re per fecialem accepta Carrariensis reposuit, Venetis ad piscationes incumbendum esse, neque se in negotiis hujusmodi ingerere debere. Elatum viri responsum Dominio molestum nimis evasit, quapropter P. C. (Conseglio de Pregadi vulgo vocant) convocatis actum est anne bellum Carrariensi inferrendum esset. Quum autem eo tempore XL. virorum consilio ad criminalia deputato Præses (Cao de XL.) esset Franciscus Foscarus postea Dux Venetiarum, solus Ducis hortatus (erat is Michael Steno) propositionem obtulit de bello inferendo.... ea propter e Senatu expulsis iis quibus cum Carrariensi negotia erant, propositaque Foscari sententia, decretum fuit

anni

anni avanti che s' avesse Padoa.

unico suffragio præponderante eam provinciam suscipere. Ea itaque ratione bellum susceptum fuit, quo ad biennium perducto Patavium Venetę ditioni accessit.

Ex hoc principio (sequitur in citata oratione prælaudatus Bernardus Justinianus) *paucis deinde gradibus ad Principatum ascendit; quamprimum enim deligitur in legum advocationem annum natus primum & trigesimum totius consensu civitatis, inter digniores annumeratur magistratus: accidit autem insolita antea res, quam profecto præteriri non decet ut Nicolao clarissimo Parenti* (qui & Advocatoris Communis & Sapientis Consilii dignitates in Patria, Corphiensem vero, & Patavinam Præturas foris administravit) *sufficeretur, dignum sane tali parente filium, felicem tali filio parentem, laudemne prius fortunam, ut filius patri succederet, an virtutem ut sapientissimo parenti filius juvenis conferretur, an potius virtutem pariter & fortunam ut & filius parentem virtute superaret, & pater posset superatum se a filio gloriari.* Eo in officio *avariores Magistratus compescuit, peculatum coercuit, negligentiores mulctavit, civem potentissimum opulentissimumque pecunia carcere damnavit. Senatus Princeps declaratur. Is est Magistratus, cujus sapientiæ* (Veneti hos vocant Sapientes Consilii seu sapientes magnos) *publica omnia regenda demandantur. Leguntur in eum ordinem præstantissimi quique, qui tum ætate tum longo rerum usu, & magnarum tractatione rerum cæteris præstant. Et tamen viridi adhuc ætate cum inter illam canitiem visus est, idest inter natu longe majores, viro quod annis deerat supplevit sapientia.*

Egregia adeo quum de prudentia ingenioque suo in Reipublicæ internis officiis argumenta præstitisset Franciscus, externis quoque jam maturus ad Legationes pro Republica apud Summos Principes obeundas assumitur, cum tamen Veronensem, Patavinam & Cretensem Præturas prius recusasset, *quamvis*, ut testatur prælaudatus Justinianus, *provinciarum administratio opes iis temporibus maxime augeret, & dignitatem.* Cum enim *natum se non opibus augendis existimaret, neque uni Reipublicæ curandæ parti, maluit in oculis hominum versari, ut* a Veneti *Imperii gubernaculis non discederet.* Inter ea autem munera, quæ foris gessit, adnumerat Paulus Maurocenus Hist. Venet. Lib.

Lib. XVIII. Mantuani Principatus administrationem, quam pro juvene Mantuæ Principe Joanne Francisco Gonzaga, qui sub Venetæ Reipublicæ tutela a patre moriente constitutus fuerat, Senatu mandante suscepit anno MCCCCVI. *Venne poco doppo à morte Francesco Gonzaga Marchese di Mantova, e lasciato picolo figliolo di dodeci anni lo raccomandò alla protezione della Republica. Li Mantoani diedero col mezzo de loro Ambasciatori di ciò conto, e fu mandato per il governo della Città Francesco Foscari, che fu poi Doge, e per custodia e difesa con* 150. *Cavalli per ciascuno Geronimo Contarini e Polo Querini*.

Diversa tamen scribit in suo Chronico Marinus Sanutus Rerum Italic. Tom. XXII. col. 837. dum Franciscum Foscarum (vulgo Franzi pro Francisco vocatum) seniorem, Francisci postea Ducis Patruum Mantuam missum scribit, ut eam Civitatem juvenis Principis nomine administraret. *Fu preso in Pregadi di mandar à Mantova uno che governasse quella Città e il figliuolo . . . e fu eletto Franzi Foscari*; qui, ut mox dicemus, Consiliarii deinde munus gerens anno 1423. nepotem suum Franciscum in Ducatus possessionem induxit. Et quidem verosimilius videtur ad adolescentis Principis educationem curandam, atque ad alieni Principatus regimen destinatum fuisse virum prudentia quidem ornatum, sed ætate etiam maturum, cujus rei ita actæ pro argumento est silentium Oratoris prælaudati, Bernardi scilicet Justiniani, qui honores officiaque Francisci Ducis recensens, tutelam & gubernationem hanc tacitus prætermisit, statimque post Venetos Magistratus Legationes enuntiat, quas publico nomine apud maximos Principes gerere visus fuit.

Primam recenset Sanutus in Chron. col. 842. ad annum 1408.; quum enim Parmenses post sævissimam Ottoboni de Tertiis ipsorum Tyranni necem Sancti Marci Evangelistæ Venetiarum Patroni insignia publice in urbe elevassent, missus fuit ad populum Parmensem Legatus Franciscus Foscarus, qui non diu post, quum inter Rempublicam Venetam, & Marchionem Ferrariæ initæ fuissent pacis conditiones, in patriam rediit. Rem sic enarrat Sanutus: „ Le Città di Parma e di „ Reggio che furono d' Ottobuono Terzo dopo la sua mor- „ te levarono San Marco, & il Marchese di Ferrara tolse „ due Castelli sul Parmigiano... Pare che rimanesse Signore

„ in

„ in Parma doppo la morte d' Ottobuono Messer Jacopo
„ Terzo suo Fratello. Tamen il Popolo volea la Signoria..
„ Furono mandati due Ambasciatori, à Ferrara Giorgio Cornaro di ser Andrea, & à Parma Francesco Foscari. Quello che andò à Ferrara protestò al Marchese che si levasse dall' impresa di Parma atteso ch' essa avea levato San Marco... Ma il detto Marchese Niccolò tolse Parma, e mando Ambasciatori alla Signoria per trattare accordo. E fu concluso che la Signoria avesse quattro Castelli sul Pò Guastalla, Brescello, Casal Maggiore, e Colornio, e che il detto Marchese abbia Parma, e Reggio. E così fu fatto ritornare Francesco Foscari, che andò à Parma, come ho detto. Apud Sigismundum Imperatorem & Hungariæ Regem Legationem deinde egit; quum enim per Carsios saltus ipse Cæsar cum quadraginta, (ut aliqui scribunt) Barbarorum millibus in Italiam descendisset, & Venetorum, quos oderat, ditionem sævissime vastasset, Senatus comparatis copiis feros ipsius impetus primum compressit, mox Cremonam quo ipse, & Joannes Papa XXIII. accesserant, tres eximii nominis Cives ad eum pacis intuitu destinavit, Thomam scilicet Mocenicum, Antonium Contarenum, (qui fortasse ex Typographi errore Antonius Cornelius legitur in Hist. Petri Justiniani) & Franciscum Foscarum, quorum dexteritate actum est, ut Reipublicæ Venetæ nomine induciæ ad quinquennium cum Sigismundo paciscerentur.

Cremonæ igitur dum pro gravissimo absolvendo negotio detinentur Legati, nuntius Venetiis advenit Thomam Mocenicum unum ex Oratoribus ad Patriæ Pincipatum, defuncto Michaele Steno Duce, evectum fuisse. Ab ea itaque urbe cum secrete paucis interjectis horis discessisset Mocenicus, doluit deinde Gabrinus Fundulus, is qui Cremonæ, arrepta per nefariam Ugolini Cavalcabò Principis cædem ejus urbis tyrannide imperabat, seque insanæ mentis virum appellavit, quod tres Summos Europæ Principes, Pontificem nempe Romanum, Imperatorem, & Ducem Venetiarum in sua potestate positos abs se vivos, illæsosque discedere passus fuerit.

Venetias deinde die 13. Maii ejusdem anni 1413. accesserunt Thomas Mocenicus electus Dux, atque Antonius Contarenus, ut notat Marinus Sanutus in Chronico col. 880.,

Fra-

Franciſcus autem Foſcarus apud Sigiſmundum Imperatorem vel relictus, vel deſtinatus iterum fuit Orator, ut ex ejuſdem Sanuti Chronico addiſcimus col. 881., uti hæc habentur. *Fu preſo di mandare* (eodem ſcilicet anno, eodemque menſe) *un Ambaſciatore al Re d' Ungheria Sigiſmondo per trattar pace col detto Doge* (Federico ſcilicet Auſtriæ Duce qui bellum contra Venetos moverat) *d' Auſtria. Il quale fu Franceſco Foſcari. Sicche fu conchiuſo accordo.* Hanc Legationem alia non minoris momenti ſubſequuta eſt; ſiquidem cum de pace ſtatuenda pro Republica Veneta & Imperatore Conſtantinopolitano apud Mahometem hujus nominis primum Turcarum Regem ageretur, ipſiuſque pacis negotium arduo in diſcrimine verſaretur, miſſus eſt ad Mahumentem Orator extra ordinem, ut vocant, Franciſcus, qui prudentia & dexteritate in primis uſus acciſum pene opus abſolvit, ut refert Alexander Vianolus Hiſt. Ven. lib. XVII.

Tanto hinc auctus merito in patriam redux anxie ſecum cogitare cœpit, quo pacto procuratoriam purpuram quaſi mercedem ſuis debitam laboribus obtineret; cumque nulla eo tempore proximæ vacationis ſe ſe offerret occaſio, timens ne bene actæ legationis plauſus fluxu temporis minueretur, Joannem Barbum Procuratorem ſenio attritum hortari identidem cœpit, ut dimiſſa dignitate reliquum dierum ſuorum in bona quiete tranſigere curaret. Vafris ſuaſionibus annuit tandem ſenex, eoque tempore onus dimiſit, quo Foſcarus ita omnia ad mentem ſuam accomodaverat, ut nemo inveniretur ad diſputandam dignitatem inſtructus. Ea conſilii ratione a nemine æmulatus expetitum decus adeptus eſt, quod non magis legationum meritis quam ingenii ſagacitati acceptum retulit. Hæc ex ſupra laudato Vianolo retulimus in Eccl. Ven. Illuſt. Tom. X. ** in elencho Procuratorum, ubi diſcimus ſtatutum fuiſſe in ſupremis Comitiis anno 1415, die 26. Januarii, quod loco Joannis Barbo, qui oneri renuntiaverat, alius eligeretur, quod eadem die actum novimus, ſuffecto in abbdicati locum Franciſco Foſcaro pridem Advocatore Communis, ad cujus electionem propitia fuerunt vota 319. adverſa vero 110. Hæc pari modo refert Paulus Maurocenus in Hiſt. Ven. lib. XVII.

Procuratorium itaque munus quum ſuſcepiſſet, ingentem pecuniæ vim, ut notat Sanutus in Chronico, in ſacculis inordinate

te congregatam, & in Procuratiæ Ærario asservatam invenit, neque ad quorum jura multi ex iis sacculis pertinerent, innotescebat, tum ex regestuum defectu, tum quia nullo hærede relicto multi ex eorum possessoribus jam decesserant. Ut igitur meliori ordine disponerentur regestuum libri, opportuna edidit mandata Franciscus, cumque in Procuratiæ officio Aloysium Lauredanum collegam haberet virum senio attritum, qui omnia in ejus arbitrio posuerat, cœpit confestim coacervatam ex multo tempore pecuniam egentibus Patritiis distribuere, ipsarumque filias assignata dote in matrimonium collocare, ea sane liberalitate, ut brevi paucorum annorum spatio triginta millia & ultra Ducatorum insumpserit. Ordinatam hanc piæ pecuniæ distributionem ad laudes Francisci protulit in emortuali panegyri Bernardus Justinianus: *Duobus aliis summo totius civitatis consensu procurator est additus tertio & quadragesimo ætatis anno. Is amplissimus est magistratus & Principatui proximus. Cura testamentorum illis commissa, in qua nihil magis desideratur, quam fides, & assiduitas... Auxit autem totius civitatis erga se gratiam & amorem hujus muneris administratio. Siquidem Franciscus magnam auri vim, quam jampridem plusquam oportuerat ociosa apud collegas delituerat, in lucem protulit, & in pias erogavit rationes. Quanti concursus ad eum fieri! Nullus petere quin impetraret, impetrabant multi antequam peterent, præsertim quos intelligeret inopia laborare.* Hac agendi ratione plurimos sibi ex nobilitate adeo devinxit, ut vitam etiam pro Francisco exponere minime dubitassent. Tanta autem erat solertissimo viro, de comparando sibi Patritii ordinis amore, jugis sollicitudo, ut solerti studio omnium nomina, licet M. numero superarent, memoria tradere voluerit, unumquemque proprio nomine salutaturus. Hæc in citata oratione Justinianus: *De ea quidem incertus animi sum, eloquar ne an sileam; ne aut si dixero, incredibilia dixisse; aut si tacuero rem tam admirabilem quam omnibus notissimam, cum haud mediocri ipsius injuria videar præteriisse. Quid enim si dicam Patritios omnes nomine salutasse.*

Post hæc cum in Concilio Constantiensi sopito schismate Oddo Cardinalis Columna assumpto Martini V. nomine Pontifex Maximus anno 1417. die XI. Novembris renuntiatus fuisset, Senatus die XIX. subsequentis Decembris ei de more

N qua-

quatuor designavit Oratores Marinum Caravellum, Antonium Contarenum, Franciscum Foscarum Procuratores Sancti Marci, & Fantinum Michaelium, qui Feria II. Paschatis anni 1418. Constantiam urbem ingressi, subsequenti die ad Pontificem admissi fuerunt, cui Foscarus utpote ex Legatis junior elegantem gratulationis orationem habuit omnium admiratione & plausu susceptam. *Il Papa* (ita Sanutus in Chronico col. 920.) *accarezzolli assai, e li pregò che volessero etiam visitare l' Imperatore ch' ivi ancora si ritrovava il quale molto l' aveva accetto. E così adi* 30. *del detto mese la mattina per tempo essi Oratori ben vestiti e accompagnati andarono dal detto Imperadore e Re d' Ungharia il quale si lasciò trovare in un suo giardino accompagnato con circa* 500. *tra Baroni, ed altre persone e fattagli la debita riverenza, gli dissero d' essere venuti a visitare Sua Sacra Maestà per nome della Signoria Nostra* (ex quibus verbis non obscure arguitur legatos tum apud Pontificem, tum apud Cæsarem destinatos fuisse) *la quale offerivasi a tutti i suoi onori, ed esaltazione, e facendone sperienza la Maestà sua vedrebbe così essere in effetto con altre parole. Il detto Re mostrò loro cera molto gioconda, & accettolli molto allegramente, e poi disse, che pe' suoi un altra volta sarebbe dar loro la risposta, che fosse di bisogno. E i detti Oratori tolto commiato, Sua Maestà feceli accompagnare sino all' alloggiamento loro molto onorevolmente.*

In Patriam reversus Franciscus ad intima Reipublicæ munera iterum advocatur, quæ dum faustissime gereret, Civitas Austriæ diuturnis belli incomodis, quibus Provincia Forojuliensis affligebatur, admodum fessa in Venetorum fidem & Dominium se concessit. Missi itaque Venetias Oratores deditionem fecerunt, cujus conditiones in publicis tabulis redactæ ab Oratoribus Nicolao de Portis, Simone Joannis Antonii, & Alexio Jacobo Cancellario firmatæ fuerunt, subscribentibus, & inita pacta nomine Veneti Senatus affirmantibus Antonio Contareno, & Francisco Foscaro Divi Marci Procuratoribus *anno MCCCCXIX. Indictione XII. die XI. Julii Venetiis in Ducali Palatio* ut videre est in Histor. Forojuliensi Joannis Francisci Palladii par. I. lib. X. pag. 489. & in Monum. Aquilejens. Clar. Viri P. Joannis Francisci Bernardi Maria de Rubeis col. 1043.

Quum itaque in dies Venetum Imperium in Italia augeri vide-

videret Franciscus Foscarus, seu quod ita ex animo sentiret, seu ut ad obtinendum patriæ principatum viam sibi sterneret faciliorem, dum tota Longobardia, aliæque Italiæ regiones bellis affligarentur, Senatui, ea qua præstabat singularis eloquentiæ vi, potissimum hortator fuit, ut communi armorum turbationi se immiscens Dominium Reipublicæ in continenti protendere haud negligeret. Obsistebat autem hujusmodi consiliis Thomas Mocenicus Dux, vir sapientiæ plane admirabilis, qui, ut refert Hist. Ven. lib. VI. Petrus Justinianus; *maritimas res terrestribus semper prætulit, & terrestre Imperium unquam minime affectavit, quo neglecto maris ditionem ampliare magnopere curabat, studiumque in hoc omne impendendum, crebris concionibus Senatum populumque hortabatur*; quapropter cum extremo morbo correptus se se morti proximum agnosceret primoribus civitatis ad se accedentibus ingerebat, ut in suo deligendo successore cautius agerent, nec ad eam dignitatem juniorem Procuratorem (erat is Franciscus Foscarus) facile assumerent, quippe qui audaci consultatione Reipublicæ salutem in discrimen adduceret. Rem narrat Egnatius in exemplis illustr. virorum lib. VII. cap. II. *Moribundus* (Thomas Mocenicus Dux) *convocatis intra cubiculum suum aliquot civitatis principibus, quos certo noverat creando Principi intra XL. viros præfuturos, ad eos conversus ita breviter loquutus est: ego, inquit, Patres, non multo post moriar, Francisco Foscaro in primis æquus, sed patriæ tamen ipsi multo benevolentior, quare vos singulos seorsum rogatos vellem, ut ad me juxta thorum advenientes non gravemini clam sententiam promere vestram quem mihi successorem daturi sitis... quare singuli ad eum venientes, quum major eorum pars in Franciscum Foscarum pronior appareret; intellexi, inquit, Patres Optimi, sententias omnium vestrum, ex quare video facile plurium sententias in Foscarum propensiores; itaque in promptu est vobis omnibus perspicere, quo semper in Foscarum animo fuerim, numquamque in illum odio laboraverim, sed pro patriæ charitate ejus sententiæ de bello suscipiendo semper adversatus sim, quare Deum immortalem precor jam moriens, ut opinionibus vestris faveat, patriæque dignitas, & incolumitas perpetuo vobis hæredibusque nostris æterne extet*. His quasi ex vaticinio prolatis, sapientissimus Dux, paulo post animam efflavit decimo sui Principatus anno jam absoluto. Affluebat ea-

N 2 tem-

tempestate Urbs Veneta viris militari peritia, consilio, rerum gestarum merito illustribus, quapropter cum ex obitu Mocenici Ducis suprema Reipublicæ dignitas vacaret, septem ex primoribus civium eam unusquisque sibi veluti laborum remunerationem deferri postulabant. Fuerunt hi Marinus Caravellus Procurator multis pridem Legationibus & Patavina Prætura, quam primus omnium pro Venetis gessit, optime meritus, Franciscus Bembus Eques civili & militari peritia insignis, Antonius Contarenus sæpius ad magnos Principes pro Veneto Senatu Orator, Leonardus Mocenicus militari gloria clarus, Petrus Lauredanus ob iteratas victorias terra marique adversus hostes Reipublicæ partas laudatissimus, & Franciscus Foscarus Procurator ætate quidem junior, sed qui ingenio, & solertia reliquos facile superaret.

Convenerunt itaque XL. viri in supremis Reipublicæ Comitiis de more electi ut in locum demortui Principis Thomæ Mocenici alium sublegerent tanto honore dignum, *nec dubium ulli erat* (ita Egnatius in exemplis lib. VII. cap. III.) *quin Petrus Lauretanus Senator longe clarissimus maritimæque rei celeberrimus jam multis victoriis Imperator, votis omnium crearetur, id quod patritius unus ex his considerans, qui Francisco Foscaro maxime favebat in concionem ascendens Petrum Lauretanum amplissimis extulit laudibus, dignumque in primis illum esse, qui huic dignitati præficeretur, quin etiam se unum ex iis esse, qui illum cunctis præponeret, sed eum esse temporum statum Turcis ab Oriente instantibus, qui jam Constantinopolim expugnarant* (quid hoc verbo *expugnarant* sibi velit Egnatius, anceps hæreo, Constantinopolis enim a Mahumete II. Turcarum Rege expugnata fuit anno 1453. Francisco Foscaro in Principatu annum trigesimum jam agente) *ex alia Genuensibus, qui Philippi Mediolanensium Ducis partes tuerentur, ut uno Petro Lauretano Respublica maxime indigeret, qui maritimæ rei præesset omnis, contra tot tantosque turbines rerum, ut nisi uno ejus præsidio tot mala sisti non facile possent; differrent igitur hanc in Petro Lauretano hoc tempore sententiam, & alium quemvis Ducem declararent*. Porro viri hujus *oratio & authoritas tantum valuit*, ut omnium benemeritissimo a spe consequendæ dignitatis amoto, *Foscarus ipse, quod maxime optabat, sit assecutus. Inclinabant* quidem *non paucorum studia in hunc ipsum Foscarum, qui universæ Reipubli-*

ca

cæ præesset, sed recentior ejus ætas multorum vota retardabat (alterum enim & quinquagesimum ætatis vix agebat annum, quæ res majorem XL. virorum partem ab hoc proposito avocabat, multis longe senioribus (quos supra recensui) *qui Mocenico Principi succederent adhuc existantibus*. Neque hac tantum causa ab assequendo Principatu arcebatur; obstare enim videbantur, & rei domesticæ parvitas, & filiorum numerus tum eorum qui in vitam jam prodierant, tum aliorum qui ex juvene conjuge (duxerat enim anno 1415. prima defuncta alteram uxorem Mariam Bartholomæi Nanii *dal Lion* nuncupati filiam) sperabantur; Ad hæc in multorum animis versabantur ea, quæ demortuus Princeps Mocenicus primoribus civitatis animam agens quasi ex vaticinio de Foscaro ipso declamaverat, fore scilicet, ut electus Dux authoritate non magis quam consilio Reipublicæ quietem turbaret, ejusque incolumitatem gravissimis belli terrestris periculis objectaret. Vicit tamen omnia industrius agendi modus, idque *effecit* (ut notat Egnatius loco citato) *prudens vafreque Foscarus, ut voti sui compos tandem esset, qui quum in XL. virorum numero aliquot essent*, (octo numerat Sansovinus in suo libro *Venetia* nuncupato, cui concordant MSS. Chron.) *qui illo uni præcipue studerent, effecit cum iis ut in suffragando minime sibi faverent, nisi quum ille annuisset, quare conversus in alios omnes hoc unum sese ab illis petere ajebat supplex, ut suo tantum suffragio dignum illum censerent, qui summæ rei præesset, turpe enim & ignominiæ plenum sibi videri, si Divi Marci Procurator, semperque de Republica optime meritus, vix tria aut quatuor suffragia referret, quum in nomen ejus iretur, quod si semel supra dena numerare posset, sese id æquissimo animo laturum, quod quum ille ex animi sui sententia obtigisset, nemo enim rem tam æquam negare ei poterat, nactus opportunam, ut sibi videbatur occasionem, annuit fautoribus suis ne deessent, sed omni opera ac studio sibi adessent; Euntibus igitur omnibus in Francisci nomen, astu & arte id adeptus est, ut quinque & viginti suffragia sortiretur, qui numerus tunc temporis in eligendo Duce satis esset, quapropter stupentibus omnibus Dux salutatur, sicque Francisci versutia & astus extorsit, quod una illius ætas recentior negasse hactenus videretur*. Fusius rem enarrat licet more suo inordinate Marinus Sanutus in Chronico Rerum Italic. Tom. XXII. col. 966. eodem ferme modo sicuti in nonnul-

his

lis MSS. Chronicis legitur, ex quorum uno totius negotii seriem exhibemus.

Anno Domini 1423.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ac Beatæ Mariæ Virginis Matris Ejus, nec non gloriosi Apostoli & Evangelistæ Protectoris nostri S. Marci. Vacante Ducatu per obitum inclytæ recordationis Dom. Thomæ Mocenico Ducis Venetiarum, qui obdormivit in Domino die Dominica Paschatis Resurrectionis Domini IV. Mensis Aprilis circa horam IV. noctis 1423. (*verius die III. dicendum est, nondum enim medietatem noctis, quæ festum Paschatis antecedebat, attigerat.*)

CONSILIARII.

Franciscus Foscari (*vulgo vocabatur*) *Franzi Foscariis qui anno .... Reipublicæ nomine, ut notat Sanutus in Chron. tutelam suscepit .... Marchionis Mantuæ a moriente Patre Veneto Senatui commendati. Hujus Francisci ex Nicolao Fratre Nepos erat alius Franciscus Procurator*, *de quo agimus*.

Leonardus Caravello.
Andreas Foscolus.
Marcus Æmilianus.
Natalis Donatus.
Nicolaus Georgius Eques.

Capita Consilii XL. ad Criminalia.

Laurentius Ghisius.
Benedictus Baroccius.
Benedictus Victurius.

Consilium vocatum est, & creati quinque Sapientes pro correctione Promissionis Ducalis, Venete *Correttori*.

Rubeus de Marinis.
Franciscus Foscarus Procur.
Marinus Caravellus Procur.
Antonius Contarenus Procur.
Fantinus Michael.

Die

Die Sabbati X. Aprilis.

Enuntiati fuerunt XL. & I. Electores futuri Ducis quorum nomina hæc sunt.

Leonardus Mocenico Proc.
Franciscus Foscarus Procur.
Petrus Lauredano Aloysii Proc. filius.
Marcus de Molino Advocator Comm.
Joannes de Garzonibus Bernardini fil.
Marinus Caravellus Procur.
Antonius Maurus Procur.
Bartholomæus Barbadicus Francisci filius.
Antonius Contarenus Procur.
Joannes Navagerius Adv. Com.
Bartholomeus Donatus Aloysii filius.
Jacobus Gabrielus Fran. filius.
Petrus Duodus.
Christophorus Superantius Aloysii fil.
Rubertus Maurocenus.
Franciscus de Bernardis Nicolai fil.
Jacobus Venerius.
Marcus Dandulus.
Petrus Minotus.
Marcus Polanus Nicolai fil.
Marcus Bragadenus Petri fil.
Bertuccius Quirinus Procur.
Fantinus Lippomanus Fantini fil.
Antonius Priolus Francisci fil.
Michael Trivisanus Stephani filius.
Paulus Thronus Donati fil.
Bulgarus Victurius cognomento Magnus.
Franciscus de Girardis Joannis fil.
Albanus Baduarius senior ex XLI.
Joannes Taleapetra Nicolai fil.
Joannes Zane Joannis fil.
Andreas Julianus.
Homobonus Grittus Triadani fil.
Victor Marcello.
Rubeus de Marinis.
Bartholomæus Storlado.
Bernardus Pisanus Petri fil.
Andreas Barbarus Joan. fil.
Paulus Aurius Petri fil.
Carosius Pisanus Antoni fil.
Paulus Corrarius Philippi olim Procur. filius.

Li quali sopranominati 41. come furono tutti in Camera furono licentiadi, li altri poi fatti venir alla presentia della Si-

Qui cœtus ex XL. & I. statim ac una simul in uno cubiculo coactus est, cæteri dimissi fuerunt. Tum coram Dominio (sci-

Signoria gli fu fatto lezer il suo Capitular, & poi miss. Zuan Piumazzo Cancellier Grando gli fu dato solenne zuramento secondo il solito, & entrati nel luogo preparatoli dopo disnar dettero principio alli Scrutinii. Allora era consueto, che si lezevano li piezi nelli Scrutinii di quelli erano tolti, cioè il tal tolto per il tale. Ancora era consueto che in uno Scrutinio coloro ch' erano tolti, erano ballottadi tante volte quante erano sta tolti in quel Scrutinio. Fu scoperta gran controversia fra miss. Marin Caravello Procurator, miss. Francesco Bembo Cavalier, miss. Antonio Contarini, miss. Lunardo Mocenigo, miss. Piero Loredan, miss. Francesco Foscari il quale era il più zovene delli quarantauno miss. Piero Loredan era superior di ballotte alli altri. Et nota un astutia di miss. Francesco Foscari, il quale haveva otto affettionatissimi in detti quarantauno, li quali non volevano altro che Lui. Ne volse esser tolto al primo Scrutinio salvo che da tre, e che alcuno di loro non lo volessero fino che lui, non li dava segno. Con tutto ciò in ogni Scrutino lui faceva parlar contro qualch' uno delli

(*scilicet coram Consiliariis*, & *Capitibus de XL.*) adducti lecta sunt Capitula, quæ ad eos spectabant. Deinde Joannes . . : .... Cancellarius Magnus solenne juramentum, ut moris est, exegit, atque in locum ad id præparatum subeuntes initium absoluto prandio Scrutiniis dederunt. Vigebat tunc temporis consuetudo, ut in Scrutiniis annuntiarentur nomina eorum, qui quempiam delegerant, hoc pacto: NN. electus a NN. Hoc etiam fieri solebat, ut electores tot vicibus irent in suffragia, quot vicibus aliquis fuerat nominando assumptus. Discrepantia non levis emicuit inter Dominos Marinum Caravellum Procuratorem Franciscum Bembum Equitem Antonium Contarenum Leonardum Mocenicum Petrum Lauredanum & Franciscum Foscarum omnium, qui nominabantur juniorem. Petrus Lauredanus numero suffragiorum cæteris anteibat. Est hic notatu digna Francisci Foscari versutia, qui octo ex electoribus sibi mancipatos habebat adeo ut illum excluso alio quocumque electuri essent. Noluit tamen initio nominari nisi a tribus, jussitque omnibus, ut in adversa sibi suffragia irent, donec dato a se opportuno signo, ad propitia converterentur. Ad singula

delli nominadi lodandolo Lui, & così ſtettero ſei zorni, nelli quali furono fatti aſſai Scrutinii. A miſs. Marin Caravello fu oppoſto che l' era vecchiſſimo: A miſ. Franceſco Bembo che l'era zotto: A miſs. Lunardo Mocenigo che ſimil dignità non ſi dava per ſucceſſion eſſendo ſtà ſuo Fratello. A miſs. Antonio Contarini che Lui haveva aſſai Figli, e Parenti, & era affettionatiſſimo a quelli. Similmente fu oppoſto a miſs. Piero Loredan che ſi accoſtava più delli altri, & gli parlò contra miſs. Alban Badoer, il qual miſs. Alban lo laudò, ma per inſinuazione diſſe dell' inſuficienza ſua circa l' eſercizio da mar adducendo molte altre raſon. Et perche detto miſs. Alban era huomo di bon credito furono molto notade queſte ſue raſon; onde il Loredan callò molte ballotte, nè mai potè aver il numero delle ballotte predette, ancorche montaſſe in renga à giuſtificarſe. Parimente a miſs. Franceſco Foſcari fu più volte parlato contra da miſs. Polo Orio ad inſtantia di miſs. Piero Loredan; onde miſs. Bulgaro Vitturi ſenza chiamar ditto miſs. Franceſco s' oppoſe, & andò in Renga, il quale eſſen-

gula tamen Scrutinia contra aliquem ex aliis nominatis inſurgere, & in ſui laudem perorare faciebat, atque hoc pacto per ſex dies perſeverarunt, ita ut alia deinceps atque alia Scrutinia peregerint. Objiciebatur Marino Caravello effœta, & impar muneri ſenectus; Franciſco Bembo, ea qua laborabat, claudicatio. Leonardo Mocenico hæc ipſa dignitas Fratri ſuo collata, ne forte ſucceſſiva in eadem gente eſſe inciperet. Antonio Contareno numerus ingens filiorum atque affinium, quorum amori nimium indulgebat. Suas quoque ſuſtinuit contradictiones Petrus Lauredanus, qui minus a requiſito ſuffragiorum numero diſtabat. Verba contra illum fecit Albanus Baduarius qui ab ejus quidem laudibus exorſus eſt, ſed ſenſim ſenſimque ad ejus imperitiam in re maritima multis allatis argumentis deſcendit. Quia porro Albanus erat vir egregiæ famæ, verba ejus in tantum valuerunt, ut Lauredani ſuffragia decreverint, nec unquam ad numerum neceſſarium aſſurgere potuerint. Atqui Lauredanus ſibi non defuit ut ſe purgaret ſuamque cauſam tutaretur. Contra Franciſcum Foſcarum quoque non una vice loquutus eſt Paulus Aurius rogante illum ad id officii Petro Lauredano, qua-

O pro-

sendo persona savia, e di gran credito fecegli gran favor. Parlò anco in un altro Scruttinio in suo favor miss. Bernardo Pisani, & miss. Polo Correr. Et similmente lui si giustificò tanto saviamente, & prudentemente di modo che il primo Scrutinio non ebbe salvo undeci ballotte; ma ogni Scrutinio cresceva, & esso andava tirando qualche ballotta facendo che li suoi non lo volessero, perchè se 'l havesse havuto ballotte 20. in circa forsi che li altri sariano andati più riservati; Ma essendo Portenaro, & quello, che andava a far li letti nel servirli andava disponendoli a darli la loro ballotta non perchè el sperasse d' esser; mà per haver qualche più ballotta, & quelli, ch'erano ricercati da Lui veduto che non haveva tanto numero di ballotte che potessero dubitar lo volevano, siche ogni Scrutinio il cresceva di qualche ballotta. Oltra di ciò sicome el non volle nelli primi Scrutinii esser tolto da altri, che dalli suoi, di modo che l' era tolto da 10., & facilmente el trazeva delle ballotte, perche coloro chel volevano vedendo pur che l' era tolto da buon numero speravano il suo favor non du-

propter Bulgarus Victurius Francisco Foscaro minime vocato, Aurio contradixit, cumque magna esset ejus apud omnes æstimatio, plurimum Foscaro profuit. Rursum pro Francisco Foscaro verba fecerunt Bernardus Pisanus, & Paulus Corrarius, atque ipsemet sapienter adeo prudenterque se defendit, ut qui ab initio nonnisi undecim suffragia in primo Scrutinio obtinuerat, hunc in aliis deinceps Scrutiniis numerum magis magisque auxerit, novum aliquod semper suffragium obtinendo. Interea a suis nominari nolebat, si enim suffragia circiter viginti habuisset, cæteros in sui suspicionem adduxisset, qui majorem cautelam adhibuissent. Sed ut erat (*ratione ætatis*) ianitor, & lectum aliis sternebat, dum huic ministerio vacabat, singulorum seorsim voluntates disponebat, ut suum quisque suffragium daret, dicendo, sibi nullam spem esse evadendi, sed ut aliquod amplius suffragium haberet, & quidam ex iis qui ita dolose ab eo rogabantur, cum viderent pro ejus nomine non tot esse suffragia, quæ electionem timendam facerent, suum de facto suffragium adiiciebant, idcirco suffragia pro eo in singulis Scrutiniis augebantur. Præterea cum primis Scrutiniis a suis tantum prout illis

dubitando di Lui. Et essendo stati sopra 'l ballottar da dì 10. fino alli 15., & fatti molti Scrutinii, & nel Scrutinio che 'l romase, el fu tolto per dodeci, & essendo sta ballottà otto volte & stando fermo sopra ballotte sedeci la nona volta il crescete una ballotta sicche diecisette. All' hora viste le diecisette ballotte, & venuta la decima volta alla voce di miss. Benetto Pisani miss. Fantin Pizzamano parlò per Lui, dicendo che non si doveva guardare à età à farlo; ma al ben della terra, & che non era alcuno, che potesse meglio sodisfar al bisogno de Lui con molte rason. Et essendo per ballottarlo lui fece segno alli suoi otto, che mai non l' havevano voluto, che lo dovessero voler, & così fecero. Li altri che havevano visto che non l' haveva avuto salvo diecisette ballotte di andar al numero & non solamente li detti diecisette stettero saldi in volerlo; ma anco miss. Lunardo Mocenigo lo volse, che concorreva per aver il suo favor, il quale pareva, che havesse più ballotte delli altri. Sicche fra il detto Mocenigo ch' il volse, & li suoi scosse ballotte vintisie, di sorte che li concorrenti romasero morti di questa

illis mandaverat nominaretur, ita ut decem tantum voces haberet, interea facili negotio nova sibi suffragia comparabat, quia aliqui quod evasurus esset minime dubitantes ut ejus gratiam sibi conciliarent, propitia in eum suffragia deferebant. Ita tempus a decima die ad decimam quintam nova semper instaurando Scrutinia insumpserunt. In Scrutinio autem in quo electus fuit, eum duodecim nominarunt, cumque in suffragia pro ejus nomine octo vicibus itum esset, & numquam supra sexdecim suffragia propitia numerarentur, nona vice aliud suffragium obtinuit, ideoque ad septendecim pervenit. Quod cum ipse vidisset, & jam in decimam suffragiorum collectionem iretur, nominante eum Benedicto Pisano, Fantinus Pizzamanus pro eo loquutus est dicens: non attendendam esse in illo ætatem sed bonum Patriæ publicum, & alium neminem esse, qui præ illo posset muneri satisfacere, quod argumentis bene multis comprobavit. Cum igitur suffragia ab omnibus essent danda, ipse suis octo, qui nunquam pro eo suffragium adhuc posuerant, statuto signo annuit, ut eum tunc opportune juvarent, quod præstiterunt. Cæteri qui septendecim tantum pro eo suffragia viderant, nec quidquam suspicabantur, constantes fue-

sta sua astuzia. Et così adi 15. Aprile 1423. de Zuobba a ore 22. ellessero Dose miss. Francesco Foscari Procurator d' età d' anni 50., e subito elletto lo fecero intender alli Consegieri, ma per esser ora tarda non volsero quella sera far le solennità solite. La mattina seguente adunque che fu il Venere adi 16. April à hora di Terza andò in Chiesa di S. Marco con li suoi quarantun ove sopra il pulpito per miss. Alban Badoer più vecchio delli quarantun fu pubblicado al Populo. Poi all' Altar grando datogli 'l Sagramento delle cose della Chiesa, e consignatoli il vessillo di San Marco fu portado per piazza, secondo il solito, buttando danari. Finalmente condotto in palazzo sopra il patto della Scala per miss. Franzi Foscari Fratello di suo Padre più vecchio delli Consegieri gli fu consegnado el Dogado.

facere, quibus se adjunxit Leonardus Mocenicus ille ex competitoribus qui numero suffragiorum cæteris præstabat, scilicet ut Francisci gratiam & suffragium captaret. Adjunctis itaque suorum & Mocenici suffragiis numerum vigintisex suffragiorum attigit, adeo ut calliditate hac sua æmulos tamquam ictu fulminis improviso confecerit. Hoc pacto die Jovis quæ fuit XV. Aprilis anno MCCCCXXIII. hora XXII. creatus est Dux Franciscus Foscarus Procurator annum agens quinquagesimum. E vestigio Consiliariis nuntiatur electio, sed nocte impendente a consuetis solemnitatibus abstinuerunt. Igitur die Veneris insequente nempe XVI. Aprilis hora quæ fori nuncupatione est Tertiæ accessit cum XL. Electoribus ad Templum Divi Marci ubi e pulpito Albanus Baduarius inter Electores senior eum Ducem creatum populo annuntiavit deinde ad aram majorem dato illi de rebus Ecclesiæ juramento, ac tradito Divi Marci vexillo delatus est per forum dispergens, ut mos est, in plebem pecuniam. Tandem in Palatium deductus est, & in plano ad scalæ caput summum constitutus, ubi tradente Francisco Foscaro illius patruo, & inter Consiliarios seniore Ducalis dignitatis possessionem inivit.

Fran-

Francesco Foscari ita Sanutus col. 967. *rimase Dose a 15. Aprile a hore dodeci. E ser Albano Badoero il più vecchio de Priori* (in cœtu XL. & I. Electorum tres majores ætatis Præsides constituuntur, quos Priores vocat Sanutus) *il publicò nella Chiesa di San Marco e per ser Franzi Foscari Consigliero il più vecchio Fratello di suo Padre gli fu consegnato il Dogado.* Alia deinde addit Sanutus, quæ jam superius allata sunt, ac postea sic scribit. *Questo Doge nel primo anno fece far feste e giostre e altri trionsi in Piazza, & in Palazzo & in capo dell' anno fece venire la Dogaressa in Palazzo con grande trionso, la qual era di casa.......* (Familiam Ducissæ, quam Sanutus ignorasse ostendit, novimus ex Baptista Egnatio qui Libro VI. de Exemplis cap. VIII. eam *ex Nania* familia prodiisse asserit.) *E il Bucintoro con Donne la condussero. E fece pranzo nel Palazzo, e intorno come ancora si vede, vi sono l' arme.*

Quanta autem ejus exaltationem lætitia exceperint Veneti cives, & quam solemni pompa festivisque ludis illam celebrarint, notarunt accurate in suis Historiis Marcus Sabellicus, & Petrus Justinianus, quorum ille decade II. lib. IX. hæc ait: *Franciscus Foscarus illi* (Thomæ Mocenico) *successit. Cujus declaratio tam læta civibus, Venetique imperii populis fuit, ut hastarum certamina, aurigationes variique generis sepectacula per annum in singulos fere dies festos sint instaurata.* Justinianus autem lib. VI. ita scribit: *Principatum ipse* (Franciscus Foscarus) *magno civitatis consensu adipiscitur, ac tam læta civibus, Venetique imperii populis ejus dignitas fuit, ut hastarum certamina, varijque generis ludi in singulos fere dies festos sint magnifice editi, quod sane Reipublicæ incrementum ac Principis felicitatem portendere visum est.*

Adepto Principatus honore primum illi studium fuit, Albano Baduario pro summis in se collatis officiis pares gratias rependere, quapropter cum ad majora Comitia die XXIII. prædicti mensis Aprilis pro subrogando in sui locum alio Procuratore convocata accessisset Marchio Mantuæ Veneta nobilitate pridem donatus, apud eum enixius agi curavit, ut, quia inter electores locus ei assignandus erat, Albanum Baduarium Xviralis Consilii tunc Præsidem (caput Veneti vocant) ad Procuratoriam dignitatem proponeret. Id cum Marchio

chio Mantuæ intuitu Ducis egisset, potiora Comitiorum suffragia pro Baduario collata, amplissimum ipsi honorem detulerunt. *Adi 23. di Aprile* (ita Sanutus in Chron. col. 968.) *volle far fare il gran Consiglio nella Sala nuova fabricata. E fu il primo consiglio doppo la sua creatione. Venne al Consiglio il Marchese di Mantoa, e fu fatto entrare in elezione, e à requisitione del Doge tolse Procuratore in luogo di Sua Serenità Ser Albano Badoer, ed erano a Consiglio in numero di* 911. Dissident in hoc suffragiorum numero Chronologi, quorum ii qui seriem Procuratorum exhibent, electionem Albani Baduarii hoc modo scribunt.

1423: adi 23. Aprile In luogo de miss. Francesco Foscari Doge
f. Piero Minotto fu Consegier Propitia 255. Adversa 157.
f. Alban Badoer fu Consegier Prop. 312. Ad. 102.

Collata igitur in Baduarium tum propitia tum adversa suffragia numerum æquant 414. ab eo scilicet, quem Sanutus notat, longe inferiorem. Sed & Sanutus ipse in enuntiandis hujusce electionis suffragiis à semetipso dissentit, col. enim 974. sic scribit: *A 23. del detto mese (d' Aprile) fu eletto Procuratore di Città in luogo del Serenissimo, ser Albano Badoero, e rimase da ser Piero Minoto, e furono à ballotarlo in numero di* 970. Sed hæc in re adeo levi sint satis. Principatum itaque cum suscepisset Franciscus difficillimis Reipublicæ temporibus, in id omne studium intendit, ne ex turbatis Italiæ rebus detrimentum Principatui proveniret, cujus fines nacta bellorum occasione mirabiliter extendit. Quum enim Philippus Vicecomes dilatatis ditionis suæ terminis bellum Florentinis intulisset, hi iteratis cladibus afflicti ad Venetos confugerunt, missisque legatis eos ad fœdus contra Philippum, quem universæ Italiæ hostem afferebant, excitarunt. Variæ fuerunt patrum sententiæ, cumque per plures dies ex diverso animorum affectu nihil decerni potuisset, Franciscus Foscarus Princeps, qui ut testatur Petrus Justinianus in Ven. Hist. lib. VI. *summa sapientia & facundia præstabat*, ingenioque erat ad magnas & arduas res natus, fœdus cum Florentino populo suasurus eloquentissimam ad P. C. orationem habuit, quam in suis historiis diverso licet concinnatam modo efferunt Marcus Antonius Sabellicus, Petrus Justinianus, &
Blon-

Blondus Flavius qui rem fusiori calamo splendide ex integro prosequuntur. Quantum vero Senatorum animos moverit sapientissimi Principis oratio & authoritas, accuratius præ omnibus scripsit Blondus Decadis III. Libro II. hæc post Francisci concionem addens. *Duce post factum verbis finem aliorum sententias expectante, censuerunt sex illius in Dominio Collegæ*, (hi sunt quos Veneti Consiliarios vocant) *propositis in utramque partem suffragiorum tabellis intentandum quid e republica fore patribus videretur, & ut qui vellent, juberent societatem cum populo Florentino iniri, ac Philippum Reipublicæ hostem judicari, redditis ex more in dealbatam viatoris urnam; quibus contraria esset voluntas, in nigram tabellis de sententia significarent. Itaque urnis eminenti in suggesto, quod ab omni inspicitur consessu ad Principis pedes evacuatis paucissimos contrariæ Duci sententiæ esse constitit: tumque accito in Senatum Laurentio Ridolpho fœdera sunt facta* anno Domini 1426.

Hæc Insubrici belli origo fuit, in quo post statutas fractasque paces non semel renovato, alternantibus quidem fortunæ martisque vicibus varie pugnatum est, attamen amplissima Veneto nomini & virtutis constantiæque encomia, & ditionis incrementa provenerunt. Primæ pacis fœdera Pontificii Legati interventu inita fuerunt anno 1428. in cujus conditionibus Philippus, *ut Brixiam cum suis finibus, ac Bergomum cum ea parte agri quæ ad Abduam spectat, Venetus haberet, assentit*. Lætitiam qua pro decoro adeo utilique tractatu universa Civitas perfusa est, auxit Petrus Joannis Lusitaniæ Regis filius Venetias appulsus per eos ferme dies, in quibus octo Bergomenses Legati in Francisci Ducis manibus solemne fidelitatis & obedientiæ juramentum suæ Civitatis nomine præstiterunt. Amico Principi obvius Franciscus Dux ipsum aurea navi (Bucentaurum Veneti vocant) excepit, & comitante omnium ordinum festiva turba ad paratum ei magnifice hospitium deduxit; utque eos dies, quibus Venetiis degit, genialiter ageret, assidua ludorum & spectaculorum pompa recreare non destitit.

Pacem hanc *inter Ducem* Mediolani, *& Venetos Florentinosque belli socios* initam enuntiat Raynaldus ad annum 1429. num. 19. deinde addit; *Insigne integritatis exemplum edidit in eo bello Franciscus Foscarus Venetiarum Dux, nam cum trepidi* per-

perduelles (Bononienses scilicet cives) *eum sollicitassent, ut ipsos in fidem reciperet* , eam labem *inferri Veneto nomini non est passus, professusque est a ditione Pontificia invadenda sibi temperaturum*. Argumentum hoc Venetæ religionis non minus ad universum P. C. cœtum, quam ad Ducem referri, quisquis res Venetas novit, affirmet; quod & in laudem ipsius Ducis vertit, in emortuali Panegyri de ipso habita Bernardus Justinianus: " Accipite Patres facinus quo sicuti summa Francisci ,, religio & egregia pietas illuxit, ita duplex victoriæ felicitas ,, est consequuta. Nam quum Bononia nobilis Ecclesiæ urbs: ,, tum in seditionibus intestinis : tum Philippi armis premeretur acrius : imploratur Francisci auxilium unica spes libertatis Italiæ: Legatum mittit Ludovicum Fuscarenum ad civiles illas partes componendas: Tadeum vero Estensem cum ,, aliis belli ducibus ad compescendum hostem externum. ,, Hæc quidem illi ut acceperunt tanta omnium lætitia oborta: ut aliter salvi esse nollent: nisi se civitatemque fortunasque suas: uxores liberosque: vestræ fidei committerent. ,, Dedere se & magistratum : præsidiumque Venetum implorare. Non dubitavit Venetus oblata contemnere. Ostendit ,, solere pro dignitate amicorumque incolumitate certare: non ,, alienas urbes appetere. Quo factum ut civitas hac liberalitate victa: in multas divisa partes; in unam statim sententiam coierit. " Quieverunt itaque aliquandiu a bellicis consiliis Veneti sancita pace , quæ brevi tempore tamen valuit; ad turbandam enim renovato bello Italiam Florentini non levem occasionem præbuere, qui occupandæ totius Hetruriæ avidi, Lucenses, excitato contra eos occulte Nicolao *Brachii* ductoris summi ex Stella Sorore nepote, gravissimo bello affligere cogitarunt. Alieno periculo commota Senensis Respublica, sibique metuens Legatos statim ad Venetum Senatum misit orantes , *ut gravi aliqua denuntiatione Florentinos ab armis revocarent*. Hac de re dum inter Patres consilia habentur, *accidit ut Sanctissimus Civitatis Magistratus* (hac voce Ducem enuntiat Sabellicus) *unius sit violatus amentia*. Rem diligenti calamo proferunt Sabellicus Dec. III. Lib. I. & Petrus Justinian. Hist. Ven. lib. VII. libet tamen ab externo scriptore quæsitam exhibere, à Blondo nempe Flavio historico syncrono, qui Histor. Dec. III. Lib. IV. eventum hujusmodi scriptis

ptis

ptis commendavit: *Forte tunc factum accidit in Venetis eo admirabilius, quo Ducum reverentia apud illos intemeratior fuerat ad id tempus. Andreas etenim Contarenus phrenesis morbo laborans, cum præfecturæ sinus Adriatici, quam ambire dicebat, spe ab omnibus destitueretur, in adolescentes incidit patritios, qui jocabundi culpam repulsæ illius in Franciscum Foscarum Principem rejecerunt, adjeceruntque nullam sibi obtinendæ petitionis spem sub eo Principe reliquam fore. Is morbo ab iracundia ingravescente obcæcatus furore Ducem in Sacram Marci ædem ad rem divinam descendentem per secretioris alloquii simulationem adiit, & oratoribus Senensium, quorum Princeps medius incedebat, modeste cedentibus, exeruit, quem veste absconderat, cypressium pugionem, vulnusque in guttur destinatum dedisset, nisi oratorum alter elevatam imprudenter furiosi manum ocyus retrahere aggressus, male comprehensam avertisset, & ab gutture in genam prælum ascendere coëgisset, tum Patriciis, qui sequebantur frequentes, clientumque & apparitorum, quæ præcedebat, turba cruentatum circumsistentibus Ducem, furiosus a fuga, quam præceps paraverat, retrahitur, & manu e vestigio truncatus de palatii fenestris laqueo suspensus præcipitatur*. Addit ad hæc Author Chronici MS. *Dicesi che il Doge era quella mattina in grave angoscia, che se fosse rinvenuto in se, non l'havrebbe lasciato far morire, perche lo conosceva pazzo*. Ducis discrimen, amentisque rei supplicium acciderunt die Mercurii XI. Martii anno 1430. Consternati atroci casu P. C. tumultuarium, ut notat Sabellicus, responsum Senensibus dederunt: optare se quidem incolumem Senensi populo libertatem, verum suum non esse Florentinæ Reipublicæ consilia moderari, quam belli adversus Insubres sociam fœderatamque juraverant. Ut Florentinos igitur, quos gravius urgebat Mediolanensis Dux, ex fœderis lege juvarent, novum susceperunt Veneti bellum mutuis cladibus victoriisque insigne, quod triennio productum, nova concordiæ sanctione finem habuit anno 1433.

His actis, Franciscus Dux quietis, cujus per sui Principatus decennium omnino expers fuerat, cupidissimus, consilium iniit de dimittenda dignitate; obsistentibus tamen ipsius proposito Consiliariis, eorum authoritati aquiescere coactus fuit. Rem compendiose narrat Paulus Maurocenus Hist. Ven. lib. XX. cujus hæc sunt verba: *Accordata la pace si pose in animo*

il Prencipe Foscari di rinontiare il Ducato, onde mentre si ritrovava secondo il solito nel Collegio, rivolto à Consiglieri incominciò a narrare i molti travagli di guerre di pestilenze che haveva in suo tempo la Republica patito, e disse che per ciò era risoluto di lasciar quella sede à Cittadino più fortunato, e che à lui era bastato haverla dal mezzo di torbido e procelloso mare in tranquilla pace ridotta; ma non fu da Consiglieri assentito alla proposta; di modo che rimase senza effetto l'istanza. Idipsum fusiori etiam calamo refert Marinus Sanutus in suo edito Chron. col. 1032. qui tentatam Principatus abdicationem alligat ad diem XXVI. Aprilis anni 1433. additque non unam fuisse super re hac Consiliariorum sententiam, ideoque in irritum decidisse Ducis consilium. Caussam expetitæ hujus demissionis affert (nescio quo ex fonte haustam) Æneas Sylvius Piccolomineus: *Is* (scribit de Foscaro Duce in vita ipsius MS.) *cum aliqua sua consilia non reciperentur, Biretum, quod est Ducale insigne, deposuit, refutavitque Ducatum; sed cives haud facile putantes se talem Ducem reperturos, ut resumeret Principatum hortati sunt, & coegerunt eum*. Nec tamen, *quamvis cum Philippo*, ut ait Sabellicus, *per quatuor deinceps annos neque certa pax, neque bellum fuerit*, Senatui Veneto ardua negotia defuerunt; cum enim Patres Synodi ab Eugenio IV. in urbe Basilea convocatæ adversus ipsum Pontificem arroganter insurrexissent, negavissentque se ad Ferrariensem civitatem, ubi Eugenius Concilium deducendum decreverat, se conferre, acria proinde inter eos dissidia exorta sunt, quæ proximum schismatis malum minitabantur. Qnum autem in ea dissensione sedanda omni studio incubuisset Franciscus Dux, cujus potissimum ingenii maturitate P. C. consilia, & rerum agendarum decreta moderabantur, adeo ejus in hoc collata opera Eugenio placuit, ut datis ad ipsum anno 1433. apostolicis litteris, prudentiam & pietatem ipsius miris laudibus commendaverit: *Ultra quam verbis exprimi posset*, (ita Eugenius in Epistola) *dilecte fili, commendanda est tua prudentia pro curis, quas continue suscipis pro honore & statu nostro atque Apostolicæ Sedis. Legimus literas cum copiis interclusis, quas ad nos misisti affectione plenas super quæ charissimus in Christo filius noster Sigismundus Romanorum Imperator illustris locutus est cum Oratoribus tuis super facta Concilii Basileensis*. Et postea in fine epistolæ:

stolæ: *Quod autem dixit*, (Imperator) *si*, *quod avertat Deus*, *scissura in Ecclesia fieret*, *nobis favere*, *& conservare & manutenere nos se velle*, *& serenitatem suam*, *& se*, *quidem*, *& amplius se facturum*, *respondisti*, *summis laudibus commendamus*: *Quod autem respondisti Imperatoris strenuitati*, *in hac opinione plurimos Principes*, *& Duces futuros*; *rectissime verissimeque respondisti*. Integram Eugenii epistolam affert Raynaldus ad annum 1433. num. 19. Interea Basileenses Prælati nec illustrium Principum litteris & hortationibus, nec gravissimo schismatis periculo commoti acrius in Pontificem egerunt, cumque sessionem XIII. Concilii ad diem XI. Septembris anni citati 1433. indixissent, statuerunt ut adversus Eugenium, cujus assertam contumaciam accusabant, ulterius progrederentur. Tanta Basileensium audacia Franciscum Ducem & Senatum Venetum adeo exasperavit, ut Antonio Corrario Cardinali Bononiensi nuncupato sub statutis pœnis recessum à Concilio præceperint. Rem sibi maxime molestam Sigismundo Imperatori detulerunt Basileenses eum enixe deprecantes, ut a Venetis Decreti hujusce revocationem impetraret. Degebat eo tempore Mantuæ Imperator, qui receptis Concilii litteris data die XXVI. ejusdem mensis Septembris epistola ad Patres rescripsit, se *oratores Venetorum*, *qui in notabili numero & apparatu* tunc secum erant, *avisatos* fecisse, *ipsisque seriose* expressisse, *ut suum Dominium avisare vellent de rebus hujusmodi*, *quoniam illis non sopitis perniciosa scandala possent succedere*. Sigismundi Imperatoris epistolam datam Mantuæ Imperii sui anno primo, afferunt Martene & Durand. Tom. VIII. Ampliss. Collectionis Veterum Scriptorum & Monum. col. 639. De his Sigismundi epistolis, deque aliis rebus ad pacem Ecclesiæ conciliandam spectantibus *cum Franciscus Foscarus Venetorum Dux Eugenium fecisset certiorem*; (ita Raynaldus ad citati anni num. 23.) rescripsit Pontifex epistolam, in cujus exordio Ducis diligentiam & labores laudat his verbis: *Recepimus tuas literas cum interclusis copiis earum*, *quæ charissimus in Christo Filius noster Sigismundus Romanorum Imperator illustris per nos fieri petit circa puram adhæsionem nostram Concilio in illis tribus rebus*, *& missionem dilecti filii Abbatis Sanctæ Justinæ*, *vel alterius si ipse accedere non possit*: *Agimus tibi gratias quas possumus pro laboribus*, *quos tanta cum diligentia suscipis pro statu & bonore nostro & Ecclesiæ*..

P 2 Quod

Quod autem *Venetorum oratorum* opera Pontificius Eugenii honor *in Conventu Basileensi* defensus fuerit, id peculiari Francisci Foscari Ducis merito tribuit Raynaldus num. insequenti 24. qui etiam de ipso Duce asserit, cum se *redintegrandæ inter contumaces Cardinales concordiæ interpretem* obtulisset, ei ab Eugenio Pontifice concessam fuisse amplissimam paciscendi potestatem, eidemque dolum & fallaciam Patrum Basileensium per litteras datas Kal. Decembris significasse. Ut igitur Basileensium seditiosorum conatus & vires minuerentur, studuit, curavitque per idem tempus Franciscus Foscarus, ut Dominicus Capranica Cardinalis Firmanus nuncupatus, qui ob contumaciam exauctoratus fuerat, in gratiam a Pontifice reciperetur: Rem narrat Raynaldus ad annum 1434. num. L his verbis: *Quod ad Dominicum Capranicam attinet, gravissima erat ejus causa, nam ab Eugenii sententia ad Concilium provocaverat, & controversiam de Concilii præstantioris auctoritate vehementer urserat, cum autem illum jam ante Eugenius exauctorasset, postea Francisco Venetiarum Duce concordiæ interprete, fidem & obsequium demisse pollicentem, seque ad Pontificium honorem omni virium contentione tum in Concilio tum in aliis locis tuendum promovendumque obstringentem, ac data honesta occasione Basilea discessurum, in gratiam recepit.* Dum igitur hæc urgente potissimum Francisci Ducis consilio a Venetis aguntur, qui & illustres sui Dominii Prælatos Basileam miserat, Basileense Concilium Oratores suos ad Ducem & Senatum Venetiarum decernit Episcopum Uticensem Guillelmum Soiberti, & Abbatem Conchensem, qui Venetias appulsi Concilii litteras Duci obtulerunt, eidemque legationis officium Abbas Conchensis exposuit, quod in eo præcipue versabatur, ut vellet *Domino Papæ exhortari & supplicare quatenus Ecclesiæ, populo Christiano & statui suo* prospiceret, *dissolutionem Concilii* ab eo pridem statutam *tollendo*. Integra *propositio Domini Abbatis Conchensis Ambasciatoris sacri Concilii ad Venetos* exhibetur Tomo VIII. col. 690. citatæ superius Ampliss. Collectionis, post quam vulgata legitur *Responsio Ducis ad præfatam propositionem*. Ex primis autem hujusce responsionis verbis satis aperte colligitur & copiosa elegantia, & notabilis rerum Ecclesiasticarum cognitio, quibus Foscarus Princeps pollebat; vix enim percepto delatæ sibi propositionis sensu, materiam in partes divisit, omnibusque

sibi

ſibi enuntiatis eleganter reſpondit, concludens ſe ad quæcumque agenda paratum, quibus optata Eccleſiæ concordia juvaretur. *Litteris Concilii credentialibus* (ita legitur col. 696. Tomi citati:) *cum honore & reverentia ſuſceptis, & oratione peracta, Dux in propria reſpondit, ut ſequitur. Aſſurgens & nobis obviam veniens unum noſtrum ponens ad dexteram, & alium ad ſiniſtram ſuam, materiam in decem partes diviſit multum eleganter & copioſe in ſuo vulgari &c.*

Quamvis autem omnia hæc, quæ ex ſuperius citatis ſcriptoribus ad Franciſci Principis laudem retulimus, Senatus maturitati authoritatique, potiuſquam Duci, cujus nomini ſunt inſcriptæ, referri debeant, attamen eo titulo peculiari Principis perſonæ adſcribi poſſunt, quod ejus potiſſimum conſiliis publicæ res eo tempore adminiſtrarentur, nec quidem eæ ſolummodo quæ externa cum Europæ Principibus ſeu bella ſeu negotia tangebant, ſed illæ etiam, quæ commercia negotiationeſque, in quibus eſt robur Imperii, reſpiciebant; nihil enim anxius avebat, quam ut Rempublicam, & opibus commercii divitem, & dilatatione ditionis fortem efficeret. Studio huic Franciſci Ducis teſtimonium perhibet Ludovicus Foſcarenus in epiſtola ad Paulum Bar. ubi hæc profert: *Divinus ille Princeps Franciſcus Foſcarus primos theutonicos introducebat, primis favebat, eorum domum publico ædificatam archam auream Senatus noſtri appellabat.*

Hiſce dignis viro Principe ſtudiis virtutes etiam omnes privati hominis adjungebat, comitatem præcipue, qua cunctos ad ſe advenientes humaniſſime excipiebat, ut ſe expertum eſſe fatetur eodem citato anno 1433. Ambroſius de Traverſariis illuſtris Camaldulenſium Generalis in ſuo Hædeporico his verbis: *Suadentibus amicis, ut antequam viſitare inciperemus, Ducem, ejuſque Conſilium viſitare officio noſtro pergeremus; IX. poſtquam eo adveneramus, die id executi ſumus; magna nos & Nobilium, & Religioſorum turba proſequente. Suſcepit nos humaniſſime, & reverenter Princeps inclytus, ac juxta ſe collocans, cum illi adhortatione Barbari mei cauſam adventus noſtri latine explicaſſem, tam grate, ſic prompte, adeo dulciter ſapienterque reſpondit, ut maximam moverit admirationem, egregieque conſolatum a ſe dimiſerit, hortatus: cæpto & inſtituto operi ardenter inſiſtere, opemque ſuam ubique pollicitus.* Pari etiam gratia receptum ſe fuiſſe

fuisse scribit, dum non diu post absolutis, quæ institutum suum respiciebant, officiis, Ducem adiit, ei de collato authoritatis præsidio gratias acturus.

Postea vero quam deliberato discessu in anteriora pergere constitueramus amicos omnes revisere, & Ducem denuo visitare decrevimus. Ipsum itaque intra cubiculum adire, & colloqui placuit, ubi accepti humanitate summa illi, quæ compereramus, & utriusque Monasterii statum expressimus, ut si quando placuisset aliud, non esset ignarus nostræ sententiæ. Gratissime pollicitus numquam se nobis defuturum. Et quidem hanc viri Principis humanitatem non ex industria ingenii, qua hominum ad se accedentium gratiam laudesque captaret, sed ex intima cordis humilitate processisse addiscimus ex epistola, quam ad ipsum illustrem Principem ex Monasterio Angelorum Florentiæ dedit laudatus Ambrosius, cujus quidem epistolæ hæc sunt exordia: *Dat humilitati nostræ fiduciam scribendi ad Celsitudinem tuam Christus Dominus noster, qui te fecit humilem corde. Etsi enim celso in apice terrenæ dignitatis resides, hominem tamen te esse, & ei fidelem servitutem debere, qui te creavit, & redemit, grate meministi, a quo & pro bono tui famulatus ministerio præmia æternæ beatitudinis speras. Bona itaque fiducia te alloquar.*

Ex hac porro suavissima Principis comitate adeo allectus fuit Ambrosius, ut illum deinceps non solum *propensiore amoris gratia* foveret, sed etiam *precibus votisque perpetuis Deo commendare* studeret. Ita ipse in epistola ex Eremo Camaldulensi, data ad Andream Donatum equitem scripsit: *Præterea te oro, ut me Domino meo Serenissimo Duci commendes, quem ita amo, ita admiror, ut ad gratiam nihil possit accedere. Neque vero solum ut Principem eminentissimæ gloriæ summæque sapientiæ, & facundiæ pene singularis, cui adjecta sit & oris excellens gratia, admiror. Hæc omnia quippe ceteris quoque mirabilem reddunt, verum præcipua quadam pietate, & propensiore amoris gratia, ut mei amantissimum observo, foveo, atque habeo; quodque solum valeo, precibus illum Omnipotenti Deo votisque perpetuis commendare studeo.*

Mirum autem esse nequit, quod Ambrosium virum gravissimum atque doctissimum præcipua benignitate exceperit, siquidem (ut de eo protulit in funebri panegyri Bernardus Justinianus) *ne aliquid esset in Principis officio quod laude careret,*

si

si ab aliis curis intentum animum relaxaret : adhibebat certis diebus promeridianos conventus aut Theologorum, aut Philosophorum hominum, ibique disserebatur de nobili aliqua quæstione, quæ vel ad Deum vel ad mores pertineret. Et hæc quidem non longa temporis spatia delectando erudiendoque animo potius quam relaxando indulgebat, quum autem principatus ejus *variis curis variisque molestiis publicis, belloque in primis Gallico cum Philippo Mediolanensi Duce vexatus esset*, in quo Foscarus ipse Dux præcipua seriaque sollicitudine laboraret, *constat* (ut refert Egnatius de honesto otio disserens lib. VIII. de exemplis cap. VII.) *ipsum Ducem, cum ocium ipsum non aspernaretur inter publicas res quamvis maxime sollicitum, piscationi operam ubi liceret, impendere solitum, proculque ab urbis stagnis in eo ocio versatum, videbat enim, qua sapientia præstabat, non posse publicæ rei tantos fluctus a se sustineri, nisi privato solatio quandoque indulgeret.* Breve autem ejusmodi otium erat, cum sui Principatus tempore, terra marique Respublica gravissimis bellis occupata fuerit, omniaque seu Ecclesiæ seu Italiæ præcipua negotia Venetorum seu armis seu consiliis tractarentur. Et quidem eo tempore, quo adversus audaces Basileensium Patrum conatus, qui Eugenium e Pontificio solio deturbare moliebantur, strenue per Oratores suos agebat Senatus, novi belli pericula laboresque suscipere coactus fuit; cum enim Mediolanensium Dux Philippus veteri odio Eugenio infensus Ecclesiasticas ditiones, ut diximus, aperto bello aggressus esset, Senatus ut Apostolicam Sedem, & concivem suum in ea collocatum ab injusta oppressione tueretur, arma sua Pontifici patrocinaturus, tertio adversus Insubres movit. Causam hujus belli afferunt fere omnes Veneti Historici, eamque in Ecclesiasticis annalibus retulit Raynaldus ad annum Christi 1433. num. 26. ubi & Eugenii Pontificis epistolam exhibet Francisco Foscari Duci Venetiarum Pridie non. Januarii datam, in qua post enarratam Marchiæ Anconitanæ à Francisco Sfortia Mediolanensium copiarum Duce proditorie peractam occupationem, sibi in gravibus adeo periculis constituto à Venetorum Duce, cujus prudentiam & sapientiam laudat, opem auxiliumque deferri enixe deprecatur : *Existimamus*, ita scribit Pontifex, *esse nota devotioni tuæ, quæ Comes Franciscus Sfortia egit contra nos, & Ecclesiam in Mar-*

Marchia Anconitana, quam fere totam proditorie occupavit nomine Concilii, ut asserit... Hæc quid sibi velint consideret tua prudentia... Velis igitur dilecte fili, qui soles futuris periculis providere summa cum prudentia & sapientia, discutere ista mature, & diligenter quorsus evadant cogitare, neque expectare donec procella hæc super alios descendat. Hisce igitur Eugenii querelis, opportunisque consiliis permotus Senatus arma adversus Philippum Ducem, ut diximus, agitare decrevit.

Interea dum bellum agitur, Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator ab Eugenio IV. Ferrariam ad OEcumenicam Synodum pro unienda Latinæ Græca Ecclesia Venetias appulit socios habens Josephum C. P. Patriarcham, plurimosque alios Ecclesiasticos, & Laicos Principes; Imperatori, qui anno 1438. die VIII. Februarii ad Monasterium S. Nicolai de littore accesserat, obvius die insequenti venit Franciscus Dux, ipsumque & comitatum ejus navi aurea (Bucentaurum dicunt) excipiens Venetias deduxit publicis impensis per aliquot dies alendos. Adventum Imperatoris, & solemnem qua exceptus fuit, pompam fuse enarrat Sanutus in Chron. col. 1051. qui Imperatorem asserit die XXIV. ejusdem mensis Venetiis discessisse, ut Ferrariam ad Generale Concilium se conferret. Parem festivæ receptionis comitatem a Duce & Senatu Imperatorem prædictum recepisse, dum a Concilio Florentino post sancitam utriusque Ecclesiæ unionem redux Venetias repetiit, die V. Septembris anno 1439. testatur citatus Sanutus col. 1081. scribens, Ducem Foscarum Bucentauro vectum Imperatori usque ad Sancti Clementis Insulam haud procul ab urbe sitam obviam processisse. Hoc erat ea tempestate apud Venetos in usu, ut si quis illustris Princeps Venetias accederet, Dux Senatu comitante in ejus iret occursum, quod & anno insequenti præstitit Dux Franciscus Marchionis Montisferrati filiæ, quæ Regi Cyprio sponsa designata Venetias venit, ut Reipublicæ triremibus ad id paratis in Cyprum deveheretur. *Adi 5. Maggio* (ita Chronicon Sanuti col. 1094.) *gionse la Reina di Cipro fighiola del Marchese di Monferrato. Le andò incontro la Dogaressa con una quantita di Done in numero di 124. fra le quali ve n' erano di vestite di panno d'oro, e di broccato in num. di 53. di seta circa 40. il resto con manto e vesti morelle nel Bucintoro... In reditu la Dogaressa per strachezza tramorti*

per

per due volte, e fu portata in palazzo con una barca, e si compì la festa avanti l'hore 23. e mezza. Pergit deinde Sanutus narrare solemnem apparatum, quo eam invisit Dux die 19. ejusdem mensis, Reginæque ipsius discessum, quæ Venetiis solvit post tres supra viginti dies in urbe Veneta festive transactos. Majorem deinde accepit civitas lætitiæ causam tum ex victoriis adversus Insubres relatis, tum ex acquisita Pischeria arce munitissima ad oram Benaci lacus, armorum vi subacta.

Exhibita ad id (ita Sabellicus Decade III. Lib. V.) *spectacula pene insueta, atque illa ipsa omnia in Jacobi Foscari Principis filii gratiam, qui uxorem per eos dies duxit splendidissima nuptiarum apparatu. Sed spectaculorum omnium illud ut insuetum, ita maxime voluptuosum, & ob id fortasse præ cunctis memorabile, quod a Samuelis æde ad Barnabæ ripam aquas, ponte ad tempus extructo, junxit, ut equestri pompa in Leonis Contareni* (Lionardo Contarini quondam ser Pietro da San Barnaba vocatur in Chronico a Sanuto, qui nuptiarum pompam fuse describit col. 1100. nuptiasque notat celebratas fuisse die X. Februarii anno 1441.) *ædes transiret, qui illi filiam desponderat. Eam paternis ædibus eductam Bucentauro, nobilissima navi, purpura instrato excipiendam curavit, in quo ex omni nobilitate matronæ vultu & fortuna præstantes affuisse dicuntur. Hastarum ad hæc sertamina & aurigationes plures dies tenuere, & a pluribus in Principis gratiam instauratæ.* Solemnem hanc nuptiarum pompam Andreæ fratri suo Constantinopolim eo temporis degenti renuntiarunt per epistolam Venetiis datam die VI. Februarii anno 1441. More Veneto æræ scilicet vulgaris 1442. Rampertus & Jacobus Contareni superius enuntiatæ Lucretiæ Fratres, Leonardi autem filii, quam utique epistolam illorum temporum mores humili stylo exhibentem ad Lectorum curiositatem in calce harum notitiarum, ne narrationis series nimium turbetur, exhibendam censeo signatam Littera (A).

Alligant ad annum insequentem 1442. Sanutus in Chronico col. 1105. & Paulus Maurocenus in Hist. Ven. lib. XXII. iteratos Francisci Ducis conatus, ut sese ab onere Principatus subduceret, quem bellica Reipublicæ pericula, & assidua consiliorum sollicitudo gravissimum ei effecerant. Id actum fuisse die Junii XXVII. refert Chronicon seu diarium Venetum MS. Obstiterunt autem ejus voluntati Consiliarii, quos

Q nomi-

nominatim recenset Marinus Sanutus pag. citata, scilicet Lucas Thronus, Jacobus Gabrielius, Melchior Grimanus, Leonardus Justinianus, Andreas de Bernardis, & Franciscus Barbarus Eques. Ex his Franciscus Barbarus, cum inter ipsum, & Ducem Foscarum arcta vigeret necessitudo, majori conatu se se Ducis desiderio opposuit, legemque objecit, qua vetitum erat Venetis Principibus Ducatu, refragantibus Consiliariis, se abdicare; *Barbarum cordi magnopere* (verba hæc sunt Card. Quirini in Diatriba ad epist. Barbari pag. CCCLXXIX.) *habuisse, ut Respublica Francisci Foscari regimine diutius frueretur literæ ipsius docuerunt*. In epistola enim, quam Barbarus Jacobo Foscaro Ducis filio Brixiæ dedit anno 1438. ita eum affatur: *Omnem curam, diligentiam, & sollicitudinem adhibebis, ut Princeps noster, ex cujus salute vita multorum pendet, quandiu fieri potest, conservetur, ne si ad humanos, & incertos casus valetudinis pestilens etiam hoc malum accesserit, Respublica in maximum periculum, & discrimen adducatur: quod per se ita perspicuum est, ut explicari non sit necesse. Et quamquam se putet vel naturæ satis vixisse, vel gloriæ, Patriæ tamen profecto non vixit satis, cujus adhuc pleraque vulnera curanda sunt, quibus secundum Deum nemo præter eum forte mederi potest. Danda est igitur opera, ut cum tanto periculo civitatis in contemnenda morte nunc sapiens esse non velit, postquam nec sibi soli natus est, nec mori potest. Quæ cum ita sint, te etiam atque etiam hortor ut omnibus postpositis inclytum Patrem in te, ac te nobis in Patre quam diutissime conserves, sine quo vix Imperii nostri majestas per id tempus amplificari posse videatur. Vale, & Patriam Inclyto Principi nostro commenda, quæ sibi amplissimam fortunam, & tot, & tanta ornamenta dedit, & amicos, & parentes, & liberos ad laudem, gloriam, dignitatem & libertatem commendavit. Brixiæ v. Nonas Martias MCCCCXXXVIII.* Francisci itaque Barbari, quem sibi amicum noverat, & aliorum Consiliariorum authoritate & hortationibus sedatus Princeps, tertia die post expositum animi votum, negotia publica iterum capessivit, Deo sic humanas res ex altis providentiæ suæ arcanis disponente, ut ad deponendam dignitatem vehementer pridem optatam, postea molestam non lubens ex voluntate iret, sed coactus ex necessitate impelleretur:

Hucusque omnia, quæ seu personam seu familiam Princi-

pis

pis attingebant, prosperum fortunæ cursum tenere videbantur, cum sævissima in Jacobum filium exorta tempestas extremos senis genitori dies amaritudine replevit. Res ita se habuit, ut fuse narrat Sanutus in Chron. col. 1117. levique calamo notat in Hist. Ven. Petrus Justinianus. Jacobi Foscari nomen apud Xvireos capitales a Michaele Bevilaqua infimæ conditionis homine anno 1445. mense Februarii delatum fuit, quod frequentius non a Venetis civibus solum, sed a subditis etiam locis, quinimmo a viris Principibus, & quidem Reipublicæ inimicis, qualis eo tempore erat Philippus Vicecomes Insubrum Dux, amplissima munera contra leges patrias accepisset. Ad quæstionem igitur evocatus, & equuleo tortus, cum tormentorum vi adactus se se turpissimi hujus criminis reum fassus esset, Xvirali sententia Naupliam Peloponnesi urbem in æterno exilio amandatur, a qua civitate si ullo unquam tempore se subduceret, extremo abscissi capitis supplicio tolleretur. Gravis insuper adjecta conditio, ut quotidie coram loci Rectore se sisteret, nec ad vitæ necessitates plures quam tres famulos adhiberet; male insuper accepta donaria restituere teneretur. Effulsit aspero hoc in eventu mira Patris Principis constantia, qui unicum sibi filium egregiæ indolis juvenem carceri mancipatum & tormentis afflictum (si fides MSs. Chronico) audiens eandem semper animi moderationem præsetulit, ut ne vultu quidem internas cordis angustias ostenderit. Judicum sententia sibi indicta, Jacobus triremem ut ad statutum exilii locum deveheretur, ascendit, qua vectus cum Tergestum appulisset, morbo gravi (verus ne an simulatus fuerit, variant authores) correptus, ibidem sistere coactus fuit, qua re ad Decemviros delata, misericordia Patris Ducis moti, juvenem in Tarvisina civitate relegarunt. Probabiliora videntur ea, quæ de Jacobi asserto crimine scribit Sabellicus decade III. lib. VI. qui Jacobum nec carceri traditum, nec fune tortum scribit, sed solum *a Decemviris accersitum, & quia ad diem non affuisset, absens damnatus est. Verum non multo post, cognita, credo, ejus innocentia, ex Tergeste quo se contulerat, publico decreto est Tarvisium revocatus, ea conditione, ut non solum urbem egredi liceret, sed Mestrana quoque prædia Prætoris permissu invisere. Mox vero, sive patri id sit datum* (quod quidem non convenit severæ illorum temporum

conditioni) *qui sapientia, & singulari charitate in patriam unicus in Venetis ea tempestate fuit, sive, quod magis credo, hominis innocentiæ ex Tarvisio est in patriam restitutus*. Attendendæ hoc loco opportune veniunt eventus hujusce notatu dignæ circumstantiæ, quas nobis offert Chronicon MS. anonymi scriptoris, in quo hæc habentur.

Adi 26. Decembre el fo messa parte nel Consejo de Pregadi che per rispetto, che la Galia che doveva andar à levar Miss. Jacomo Foscari fio del Serenissimo Doxe a Trieste per condurlo al suo confin non andò, el fu deliberato de remetter el suo caso un altra fiata al Consejo de X. E Miss. lo Doxe suo Padre venne al Conseglio, & parlò sopra questa materia si piatosamente & cum tante belle rason, & cum lacrime, che l'era una compassion à veder quel povero vecchio Padre à pianzer & partirse dal Consejo, & andò la parte & have balote in suo favor 500. & de nò 300. e 71. non sincere e così fu presa la parte, e poi la Domenica seguente el predito Miss. lo Doxe venne à Consejo vestido de Veludo cum el bavaro de Armelini atorno le spale, il qual si porta nelli zorni solemni in segno de allegrezza e li el rengratiò el Consejo, e dipoi nel Consejo de X. fu spazata la sua causa el dito

Die XXVI. Decembris anno MCCCCXLV. Actum est in Consilio Rogatorum, quod cum triremis quæ Tergestum missa fuerat, ut Jacobum Foscarum Ducis filium ad sui exilii locum deduceret, nequaquam discessisset, res iterum Xvirum judicio subiiceretur. Dominus Dux ejus Pater ad Consilium accessit, sermonemque ad misericordias eloquenti oratione excitantem habuit, lacrymisque sociavit, ita ut commiseratione moverentur senem Genitorem videntes fletu tristem a Consilio discedere. Decretum itaque cum Consilio oblatum suffragia propitia numerasset D adversa vero CCC. & LXXI. in neutram partem declinantia statutum fuit, proindeque insequenti Dominica die Dominus Dux Consilium ingressus est serico villoso indutus, humerosque palliolo ex mustellis albis quo in solemnioribus diebus uti solet, protectus in lætitiæ testimonium, gratiasque Consilio egit. In Xvirali deinde consilio expedita fuit iterum causa prædi-

ctus.

dito Miſs. Jacomo fu confinado a Treviſo e per il Treviſan, & dapoi à iſtanzia del Signor Michaleto li fu conceſſo el Meſtrin, & li el ſe ne ſtete per fin adi 13. Settembrio 1447. chel fu ritornato a ſtar a Venexia perchè fu cognoſcuto el ſuo delitto eſſer proceſſo da lezereza dell' inteletto, & per quello la terra li haveva levata la pena ancora che convenevole al ſuo pecato, & meritava mazor.

ctuſque Jacobus in urbe & agro Tarviſino relegatus fuit, poſtea vero rogatu Domini Michaelis (*Attenduli ſupremi copiarum Venetarum Imperatoris*) ut Meſtrium quoque accederet, permiſſus eſt, ubi habitationem habuit uſque ad diem XIII. Septembris anni MCCCCXLVII. qua Venetias rediit; compertum eſt enim ex ingenii levitate deliquiſſe, eaque de cauſſa allatam fuiſſe pœnam, quam (peccato ſuo etiam majora promerente) ſibi juſte comparaverat.

Certiora hæc redduntur ex decreto, quod in majoribus Comitiis latum fuit die 25. Novembris anni 1446. ex quibus Decreti chronicis notis jure ambigi poſſet, an Chronologus in anni menſiſve appoſitione erraverit. Decreti verba hæc ſunt.

1446. Die 25. Novembris M. C.

CUM Jacobus Foſcari filius Sereniſſimi Domini Ducis condemnatus fuerit per Conſilium de Decem, & datum ſibi confine in Neapoli Romaniæ, fueritque ſpecialiter ordinatum quod ire deberet cum Galea, cujus erat Patronus Nobilis Vir Marcus Triviſano, & ſicut Deo placuit eo tempore quo ire debebat ad dictum confine ſupervenit ſibi quædam inopinata infirmitas, & terribilis ægritudo, adeo quod non ſolum ire potuiſſet, imo ſe de lecto movere non poterat, fuitque in magno periculo mortis ſicut clare conſtitit per litteras dicti Marci Triviſano tunc ſcriptas Noſtro Dominio, aliiſque multis modis viſis, & informationibus. Occurrit inſuper, quod dictus Marcus Triviſano, poſtquam applicuit cum dicta Galea Tergeſtum, & infirmatus fuit quadam graviſſima ægritudine de qua tandem mortuus eſt, ſicut omnibus eſt manifeſtum, propter quas cauſas ſic diſponente Domino Deo Noſtro non fuit ullo modo poſſibile exe-

le exequi condemnationem prædictam, tam propter infirmitatem dicti Jacobi, quam etiam dicti Marci Trivisano, cum quo ire tenebatur, cumque omnes leges, omnis æquitas, omnisque justitia & umanitas vellit, quod hiis fortuitis, & inopinatis casibus, quibus non est possibile resistere unicuique succurrendum sit, quoniam non est nostri arbitrii contrahire voluntati & dispositioni Divinæ, cumque plures sint casus, quam Leges..

Vadit Pars, quod auctoritate hujus Eccelsi Consilii declaretur propter necessitatem prædictam honestam & legitimam causam .... Consilium de decem cum Additione aliorum de decem elligendorum per dictum Consilium possit deliberare de acceptando, & non acceptando dictam excusationem, ac providere de definiendo, & ex toto expediendo facta dicti Jacobi Foscari, vel per vias gratiæ, vel per alium modum sicut videbitur dicto Consilio cum Additione, in quo ista negotia habuerunt principium, & medium, ac multoties tractata fuerunt; Et Consiliarii, vel alii, qui per relapsum posuissent vel in præsenti ponunt, aut in futurum ponerent Partem vel Gratiam, vel Balotam in ista materia tam in isto Majori Consilio, quam in Consilio de decem cum Additione, non incurrant, nec incurrissent, intelligantur in aliquam penam, nec contumatiam realem, nec personalem, nec ullo unquam tempore possit eis aliquid opponi, vel imputari: Et non possit præsens Pars revocari, suspendi, declarari, aut aliter impediri nisi per omnes sex Consiliarios, & quatuor partes hujus Majoris Consilii & si aliter fieret non sit alicujus efficaciæ nec valoris.

Aurelio Bartolini
Nod. Ducale.

Quid exinde evenerit, jam superius a citato Chronici anonymo scriptore edocti fuimus.

Gratulatoriam ad Franciscum Foscarum Venetiarum Ducem *ob honorificum in patriam reditum Jacobi Foscari ejus filii* epistolam misit Laurus Quirinus illustris Philosophus, aliamque

que *ad ipsum Jacobum* dedit *de eodem argumento*, *qua* (ut testatur Card. Quirinus in diatriba ad Epist. Francisci Barbari) *inter cætera scribit ad æternam Jacobi nominis gloriam exilium illud evenisse, quod eo in Republicis multati haud raro leguntur præstantissimi Cives, ut ipse Jacobus, vir doctrina atque optimarum literarum studiis eruditus, veteres annales evolvens, facile dignoscere poterat.*

Concordem nostratum relationem evertere videtur externus scriptor, sæpe laudatus scilicet Æneas Sylvius Piccolomineus, qui in citata Francisci Foscari vita MS., non expresso Jacobi crimine eum relegatione mulctatum scribit, additque fuga elapsum statuti exilii legem subire recusasse: Hæc sunt Historici verba: *Hujus* (Francisci Ducis) *filius quem unicum* (supple habebat) *in suspicionem adductus cum venire ad se satellites audivit, nam & unus ex servis ejus suorum Consiliorum particeps jam ad supplicium ereptus erat* (hæc de servo capto circumstantia referenda videtur potius ad secundam, quam Jacobus pro asserto ejus homicidio sustinuit quæstionem, ut mox videbimus) *onerata navicula admodum veloci cum quadraginta remigibus multoque auro Tergestum aufugit. Sententia contra eum in Senatu lecta est: illum relegationem apud Neapolim Romaniæ observare debere; numquam urbem excedere, numquam se Ducis filium dicere, tribus famulis contentum esse, nullum se natu majorem præcedere. Id si fecerit, filios ejus bona avita recipere posse, sin autem privatos omnes esse hæreditate. Lata est sententia per octo viros* (ita vocat Æneas Xvriale Consilium, quod indulgendum est viro rerum Venetarum minus perito) *qui id partis habent inscio Duce; quam cum Foscarus audisset, culpam, inquit, filii mei doleo, pœnam non doleo. Missa mater ad filium uti relegationem suaderet, optinere non potuit, pater tamen dissimulavit, sed credibile est eum dolere; vir fuit enim semper fortunatus tunc autem in filio infelix est.*

Nec tamen privata calamitate generosi Principis animus factus est aut in officio tardior, aut in patria charitate remissior, quod & præclaro exemplo ostendit anno 1448. ob Caravagiensem cladem memorabili. Venetum exercitum apud Caravagium acri prælio ita fuderat, contriveratque Franciscus Sfortia Mediolanensium Dux, ut fugato Attendulo supremo Venetæ militiæ Imperatore, captisque duobus Patritii ordinis

Le-

Legatis, qui copiis præerant, paucissimi sibi fuga consulentes victoris iras evaserint. Id cum Venetias nuntiatum esset, (ita Franciscum Ducem laudat Egnatius lib. III. de exemplis cap. VI.) *tantum abfuit, ut consternata civitate Foscarus ipse Dux præcipue Gallici belli auctor conciderit animo, ut statim advocato Senatu vestem purpuream indutus, vultu etiam lætiore, magnaque auri vi profusa, patres ipsos sit adhortatus, ut nequaquam humilioribus animis aurum & argentum domesticum & ipsi in publicum offerrent, fore pollicitus, ut intra triduum Venetæ copiæ recuperarentur omnes, memorabili tamen eventu, quando Franciscus Sfortia victor pacem a Venetis petierit, & Mediolanensium principatum Venetorum in primis opera adeptus sit*. Pari quoque laude invictam Ducis constantiam celebraverat idem Egnatius citati libri cap. III., iterumque extulit lib. VIII. cap. IX. ubi refert consternatum tantæ cladis nuntio Senatum sic Foscari Ducis hortatione excitatum fuisse, *ut quamprimum erecti patres ejus dicendi vi & eloquentia, novoque celebrique ipsius Ducis facto, qui privatam pecuniam omnem suam in Senatum transferri jusserat, qua ad bellum uterentur, ad hæc se legati nomine discinctum aliquantulum in castra profecturum pollicitum adeo omnium movit animos: tum dicendi vis illius, tum profusa coram omnibus auri copia, ipseque ad hæc paratus ad omnia, ut S. C. de bello instaurando statim sit factum; ingentesque copiæ paratæ*.

Post illustres hosce fortitudinis & liberalitatis actus, quibus patriam suam in maximo periculo laborantem iuverat Franciscus Dux, novo eoque graviori quo intimiori experimento ejus constantia probatur. *In hæc tempora incidit* (ita Sabellicus dec. III. lib. VII. eventus recensens anni 1450.) *Hermolai Donati viri Patritii cædes, de qua acerbissima est quæstio Senatusconsulto decreta, stipendio in perpetuum cum præsenti mercede indici proposito*. Grave hoc patratum scelus superius lib. VI. citatæ decadis memoraverat idem Sabellicus, post relatum Jacobi Foscari in patriam regressum. *Sed ut tenax est fortunæ* (hæc Sabellicio sunt verba) *ubi sævire cœpit tenor, ita sane evenit ut non multo post quam in urbem venerat, in crimen cædis sit devocatus, quasi eo authore Hermolaus Donatus dum noctu ex Curia se domum reciperet interfectus esset. Post itaque acerbissimam quæstionem de ea re habitam, quum nulla majora ejus cædis indicia extarent, in Cretam Insulam est relegatus. Hinc quoque*

que

que postea, quia res novas per literas molitus crederetur, triremi ad hoc ipsum in insulam missa Venetias delatus, quum quaestioni adhibitus rogaretur, an auctor fuisset earum litterarum, quae ad hostes scripta dicerentur, ita sane esse affirmavit: caeterum dedisse se operam, ut ad Venetorum magistratuum manus pervenirent, ratus fore, ut ob eam causam in patriam revocaretur, si non qua vellet, qua saltem posset, conditione. Demum quum nihil alioquin noxae in eo compertum esset, in insulam novissime ablegatus, vitam in ea cum morte commutavit. Memorabile innocentis viri infortunium historico quasi usus compendio exaravit Sabellicus, cujus peculiares circumstantias scriptis commendarunt plurimi Chronologi in MS. Codicibus, & praecipue Sanutus in suo edito Chronico col. 1138. & 1162. ubi refert Hermolaum Donatum Xviralis Consilii Praesidem anno 1450. die V. Novembris hora quarta noctis, dum e Senatu domum praeeunte funali revertitur, vulnere a tergo ictum proditorie fuisse, ex quo post duos dies obiit, cum prius Christiana magnanimitate interfectoribus pepercisset. Sceleris patrati nuntio ad Xviros delato proposita fuere praemia, si quis occisoris nomen in judicium deferret, cumque defuncti Hermolai in Triumviratus munere socii essent Triadanus Grittus, & Antonius Venerius, hic de Donati nece Jacobum Foscarum Francisci Ducis filium criminatus est, statutaque accusatori munera detulit. Quis autem hic Antonius fuerit, addiscimus, ex MS. Chronico, quod ex Nobilium possessorum nomine *Venerium* (Chronica Veniera) nuncupatur, in quo haec habentur: *Dinotandovi come la sua accusa fu fatta per ser Antonio Venier detto Brasuola, ch' era un gran tristo, disutile, e vizioso, il quale ha hauto Ducati* 200. *all' anno dal Consiglio di X. per questa causa*. Accusationem Venerii narrat Sanutus hoc modo. *Ser Antonio Veniero detto Brasuola incolpò ser Jacopo Foscari di mss. lo Doge avendo sospetto, ch' egli l' havesse fatto ammazzare da un Oliviero suo famiglio*. Enarrata deinde suspicionis levi caussa prosequitur. *Ridottosi il Consiglio di Dieci presero di ritenere il predetto Oliviero, e collegiato li furonno dati in più giorni ottanta tratti di corda; ma egli mai non confessò alcuna cosa. Ma gli fu data tanta corda per certi indizi che diede il detto ser Antonio Veniero Brasuola che il figliolo del Doge avesselo fatto fare. Perloche fu preso di ritenere il prefato ser Jacopo Foscari, e fu tor-*

R men-

mentato, ne mai confesso cosa alcuna. Porro indicia hæc, quibus in suspicionem patrati homicidii Jacobus Foscarus adducebatur, notat Egnatius lib. VIII. de exempl. cap. III. *Interfectus fuerat ex decemviris unus Hermolaus Barbarus authoritatis summæ vir dum domum redire noctu ex senatu profectus, qui quum servum tantum a manu qui lumen præferret comitem secum duceret mox extincto lumine*, dum ut ad parietem mingeret, aliquandiu stetisset, *non procul ab ædibus suis interfectus est. Cæterum cum lateret facinoris tam scelesti auctor, quodque in civitate tam pacis & quietis cupida permolestum nimis esset, tandem visum est nonnullis etiam deferentibus Jacobum Foscarum Ducis filium authorem fuisse patrati criminis, quoniam universæ civitati cognitum, perspectumque erat acerbas inimicitias, & pergraves inter ipsum Jacobum & Hermolaum ad eam diem extitisse*; quæstioni enim de Jacobo habitæ ipse Hermolaus, (ut notat Palatius in fastis Ducalibus) tamquam Advocator Communis præfuerat. Quoniam vero & patrati sceleris atrocitas, & asserti rei conditio id exposcere videbantur, ordinario Capitalis Consilii numero juxta eorum temporum consuetudinem statuta fuit aliquorum Judicum additio, quorum studio & veritas erueretur, & iniquitas, si quæ inventa esset, justa severitate puniretur. Judicum, qui in eo negotio ferendi suffragii jus habuerunt, nomina nobis innotescunt ex antiquo apographo documento inter schedas Foscaræ familiæ extante, quo inferius signatum littera (B) exhibendum erit.

Coacto itaque virorum cœtu ex ipsorum authoritate decretum est, ut Jacobus per delata indicia connotatus homicidii reus ad carceres traheretur, atque tormentorum vi ex ipsius ore patrati criminis veritas erueretur. *Ductus igitur in carcerem* (ita Egnatius loco citato) *gravissimeque tortus etiam aliquando sentiente Patre, qui publicis negotiis præerat, numquam adduci potuit, ut ne crimen unquam cogitatum a se fateretur*. Quanta autem animi constantia gemitus filii in eculeo torti, qui ad aures usque suas perveniebant, tulerit Pater Princeps, effert cum laude citatus Egnatius lib. IV. de exemplis cap. I. ubi de moderatione animi agens Francisci Foscari fortitudinem ad exemplar proponit his verbis: *Celebris est Francisci Foscari Principatus qui suo consilio quum Rempublicam felicissime diu foris administrasset, nescio tamen quo fato domi eandem tranquil-*

lita-

litatem servare non potuit. Jacobo enim filio falso accusato, quod Hermolaum Donatum Decemviralis consilii præfectum, cum domum noctu reverteretur, quasi sibi injustiorem interficiendum curasset, non poterat certe pater, quum tortum in eculeo eum etiam audiret, non aliquantum commoveri. Verum tanta animi constantia ut ne vultu quidem hunc dolorem prodiderit, filium quoque ipsum inde perpetuo exilio damnatum quamvis innocentem æquissimo animo tulerit; & sese etiam postea in ordinem redactum, quod invidiæ malevolorum in se hominum obsistere non potuerit, pari modestia, fortitudineque animi sustinuit. Quamvis igitur nulla ex accusati ore nec tormentorum acerbitate criminis confessio extorta fuerit, attamen indiciis, quæ contra ipsum erant, innixi Decemviri die 26. Martii anni insequentis 1451. eum perpetuo ab urbe exilio mulctarunt, assignata in locum domicilii ejus Cydonia urbe vulgo *la Canea* in Creta Insula, ad quam statim publica trireme vectus accessit. Ibi a Joanne Trivisano Cydoniæ Rectore austere adeo custoditus fuit, ut nec intra civitatis suburbia aliquando deambulare ei permitteretur, licet ejusmodi indulgentia alius eodem damnatus exilio usus fuerit; ut patet ex epistola, quam de hac re Francisco Foscaro Duci scripsit idem Joannes Caneæ Rector die X. Septembris ipso anno 1451. (C)

Quum autem ad arctæ custodiæ tædium acre visendi Patris desiderium accederet, Jacobus mentis delirium simulans epistolam ad Triumviros Capitales misit, quam Venetias detulit Ludovicus Bochetta Ducalis Cancellariæ Scriba, qui publico Decreto Jacobum Cydoniam duxerat. Ea epistola ad Xvirale Consilium delata; *& intesa* (ita Sanutus col. 1139.) *la continenza di quella fu preso nel Consiglio di X. di dargli licenza, che potesse venir in questa terra. Il qual venne del* 1452. *a* 26. *di Maggio, e gionto in questa terra vidde il Doge suo Padre, e lo bacciò, e poi pel detto Consiglio fu rimandato al suo confine*. Novas deinde infelicis Jacobi calamitates enarrat ipse Sanutus col. 1162., quibus universam rei seriem inextricabili modo confundit; prædictum enim Bocchetam Scribam, qui anno 1451. Jacobum deduxerat ad exilii locum, & deinde cum ipsius Jacobi epistola ad Triumviros missa Venetias paulo post redierat, scribit deinde

ad urbem Venetam post adductum in Cretam Jacobum appulisse, ipsiusque exulis litteras Francisco Sfortiæ Mediolanensium Duci inscriptas Xviris protulisse, quæ novi mali, iteratique tormenti caussas inconsiderato scriptori produxerunt. Rem ex ipso Sanuto profero, animo tamen reputans erudito lectori satis notum esse Chronologum hunc multarum rerum optime meritum coacervatorem, in apponendis tamen chronicis notis, iterandisque confuse factis frequentius errasse. Hæc sunt ejus verba, quæ ad magnanimi Ducis laudem potissimum afferimus. „ Adi primo di Giugno (*res ponitur inter eventus* „ *anni 1456.*) venne à Venezia Luigi Bocchetta, che fu Ballotti- „ no del Doge presente il quale andò ad accompagnare Ser Ja- „ copo Foscari figliuolo del Doge al suo confine alla Canea „ giusta la condennagione del Consiglio de Dieci colla Giunta. „ Il quale Ser Jacopo finse di scrivere una lettera al Duca Fran- „ cesco di Milano, commemorandogli i servigi avuti per favore „ del Doge suo Padre, pregandolo, che egli volesse pregare la „ Signoria, che fosse contenta di rimuoverlo da quel confine, „ e lasciò la detta lettera aperta sulla tavola, acciocchè il detto „ Bocchetta la vedesse, e lo dicesse a' Capi de' Dieci acciocch' „ eglino il mandassero a togliere come seguì. La qual lettera „ Ser Jacopo diede al detto Luigi, che la mandasse à Milano. „ Il quale giunto quì, la presentò à Capi de Dieci. Onde i „ Capi per sapere la cosa, armarono una Galera, Sovracomito „ Ser Lorenzo Loredano quondam Ser Piero Procuratore (*cu-* „ *jus familia veteres cum Duce Foscaro nutriebat æmulationes*) „ e la mandorono alla Canea a togliere il detto Ser Jacopo. „ Ora il detto Ser Jacopo Foscari fu condotto quì in giorni „ 34. tra l'andare, e'l ritornare della detta Galera, e giun- „ se a Venezia a di 19. di Luglio alla campagna, e fu po- „ sto in Torricelle co' guardiani. E nota che fu fatta in que- „ sta materia al Conseglio de Dieci una giunta di venti. Il „ qual Jacopo collegiato confessò de plano d'avere scritta la „ detta lettera, e postala dove fosse veduta. E questo aver fat- „ to per poter vedere il Doge suo Padre prima che morisse, „ e sua Madre, e poi ritornare al suo confine. Onde a di 24. „ di Luglio colla giunta fu proceduto contro di lui, videlicet, „ ch' esso tornasse al confine alla Canea, dove stesse un' anno

„ in pri-

„ in prigione; e se scriverebbe più lettere ad alcun Signore, „ dovesse finir la sua vita in prigione. E fu data libertà al „ Doge, e alla Dogaressa, alla moglie e a figliuoli, d' andarlo a vedere nelle Torricelle. Il qual Jacopo però ebbe prima, „ per sapere la verità da que' che lo collegiarono, trenta squassi „ di corda. Onde il ritrovarono aperto. E con licenza de Capi de' Dieci fu menato in camera del Cavaliere del Doge a „ guarire, dove il Doge andò à vederlo e ad abbracciarlo. Il „ Doge era vecchio in decrepita età, e camminava con una „ mazzetta. E quando gl'andò parlogli molto costantemente, „ che parea non fosse suo figliuolo, licet fosse figliuol unico. „ E Jacopo disse: Messer Padre vi prego, che procuriate per „ me, accioche io torni a casa mia. Il Doge disse: Jacopo va, „ e ubbidisci a quello che vuole la terra, e non cercar più oltre. Ma si disse, che il Doge tornato a Palazzo tramortì. „ E poi il detto Jacopo fu mandato al suo confine alla Canea.

Dum autem hic moraretur, viri aliqui, quorum maxima erat in Republica authoritas, senis Principis miseratione, & illustris familiæ desolatione commoti omni studio agere cœperunt, ut Jacobus vel ab exilio revocaretur, vel exilii locus in Tarvisino Patavinoque agro decerneretur. Rem innuit Sanutus loco citato his verbis, quæ superius allata immediate continuant: „ Il quale appena giuntovi, Ser Vittore Capello, ser „ Orsato Giustiniani il Cavaliere, e ser Paolo Barbo il Ca„ valiere procuravano di farli Gratia. Ma sopravenne la nuova, „ come il detto Jacopo era morto e nulla seguì.

Supersunt adhuc in Foscaræ familiæ Archivo duæ apographæ schedæ, informes quidem, quia nulla chronica nota, nulloque exhibentis nomine signatæ, attamen antiquo ejus ævi charactere parique stylo exaratæ, omnique fide dignissimæ; una quarum supplicis libelli formam præfert ad impetrandam revocationis ab exilio indulgentiam dispositi; altera vero allegationis speciem exhibet, qua judicum animi gravissimis rationibus ad expetitæ gratiæ elargitionem adducuntur. Utramque exhibere censeo, (DE) eas enim eruditis Venetis, & antiquarum rerum patriæ suæ studiosis haud injucundas fore confido.

Inhonoro hoc fine dies suos clausit Jacobus Foscarus juvenis, ut jam diximus, egregiæ indolis, in quo neque pietatem, neque

neque literarum cultum, neque cæteras defuisse virtutes haud levia ex gravissimis scriptoribus argumenta probare videntur. Et quidem vir summi nominis Ludovicus Foscarenus, dum anno Domini MCCCCXXXVII. Feltriem Prætor administraret, Martyrium S. S. Victoris & Coronæ Urbis ejusdem Protectorum a se ex Græcis codicibus concinnatum, Jacobo Foscaro Francisci Ducis filio epistola præliminari inscripsit, in qua eum virum insignem nominat & commendat. Sed & *Sanctos Monachos* Foscaro *amicissimos* memorat Cl. Senator Franciscus Barbarus in epistola anno 1437. scripta, quæ est XXVII. in collectione Card. Quirini, in qua ipsum Jacobum *Primarium & Clarissimum nuncupatum* ex pietate & amicitia laudat, quod Zachariam Barbarum laudati Francisci fratrem gravi morbo laborantem Sanctis Monachis amicissimis commendarit. Fragmentum epistolæ damus, ex qua etiam Jacobum necessitudinis vinculo agnoscimus Paulo Venerio viro piissimo Abbati Sancti Michaelis de Muriano fuisse conjunctum. *Quare cum Sanctos Monachos nobis amicissimos pie ac sollicite monueris, ut orationibus suis nos divinitus juvarent, non solum nobis adjumento fuisti, sed etiam quantum amicitiæ, & necessitudinis nostræ dignitas possit, ostendisti: unde non solum laudi tuæ, sed etiam commoditati meæ consultum est. Res enim adversæ, sicut nosti, si partiantur, communicenturque, leviores fiunt. Laudo igitur proboque fidem & constantiam tuam, quia licet tu absens esses, & nos quoadmodo mortui essemus, pro tua virtute rationem tamen habuisti & salutis nostræ & dignitatis tuæ. Vale; Inclyto, Principi, quando tempus & locus patietur, & Patri nostro Abbati Sancti Michaelis, & spectatissimo Marco Foscaro me diligentissime commenda.*

Alias etiam dedit epistolas Barbarus eidem Jacobo, unam nempe citato anno 1437. XII. Kal. Decemb. alteram anno insequenti 1438. V. Nonas Martii, qua dum ipsum de morte Dominici fratris merentem consolatur, ejus virtutem effert, quod *per se tantum valeat, ut alienæ consolatiouis officium minime illi necessarium esse videretur*; *sic enim natus* (ait Barbarus) *sic institutus es, ut tua sponte Deum naturæ quasi Ducem ad bene beateque vivendum sequaris: quæ cum ita sint, sicut soles omnia, sapienter, & moderate feres quæcumque contigerunt. Nec patieris ut modestia tua, quæ secundis in rebus elucet, in hoc acerbo casu*

fra-

fratris desideretur. Sed potius, sicut vitam componis ad exemplum illustrium virorum, ita nihil prætermittes, ut constantia, & animi tui magnitudo posteritati commendetur. Quanta autem benevolentia Barbarus Jacobum Foscarum, quem suum ex amore dicit, prosequeretur, testatur ipse in epistola eodem anno 1738. Brixiæ XII. Kalend. Aprilis Laurentio suo doctissimo data, qua mœrorem animi sui de Dominici immatura morte ostendens, suam commemorat *in Magnificum Jacobum Foscarum non solum benevolentiam, sed etiam pietatem;* Deoque gratias habet, *quia sicut* (ita scribit ipse in epistola signata num. LIV.) *ipsi Dominico pro hac brevi vita immortalitatem dedit, ita & Principem & Jacobum nostrum nobis pro sua clementia incolumes servavit.* Nec minorem Jacobi probitati fidem adstruit pergamenum authenticum diploma, quo *Gullielmus de Casali Ordinis Minorum Generalis Minister Jacobo Fuscaro Ordinis Beati Francisci amico, & benefactori devotissimo*, omnium, quæ in sua Religione peragebantur, spiritualium bonorum participationem indulsit, quam etiam ad Genitorem Ducem, universamque tum viventem, tum præmortuam familiam extendi voluit, sinceritatem attendens devotionis, quam ad Seraphici Patris Ordinem, *ex pia & veridica Fratrum relatione* Jacobum ipsum deferre cognoverat. Diploma Januæ datum anno MCCCCXL. die X. Octobris inferius exhibetur signatum littera (F)

Hæc itaque cum ita se habeant, ex iis germanam comperimus caussam, cur Franciscus Barbarus vir pius æque ac doctus, atque fortissimus veritatis assertor iis benevolentiæ amicitiæque testimoniis, & laudum amplitudine in Jacobo usus fuerit, quæ nunquam protulisset, nisi ex certis actionum indiciis sincera in ipso notasset virtutis argumenta.

Sed & ab externis scriptoribus singularis necessitudinis, qua Jacobus Foscarus & Franciscus Barbarus se se mutuo colebant, certum testimonium accipimus; Isotta enim Nogarola præstantis ingenii Virgo in epistola ad Jacobum Foscarum scripta eidem gratulatur, quod Franciscum Barbarum nactus fuerit studiorum suorum suasorem, & ducem, ut erudite notavit in diatriba præliminari ad epist. Barbari pag. CCCLXXX. Cardinal. Quirinus, qui ita deinde prosequitur, *Jacobi ejusdem studia, & cum eruditis viris necessitudo*

patent

patent etiam ex Pogii epistola eidem data, quam paucis contentam lineis ad infortunati viri ornamentum afferimus.

„ Poggius Florentinus Jacobo Foscaro S. P. D.

„ Ciriacus noster Anconitanus Venetias venturus rogavit
„ ut ad te aliquid scriberem, nullo enim modo sine meis
„ literis profecturum se dixit. Ego (quamvis nihil sit quod
„ ad præsens scribendum videatur) tamen ut satisfaciam tum
„ Ciriaco, tum meæ in te benevolentiæ, idipsum nihil esse
„ quod occurret scribendum duxi. Silui, mi Jacobe, tecum diu-
„ tius quam ferat mea consuetudo; id accidit non oblivione
„ tui, sed tum occupationibus tum incuria quadam, & tæ-
„ dio scribendi. Sunt etiam senes, qualem jam me esse pro-
„ fiteor, in rebus agendis tardiusculi. Gravis insuper casus
„ quo te fortuna perculit, fratris scilicet amantissimi obitus,
„ me continuit a scribendo, ne vel consolando recrudesceret
„ obductum jam tempore vulnus, aut nihil de ea re loquen-
„ do, cum esset gravissima, parum amoris ostenderem erga vi-
„ rum amantissimum mei. Sed hæc diligentia resarciri pos-
„ sunt, quamvis incipiam esse negligentissimus. Ego tuus
„ sum; si quid est, quod me velis scribere, efficiam profe-
„ cto, ut cognoscas Poggium tibi deditissimum. Commendo
„ tibi Ciriacum doctum & bonorum studiosum. Vale & me
„ ama. Ferrariæ.

Sed etiam optimarum artium studia Jacobum coluisse ex plurimis patet argumentis, tum ex eo precipue, quod ad ea uberius fovenda divitem sibi ex Græcis Latinisque selectis codicibus bibliothecam instruxerit. Author propterea ab aliquibus enuntiatur ejus Chronici, quod *Cronaca Foscara* communiter nuncupatur, notitiarum copia, & temporum dierumque appositionibus apprime utilis; attamen quum Francisco Duci tribuendam esse neget libro II. *della Litteratura Veneziana* Clar. Vir Marcus Fuscarenus Procurator, ex variis ipsius circumstantiis, & quia characterum forma recentioris ævi usum præseferat, id multo magis de Jacobo sentiendum, qui Patris Ducis depositionem sua morte præcessit.

Quoniam vero longiorem (prout res exigere videbatur) de

de Jacobo Foscaro habuimus sermonem, libet & ipsius fratres Francisci Ducis filios enuntiare, qui omnes morte sua Jacobi infortunia mortemque antecesserunt. Quinque Francisci Foscari Ducis natos enuntiat Sanutus in Chronico col. 968., qui deinde quatuor recenset nominatim his verbis: *Avea figliuoli cinque, Donato il quale morì in Palazzo nel* 1425. *Lorenzo che morì nel* 1431., *Giovanni che morì nel* 1427. *e Jacopo il quale fu bandito e posto in esilio, dal quale è nata la sua discendenza*. Dominicum itaque prætermittit Chronologus ex frequenti negligentia minus laudabilis, quippe qui etiam erravit in apponendo emortuali anno Joannis, quem ex gentilitio Foscarorum stipite novimus decessisse anno 1429. Nec Francisci Ducis filios eo ordine texuit, quo in lucem prodierunt; siquidem, ut ex citata gentilitii stipitis tabula addiscimus, Joannes prior, mox Laurentius ex Maria de Priolis prima Ducis uxore orti sunt, quæ etiam geminas filias ei peperit, Camillam Andreæ Donati Equitis uxorem, & Blancham, quæ Marco Ruzino nupsit. Jacobus autem, Donatus & Dominicus matrem habuerunt Mariam Naniam, ex qua etiam natæ sunt Benedicta Andreæ Trivisani uxor, Paula Hieronymo Michaeli in matrimonium tradita, & Maria quæ innupta obiit. Quoniam autem Gentilitium clarissimæ familiæ stipitem memoravimus, libet ex eo hoc loco quasi nacta occasione majores Francisci Ducis proferre, qui omnes peculiari merito in administranda Republica emicuerunt.

Philippus Foscarus invenitur in Comitiis majoribus ab anno 1264. usque ad annum 1277. cujus filius Joannes obiit anno 1319. Nicolaus Eques Joannis ex Guillielma Canali filius plurimis clarus in Republica muneribus, ab externis etiam principibus non honore solum & decoris titulis, sed prædiis quoque, & opulentis possessionibus auctus fuit. Militari honore Nicolaum Foscari decoratum fuisse a Cane Grande Scaligero, dum Mastini filii sui nuptias cum Thadæa Jacobi Carrariensis filia celebraret, refert in suo MS. accuratissimo Chronico Laurentius de Monachis Venetus in Cretensi Regno Cancellarius: Thadæa (ita Monachus) *Padua mirabili societate ducitur Veronam, cui Canis Grandis obviam venit magno apparatu, tenuitque solemnissimam Curiam in Verona, in qua multi egregii viri, inter quos fuit Nicolaus Foscari de Venetiis,*

fuerunt bonore militiæ decorati. Magnifica Tadææ ſponſalia, & delatam Nicolao Foſcaro equeſtrem dignitatem referunt Hiſtoriæ Gulielmi & Albrigeti Cortuſiorum lib. IV. capite II. & ſequentibus; Marſilium enim Carrarienſem narrant, Dominium Paduæ in manibus Canis Scaligeri anno MCCCXXVIII. renuntiaſſe, ea tamen conditione *quod matrimonium promiſſum Jacobo patruo ſuo de Thadæa ejus filia, & Maſtino* Canis Scaligeri *filio compleretur. Die igitur XIV. Septembris Dominus Maſtinus Dominam Thadæam publice deſponſavit*; quæ deinde *cum magno gaudio* adveniente ei obviam Cane Socero ſuo, *Civitatem Veronæ intravit die Sabbati XXVI. Novembris. Sequenti die* (Canis Veronæ Dominus) *gaudium voluit eſſe ſolemne, & multis nobilibus donavit bonorem militiæ, quos ornavit veſtibus aureis & purpureis, aureis cingulis, deſtreriis, & pulcherrimis palafrenis*. Recenſent deinde Cortuſii cap. VII. nobiles illos, quos ex diverſis Civitatibus *milites creavit* Dominus Canis Grande de la Scala, poſtque enuntiatos Veronenſes, Paduanos & Vicentinos ſequitur, *De Venetiis Nicolaus Foſcari*. Num eo tempore apud Canem Legatione Venetorum ad nuptiarum decorem fungeretur Nicolaus, incompertum mihi eſt, illud autem conſtat, unicum ex Venetis ordinatum fuiſſe ea occaſione equitem.

Adverſus hæc tamen ſtare videtur Regalis Diplomatis auctoritas, quod ex gentilitio familiæ ſuæ Archivo mihi humaniſſime protulit Franciſcus Foſcarus ampliſſimus Venetiarum Senator, ex ipſius Nicolai equitis, & Franciſci Ducis ſanguine originem trahens. Inſtruunt igitur nos Diplomatis (G) huiſce verba, Franciſcum Foſcarum anno MCCCXXXI. die XXX. Aprilis a Joanne Bohemiæ, & Poloniæ Rege tunc in civitate Parmæ commorante aſſumptum fuiſſe, & ordinatum *in militem conſiliarium & familiarem* ipſius Regis, conceſſis ei *omnibus privilegiis & beneficiis, quibus cæteri milites & conſiliarii* potiebantur. Quum itaque & accuratiſſimis Chronologis plena adhibenda ſit fides, nec minor ſit Regii diplomatis authoritas, dicendum eſt Nicolaum primo apud Veronam a Cane Grandi anno MCCCXXVIII. aureo militiæ cingulo donatum, mox a Joanne Rege ad decoris augmentum inter milites, & Conſiliarios Regios adſcriptum fuiſſe. Honorem hunc ampliſſimo beneficio non diu poſt cumulavit idem Rex Joannes,

nes; Brixiæ enim degens die XXI. Junij ejusdem anni *Nicolao Foscaro Sacri Romani Imperii Comiti Palatino, Equiti, & intimo Consiliario suo, & hæredibus ejus utriusque sexus tam natis quam in perpetuum nascituris* opulentissima prædia in agris Patavino & Tarvisino posita *ex certa scientia* concessit, *eundemque pro se & suis hæredibus Sacri Romani Imperii Comitem Palatinum confirmavit.* (H)

Hujus Nicolai filius fuit Joannes alter Eques præclaris pro Republica apud Petrum hujus nominis IV. Arragoniæ Regem & Urbanum V. Pontificem Maximum functus legationibus, qui a Carolo IV. Romanorum & Bohemiæ Rege superius enuntiati Joannis Regis filio (I) inter Consiliarios & familiares assumptus & ordinatus fuit anno MCCCLIII. die XII. Octobris: Obiit hic anno MCCCLXVI. Multos habuit filios, ut ex Codice Familiarum MS. novimus, Petrum scilicet, Paulum jam superius memoratum Methonensem prius, mox Castellanum Episcopum, Nicolaum virum clarissimum Patavii Prætorem & Francisci Ducis Patrem, Franciscum vulgo nuncupatum *Franzi* superius cum laude memoratum, Maphæum, Andream, & Philippum.

Nicolaus itaque Donatum genuit, Franciscum Venetiarum postea Ducem, & Marcum Procuratorem, qui ex Margarita Marcello suscepit Petrum Protonotarium Apostolicum, & Ducalis Basilicæ Primicerium, postea a Paulo II. secreta (ut patet ex authentico documento (K)) electione inter S. R. E. Cardinales cooptatum, & Joannem, ex quo originem habuit familia Foscara de confinio SS. Apostolorum Simonis & Judæ, vulgo *S. Simon picolo*. Celeberrimi viri Marci Foscari Procuratoris constantiam præcipue in toleranda filiorum morte extollit laudibus Ludovicus Foscarenus in epistola ad Philippum Parutam Archiepiscopum Cretensem. *Marcus Foscarus*, ait ipse, *dignissimus ejus* (Francisci Ducis) *frater utriusque sexus natis defunctis eodem vultu, & habitu se sæpius exhibuit, nec condolentes admisit, quoniam ex se nascituros, antequam ederentur, mortales intelligebat.* Franciscus autem, ut superius diximus, ex utraque uxore quinque masculos habuit, quorum minor natu Dominicus pestilenti morbo correptus anno 1437. e vivis immature discessit. Juvenis hujus præclara indoles, ut scribit Franciscus Barbarus, *aliquid adhuc magnum de se spondere vi-*

debatur, quapropter in ejus obitu novimus Franciscum Ducem non leviter doluisse; quamvis animi internam afflictionem operum constantia, & vultus hilaritate coerceret.

Quamvis autem Jacobus morte interveniente ab exilio, quod innocens subierat, revocari haud potuerit, fama tamen ejus nomini, Deo miserante, restituta fuit; Nicolaus enim Ericcius non uni tribunali ob crimina notus dum in extremo agone luctaretur, pœnitentia ductus Confessarii ore publicari voluit, se Hermolao Donato necem intulisse, quia Advocatoris officio fungens Ericcium ipsum veluti latrocinii a XL. viris super criminalia constitutis condemnari & in exilium ejici curaverat. *E nota*, addit hoc loco Sanutus col. 1139., *che il detto Nicolo Erizzo con uno da Ca Mula si lasciarono serrare nell' andito de' Proveditori di Commun*, nempe in publicis ædibus Rivoalti, ubi nonnulla ærarii scrinia asservantur, *per voler rubbare tre volte, ma furono scoperti da chi andava a sonar l' ore e poi furono condennati. Hac tuba*, notat Palatius in Fastis Ducalibus, *voluit Deus, Foscari purgari innocentiam, in gratiam justissimi genitoris, & innocentissimi filii*.

Porro non defuisse illustri Duci nec *animi in adversis fortitudinem*, *nec præcipuam quandam constantiam* testatus est Egnatius in exemplis non semel, libro III. præsertim cap. III. *de patientia*, ubi ejus illud præclarum facinus recensuit, *quod Jacobum filium suum præstantis Juvenem indolis captum æquissimo animo tulit, ut etiam cum in eculeo ille torqueretur, paterque non procul abesset, ut exaudire exclamantis vocem posset, eo dem tamen vultu fuerit, nec dolorem prodiderit*. Audivimus etiam superius ex Egnatio lib. IV. cap. I. Franciscum Ducem filio quamvis innocenter in exilio pulso, se se in ordinem redegisse, & quidem ita Reipublicæ negotiis, quoad ei corporis valetudo concessit, se restituit, ac si nullo mens ejus turbata fuisset infortunio. Fridericum hujus nominis III. Romanorum Imperatorem ipso acti in exilium filii anno 1451. Venetias adventantem summis honoribus excepit, prodivitque ei obviam Bucentauro vectus usque ad Sancti Clementis Insulam, ubi gratulatus illi prosperum accessum, cum in Bucentaurum suscepisset, ad ornatissimum ei paratum hospitium civitate plaudente deduxit. Nec post multos dies Eleonoram Imperatoris conjugem eadem pompa, eodemque navigio

vigio usa suscepit Principis uxor, quæ ducentis patritiis matronis auro gemmisque mire ornatis stipata Imperatricem a Divi Nicolai in Littore cœnobio, ubi resederat, ad aptatas ædes traduxit, indeque per multos dies spectaculis ludisque suavissimis recreavit. Charitatem autem suam in patriam nec angustiis nec infortuniis minime imminutam tunc potissimum ostendit, cum capta a Mahomete hujus nominis secundo Turcarum Tyranno Regia urbe Constantinopoli, Græcique Imperii nomine penitus deleto, funestæ cladis nuntium Venetias delatum Senatorum animos acerbissime perturbavit. Tunc enim senex Princeps & malorum & ætatis oblitus, Comitiis Rogatorum coactis, Patres acri oratione excitavit, ut imminentibus Turcicæ tyrannidis ruinis obviare quantocyus omni conatu satagerent. Franciscum Foscarum Ducem ex hujus prudentia consilii laudat Raynaldus ad annum 1453. num. 12. testimonium proferens Francisci Philephi epistolam, quam ex Mediolano dedit Kal. Augusti anno a Natali Christi MCCCCLXIII. (perperam enim notatur in annalibus annus MCCCCLIII.) ad Ludovicum Fuscarenum equitem auratum ac jurisconsultum. Hæc itaque scribit Raynaldus: *Urgebat pariter Venetos exitiabilium ipsis imminentium bellorum terror, cum Franciscus Foscarus coacto senatu saluberrimum pro re Veneta in Oriente constituenda expedivit consilium, damnato enim superiori torpore bellum omnibus viribus gerendum censuit cum Mahomete, antequam Turcica tyrannis confirmaretur, cujus sententiam tanto duce dignam magnis laudibus effert Franciscus Philelphus: Me delectat, inquit, assidua recordatio sapientissimi illius vestri & fortissimi principis Francisci Foscari, cujus splendidissimum nomen nulla unquam posteritas ignorabit; is enim cum primum audisset captam urbem Constantinopolim, convocato senatu, posteaquam de tantæ rei indignitate & acrem, ut semper & gravem & commiserabilem habuisset orationem, fertur consuluisse nihilo esse cunctandum diutius, sed bellum confestim suscipiendum adversus Turcas, ne tantum neglectum incendium latius consurgens in flammas omnia concremaret. Fuit is certe Franciscus Foscarus qui & ingenii acumine, & animi magnitudine, & pertractatione plurimarum maximarumque rerum in omni genere laudis cum omni posset conferri antiquitate. Hujus si consilium valuisset, si rationi potius, quam perturbationi esset obtemperatum, qui nobis hoc tempore*

pore

pore tantus imminet terror, omnem hostium ferociam exanimaret, ac prosterneret. Sed quanto quæque respublica major est & potentior, tanto civiles contentiones & crebriores sunt, & longe magis periculosæ. Fateor equidem eam vobis esse inter vos concordiam, quanta nulli unquam reipublicæ major fuit, nec tamen absurdum est, cum omnes idem cupitis, hoc est reipublicæ vestræ & emolumentum & decus, id aliis alia ratione expetendum videri: sed quæ præteriere, missa faciamus. Malis præsentibus consulendum est. Videmus res Turcarum in dies magis atque magis crescere, extremum periculum obversatur cuique ante oculos, quod decus & gloria antea hortabatur, jam summa cogit necessitas. Tota res est in cardine, aut propere vincendum est, aut succumbendum: sed quis est animo paulo erectiore, qui non malit mortem oppetere, quam servire, præsertim iis, qui natura etiam servi sunt? Quem enim rationis usum in Turcis reperias? Quam vel vitæ, vel morum elegantiam? Quod est ullum in iis pudoris, quod ullum integritatis vestigium? Num valent auctoritate Turcæ? num consilio? num fide? Nihil habetur apud illas insanas & enervatas belluas gloriosius probris, adulteriis, stupris. Ex Mediolano Kal. Augusti anno a natali Christiano MCCCCLIII. Evanuere itaque præclara illa Ducis Venetorum consilia, cum ii bellum illud sine Christianorum Regum socialibus armis nollent sumere, quod postea constabilita Turcica tyrannide pleni animorum gessere sæpius, sed infelici plerumque exitu, quamvis suis cervicibus, imminentes cæteris Christianis Turcicos gladios gloriose exceperint.

Tantus itaque cum in senescente Duce adesset animi fervor in curandis fovendisque patriæ negotiis, ei hac fortasse potissimum de caussa Porcelius Neapolitanus Historicus & Poeta Commentaria a se edita de rebus anno 1453. a Jacobo Picenino tunc temporis supremo Veneti exercitus Imperatore gestis Francisco Foscaro Venetiarum Duci inscripsit his verbis: *Commentarium secundi anni de gestis Scipionis Picinini exercitus Venetorum Imperatoris in Hannibalem Sfortiam Mediolanensium Ducem ad Serenissimum Franciscum Foscari Venetorum Ducem per Clar. Historicum & Poetam Laureatum Porzelium Neapolitanum*. Ea autem commentaria (quæ nunc vulgata leguntur Tom. XXV. Rerum Italicarum) cum avide perlustrasset illustris Senator Ludovicus Fuscarenus, datis ad Porcelium Vatem epistolis ipsum summis laudibus extulit, gravibusque verbis cohortatus est, ut inceptum opus progrederetur,

tur, magna enim remunerationis ſpes aderat, *potiſſime quum Principi opus* dedicatum eſſet. *Itaque* (ita Fuſcarenus epiſtola LXXXIV·) *ad progrediendum te per ſuperos immortales obteſtor, potiſſime quum Principi noſtro opus dedicaveris, quoniam non ingratæ premetur caſeus urbi*. Sed jam tempus advenerat, quo illuſtris Dux conſilio, opere & ſummis laboribus de Republica optime meritus incongruam virtutibus geſtiſque ſuis mercedem acciperet; quum enim quatuor ſupra triginta annos Reipublicæ Dux laudatiſſimus præbuiſſet, viventi Xvirum decreto ablata eſt dignitas, *quam rem* (ita Egnatius lib. III. cap. III.) *ille adeo patienti animo tulit, ut Principis veſtibus indutus læta in primis fronte in maxima populi frequentia deſcendens ex palatio domum redierit*. Memorabilis eventus ſeriem enarrant omnes Veneti, multique etiam ex externis hiſtoricis, quorum plures unicam depoſitionis cauſam efferunt effœtam Principis ſenectutem, rebuſque publicis agendis prorſus imparem; ex iis Petrum Juſtinianum audiamus lib. VIII. Hiſt. Venet. ſic ſcribentem. *Interim Foſcarus Princeps ſummæ ſapientiæ, excellentis memoriæ, Divini ingenii, magni animi vir, aucto terra marique imperio poſt quattuor & triginta Principatus ſui annos, quum ingraveſcente jam ætate* (nam octogenarius erat) *parum commode publica munera obire poſſet, raroque ob effœtas corporis vires in curiam Senatumque ventitaret, a decemviris decretum emanavit, ut abrogata Foſcaro dignitate, novus in ejus locum Princeps ſubſtitueretur, negotiumque datum eſt Jacobo Lauredano uni ex Decemviris, qui ad Foſcarum iret, atque ut facundia ſingulari excellebat, accomodata oratione decemvirale ei decretum denuntiaret. Lauredanus igitur ad Foſcarum profectus, in cubiculumque admiſſus Patrum mandata expoſuit, ætatemque ejus accuſans, quæ ad id conſilii Decemvirum animos ſolum induxerat, veniam illius facti precatus eſt, cederetque interim Foſcarus libens patrum voluntati, poſt multoſque animi corporiſque labores, quibus per triginta quattuor annos in Reipublicæ adminiſtratione tanta cum gloria verſatus fuerat, optatam quietem, tamquam e turbida tempeſtate in portum delatus perciperet: ejus enim divinas virtutes nulla ætas unquam conticeſcet. Tum Foſcarus, ut conſtanti infractoque erat ingenio nil animo commotus ad Lauredanum hilari vultu converſus: Si exiſtimaſſem, (inquit) quod in his ſupremis vitæ meæ annis id mibi eveniret, ut indicta cauſa Principatu amoverer, ſponte me ſtatim*

eo

eo abdicassem, nec fuissem tam iniquus & ingratus civis, qui non publicam causam potiorem privata habuissem. Itaque Magistratus de me amplissimi decreto (quando ita illi placuit) obsequi paratus sum, privatamque vitam, quæ jam ad finem, cursumque suum pervenit, curis solutus agam, qui publicam administrationem, (absit verbo invidia) per tot annos feliciter gessi. Hæc pauca graviter effatus, postridie summo mane depositis Ducalibus insignibus sellaque vectus, quia pedibus æger erat, magna propinquorum affiniumque caterva stipatus a Ducario abscessit, & quum ad infimos scalæ marmoreæ gradus pervenisset: Aliorum iniquitas, ait, me hinc expellit, quo mea merita perduxerant. Acerbissimum eventum ita ornatissima enarratione temperavit laudatissimus Historicus, ut tamen supremis Ducis discedentis vocibus, quas recensuit, innuat non tantum ex senii prætextu, quam ab humana iniquitate abdicationem Francisci processisse. *Invidia certe paucorum* (ita Egnatius lib. V. cap. III.) *Foscarus Dux cum quinque & triginta annos summa sua cum dignitate, & Veneti imperii amplitudine rebus præfuisset, quasi ingravescente ætate par tanto oneri esse non posset, publico decreto qui superstes adhuc, summa dignitate spoliatus est.* Quo autem modo ex paucorum malitia improbatum depositionis decretum caussam traxerit, res est altius repetenda. *Abrogationis* autem *non unam causam* fuisse (scribit Palatius in Fastis Ducalibus,) & in eam Inferos convenisse & Superos; *sed voto diverso, astra enim palam & absque insidiis, clanculo homines: Superni tubicen decreti Baptista Blasius Cremensis Astronomus, qui pluribus ante mensibus vaticinium per orbem vulgavit, indixitque inexorabile fatum, ut Foscarus olim Divi Marci Procurator promotus in locum Joannis Barbi, senectutis prætextu, Magistratu remissi, legem pateretur, quam sua facundia non dissuaserat.* Vaticinii hujus fides sit penes scriptorem, qui hominum deinde opera exponens ita prosequitur: *In eandem sententiam accessere homines libidine Imperii atque vindictæ interprete Jacobo Lauredano Petri filio incliti Architalassi, qui post fractos Ligures, domum restitutus cum in Comitiis eloquentia quandoque certaret, adversus Principem æmulatio gliscebat, quasi unus pro cunctis in Principem declamaret.* Spiraverant uterque Franciscus scilicet Foscarus & Petrus Lauredanus summum patriæ Principatum, cumque nulli dubium esset *quin Lauredanus Senator longe clarissimus, maritimæque rei* (ut Egna-

Egnatius notat) *celeberrimus jam multis victoriis Imperator votis omnium crearetur*, attamen *Foscarus prudens vafreque effecit*, ut coactis, quæ satis essent, suffragiis Dux salutaretur. Hæc prima æmulationum inter utramque familiam origo fuit, ad odia autem augenda accessit, quod Petrus Lauredanus rebus adversus Turcas apud Gallipolim, adversus vero Inuenses ad Rapalum feliciter gestis clarissimus Venetias rediens sæpe sæpius in Senatu Francisci Ducis propositis adversaretur, & quidem ea ingenii arte sermonisque facundia, ut haud infrequenter P. C. in suam sententiam attraheret. Permolestum id Duci evenit, qui e longo tempore Patrum consilia in rebus arduis non magis suæ dignitatis gravitate, quam prudentia mentis, & exquisita oris facundia moderari assuetus erat, summaque in hoc Decertationum genere vincendi cupiditate tenebatur; quapropter secum animo cogitare cœpit, qua ratione æmulam familiam ad amicitias restituere valeret. Virginem itaque filiam, quam domi habebat, Petri Lauredani secundogenito filio magna proposita dote sponsam obtulit, cujus tamen nuptiis juvenis seu a minore puellæ specie abhorrens, seu alio amore captus assensum præbere omnino recusavit, ex quo mutuum derivasset commodum, & decus dissidentium familiarum. Hæ tamen (Deo sic humanas res disponente) post acerba illustrium virorum fata ab antiquis odiis per duplex connubium ad arctissimam conjunctionem devenerunt; Augustinus enim Marci Foscari Procuratoris ex Joanne filio nepos, ducta in uxorem anno 1490. filia Aloysii Lauredani, qui patrem habuit Paulum, avum vero Petrum superius laudatum Divi Marci Procuratorem, eam familiæ partem, quæ apud Sanctum Simeonem vulgo parvum moratur, continuavit; ac deinde anno 1567. Aloysius Francisci Foscari Ducis ex mascula stirpe abnepos conjugem accepit Elisabeth filiam Aloysii Lauredani, qui per patrem Petrum Ducem Venetiarum ab alio sæpe laudato Petro Procuratore originem duxit.

Aversio itaque juvenis majoris odii fomitem ministravit, cumque in dies Petri authoritas etiam propter sedatum Venetæ plebis tumultum (promeruerat enim humanitate & rerum gestarum gloria populi amorem) in Rogatorum Comitiis augeretur, plurimaque ejus suasu statuerentur, infremens

Franciscus, quod aliquando in negotiorum disputatione vinceretur, conqueri solitus erat, nullo modo Principem se jam agnoscere, donec Petrus Lauredanus in vivis ageret. Hæc indignantis animi indicia ansam nonnullis præbuerunt, ut clarissimi Ducis memoriam turpi proditionis labe macularent. Res ita se habuit.

Defecerat turpiter a Venetis (quorum exercitus Imperator erat) Franciscus Gonzaga Mantuæ Princeps, cumque per ea tempora, anno scilicet 1438. gravius urgeret bellum Insubricum, valida classe in potentissimum hostem decreta, Petro Lauredano ipsius Præfecto constituto mandatum fuit, ut Mantuanum agrum popularetur. Per Padi itaque fluenta invectus, dum copias, quæ pro classe decretæ fuerant, ab urbe expectat, *ne nihil omnino egisse videretur*, ut notat Sabellicus, *Sermenem oppidum oppugnare statuit. Locum ipsum summa ope* Gonzaga antea muniverat, atque ob id *ea hominum paucitate expugnari non potuit. Venerunt Patres in suspicionem supplementi per invidiam potius, quam inopiam negati* (quod notat etiam Blondus Flavius Histor. Dec. III. lib. IX.) *idque paucis alienæ gloriæ obtrectatoribus datum, qui Lauretani famam senescere malebant, quam præclaro aliquo facinore augeri. Ipse* vero gravitate cœli pressus in morbum incidit, quo in dies magis ac magis invalescente, Venetias est delatus. Stephanus Contarenus *in illius locum est suffectus. Petrus aliquandiu morbo conflictatus, ac demum consumptus, ut ipse testamento mandarat, nudis calcibus, saxoque ad caput constituto, sine ulla funebri pompa, paucis comitantibus ad Helenæ ædem elatus est*. Ex Cœli itaque gravitate, notat Sabellicus Lauredani infirmitatem processisse, cujus fortasse gravitatem auxit animi mœror ob incassum tentatam Sermenis oppidi expugnationem; & quidem haud difficile est credere, virum strenuissimum multis magnisque elatum victoriis gloriam suam ex irrita oppiduli obsidione imminui ægerrime tulisse. Quum tamen *morbo aliquandiu conflictatus, ac demum consumptus* fato cessisset Lauredanus; ipsa ægritudinis conditione attenta, res ad dubium cogitatum versa est, ex eo præsertim quod stomachi doloribus, veluti primis morbi molestiis affectus fuerit ad convivium sedens, unde non levis oborta suspicio ex propinato veneno periisse. Id passim libere affirmant plurimi ex Venetis tum Historici, tum Chrono-

nolo-

nologi, cumque mutua Familiarum æmulatio ante omnium oculos verfaretur, fama proinde increbuit ex occultis Ducis Foscari insidiis sublatum fuisse. Odio novum pondus accessit ex inopina Marci Lauredani Equitis laudatique Petri Fratris morte, qui dum Advocatoris Communis officio fungens quæstionem supremo Xviralis Consilii jussu adversus Andream Trivisanum Francisci Ducis generum de male administrata Lemniaci arcis Præfectura disponeret, acri symptomate impetitus brevibus horis e vivis excessit. Et hoc ex proditorio Foscaræ gentis scelere processisse produnt aliqui, cujus tamen innocentiam ab utriusque criminis noxa vindicare conatur Palatius in Fastis Ducalibus his verbis: *Geminæ mortis suspicio familiam Principis fatigabat, quod per idem tempus Petrus Lauredanus Padanæ classis præfectus Ducis Mediolanensis veneno peremptus*, (id innuere videtur sepulcralis ejusdem Petri epigraphe in Divæ Helenæ fano hæc exhibens: *demum bello Philippico Padanæ classis præfectus per insidias hostium veneno sublatus*, quam epigraphen affert Petrus Justinianus Venetæ Hist. lib. VII.) *ejusque frater Marcus eques & Advocator Communis repentino fato sublatus, dum ex mandato Decemvirum de violentia inquireret in Andream Trivisanum Ducis generum & provisorem Lemniaci, quasi mors poculo indigeat, vel spatio, ut homines interficiat quinquagenarios.*

Nec sane mirum est, si ex antiquis utriusque familiæ odiis illustrium virorum interitus prodiisse autumarint aliqui, cum inimicitiæ æque acerbæ & pergraves universam civitatem in suspicionem adduxerint, Hermolaum Donatum Xvirum Jacobi Foscari jussu interfectum fuisse, *quod postea falsum esse*, ex patrati sceleris moriente authore *deprehensum est*. Porro innocentiæ Ducis fidem adstruere videntur tum antiqua viri pietas, qua Dei cultum patriæque utilitatem ex animo promovit; tum nulla in eum quæstio patrum decreto instituta; certe enim in rigida adeo ejus ævi disciplina, si validiores de gravissimo crimine extitissent suspiciones, Xvirale Consilium neque diù neque omnino siluisset, ipsumque Principem Patriis legibus subditum voluisset, nihil supremæ dignitatis attenta authoritate, quam nec pro filio valuisse cognovimus. Hasce tamen *injurias quamvis imaginarias* (ita scribit Palatius in citatis Fastis) *non tam ad animum revocaverat Jacobus Lau-*

redanus defunctorum nepos (verius notatur Petri Filius, Marci autem Lauredani nepos) *quam in abecedarium vindictam quærens opportunam*. Sunt qui scribunt, idque innuit Palatius in Fastis, & Vianolus in Hist. Ven. Jacobum Lauredanum in codicibus, ubi mercationes & commercia etiam in Patritiis familiis ex illorum temporum consuetudine notabantur, nomen Francisci Foscari Ducis signasse, veluti geminæ Patris Patruique necis debitorem, ex adverso albæ paginæ, in qua deinde opportuno tempore hujusmodi solutio debiti describeretur. Nec quidem diu dilata vindictæ opportunitas, cum enim Jacobus Lauredanus & proprio & patris fultus merito inter Xviros, quamvis ætate juvenis adnumeratus, mox inter Trium viros Consilii præsides assumptus fuisset, eam nactus occasionem, cœpit de continua Ducis a Consiliis & a Senatu absentia cum Collegis primum conqueri; ex hoc enim & negotiis agendis dilatio, & Reipublicæ detrimenta pr oveniebant. Ut autem dolosos Jacobi questus exceperunt ejus in Triumviratus officio Collegæ, (erant hi Hieronymus Barbadicus, & Hieronymus Donatus) in austeram etiam ipsius sententiam faciles devenerunt, nempe ut Xviralis Consilii Patribus de abroganda intuitu publici boni Francisco Foscaro Ducali dignitate Decretum proponeretur.

Quum autem gravissimo supra omnes negotio minor videretur Patrum numerus, ex quibus Consilium ipsum constabat, visum est, ut pro ipsius tractatione additio XXV. Senatorum juxta illius ævi consuetudinem eligeretur, quibus par cum Xviris ipsis in hac tantum re esset authoritas. Scribit Egnatius Lib. II. De exemplis cap. I. rem *tanta taciturnitate per aliquot dies ita protractam* fuisse, ut ad avertendam suspicionem *hujuscemodi consilii Marcum Foscarum fratrem*, *Procuratoremque in Curiam advocarent*, *quem tamen cubiculo includerent*, *graves comminati pœnas*, *si quid ille alicui unquam prodiisset*; Addit deinde lib. v. *de pietate erga fratres* agens cap. v. idem Egnatius, ex hac re Marcum memorem *fraternæ pietatis non multum post mortem fratris Ducis diem supremum* obiisse. Hæc sunt Egnatii verba: „ *Francisci Foscari clarissimi Ducis*, *& Marci ejus* „ *fratris Divi Marci Procuratoris mutua inter se charitas*, *singularisque* „ *pietas sua tempestate longe clarissima semper fuit*, *id*, *quod etiam su-* „ *premo suæ vitæ tempore perspici cognoscique plane potuit*; *nam*,

„ *id*,

„ *id*, *quod superius quoque repetivimus*, *quum ageretur in decem-*
„ *virali consilio magno patrum attributorum numero de principatu*
„ *abrogando ipsi Duci*, *nequa suspicio manare in vulgus posset*,
„ *hoc ab ipsis agi Marcum Foscarum fratrem singulis diebus eo*
„ *advocari jubebant*, *quem tamen cubiculo inclusum diligentius as-*
„ *servarent*, *adactum gravi pœna*, *ne quid tale proderet*, *qua*
„ *ex re memor ille fraternæ pietatis*, *non multam post mortem*
„ *fratris diem supremum obiit*. Quamvis autem Egnatius non electum, additumve, sed solummodo evocatum dicat a Xviris Marcum Foscarum Procuratorem, attamen Paulus Maurocenus & alii recentiores ipsum inter XX. Senatores additionis adnumeratum, indeque vocatum & in cubiculo clausum, *sub pœna capitis Sacramento adstrictum fuisse ad silentium*, additque Palatius ad indecorum rei ornamentum, ipsum *vel spe successionis & Principatus*, *quæ ad leniendum dolorem fraternum in eo verisimilis erat*, allectum, *ut mutesceret*; quæ si vera forent, neque enim ulli vel probabili fundamento innituntur, haud modicum caperet illustris viri nomen detrimenti; siquidem quanto gloriosius ob jurisjurandi patriæque legis reverentiam, eo turpius est splendidi officii ambitionem fratris & familiæ discrimen præteriisse. Quidquid autem sit de asserta ab Egnatio Marci evocatione, certum compertumque habemus ex publicis regestis, nullo modo Marcum Foscarum in XXV. additionis viros fuisse adscriptum, quorum nomina enuntiantur in ipsa statutæ additionis lege, quæ post obitum Francisci Ducis, soluto jurisjurandi vinculo vulgata fuit. Ea autem est, qua Triumviri superius enuntiati, delato prius silentii Sacramento, rem Xvirum ponderationi mature discutiendam detulerunt. Antequam vero negotii tractatus Xvirum cœtui proponeretur, consultum est, an Leonardus Contarenus unus ex Xviris, cujus filia, ut supra diximus, Jacobo Ducis filio nupserat, & ex eo filios genuerat, posset in ipso consilio, dum de factis Ducis, quæ reputari poterant facta nepotum suorum, agebatur, præsens remanere; in eo Patrum convenere sententiæ, ut tam ipse, quam David Contarenus Consiliarii tunc officio fungens, e Consilio pro eo casu expellerentur. Hoc itaque Decretum, seu, ut Veneti vocant, hanc partem proposuerunt pro instituenda additione Triumviri.

Die

Die XVIIII. Octobris.

„ Quia Sereniſſimus D. Dux Noſter jamdiù vacavit a gu-
„ bernatione Status Noſtri, & nunc ita ad ſenium deductus
„ eſt, quod in rebus Status Noſtri ſe exercere non poteſt,
„ nec ſit ulla ſpes, quod in futurum poſſit, nec venire ad
„ bancham, nec ad Conſilia noſtra, ob quod opus eſt pro
„ multis importantiſſimis reſpectibus, qui ſatis intelliguntur
„ pro neceſſaria gubernatione Status Noſtri facere proviſio-
„ nem: Et hæc materia pro ejus importantia ſit bene con-
„ ſultanda, & mature deliberanda quid fiendum ſit.

„ Vadit Pars ſequentes mores iſtius Excellentiſſimi Conſi-
„ lii, quod in rebus arduis, & importantibus habere voluit
„ conſilium, & pare principalium nobilium noſtrorum, quod
„ de præſenti in iſto Conſilio ſecundum formam ordinum
„ noſtrorum eligantur xxv. Nobiles per ſcruptinium pro iſta
„ cauſa tantum, & remaneant quinque pro vice, qui ſint pro
„ Additione iſti Conſilio, & vocati venire, teneantur ſta-
„ re, arrengare, & capere partem ſicut poſſunt illi de iſto
„ Conſilio pro bono Status & rerum noſtrarum, & hac
„ materia terminata ipſa Additio expirata intelligatur.

Electi de Additione.

(Paulus Truno Proc.
(Paſqualis Maripetro Proc.
(Chriſtophorus Mauro Proc.
(Mathæus Victuri
(Nicolaus Bono
(Georgius Vallareſſo
(Andreas Bernardo
(Laurentius Superantio
(Ludovicus Storlado Proc.
(Andreas Foſcolo
(Leo de Molino
(Nicolaus Miani
(Georgius Bembo
(Hermolaus Piſani
(Benedictus Mauroceno
(Leo Viaro
(Franciſcus Triviſano
(Bernardus Balbi
(Alexander Marcello
(Lucas de cha de Pexaro.
(*Laurentius Honorandi*
(Benedictus Barocci
(Petrus Galaſtro
(Petrus Grimani.
(Lucas Vendramino.

Ex

Ex hujus tenore decreti, atque ex appositis XXV. nobilium nominibus manifesto evincitur, nec in supremis Comitiis peractam fuisse additionis electionem, neque in additorum numero cooptatum fuisse Marcum Foscarum Procuraorem.

Lege deinde *degradationis proposita* (ita Palatius in Fastis Ducalibus authoritati inhærens Pauli Mauroceni in Ven. Hist. lib. XXIV. cui cohæret Vianolus in sua Hist. Ven. lib. XIX.) *quasi Respublica trunca jaceret*, *& sine capite*, *Senator* quidam *prudentissimus objecit considerando rem novam*, *plenamque discriminis*, *nec citra scandalum tanto*, tamque *benemerito Principi* adhuc viventi dignitatem auferri. Ut ut res se habeat de hac orationis protectione, omnibus, quæ consideranda offerebantur, posthabitis, fere omnes in unum convenere sententiæ, ut Consiliarii & Præsides Xvirum ad Docem sese conferrent, laudataque ejus erga patriam charitate, ipsum gravibus verbis hortarentur, *ut pro evidenti & necessario bono* Reipublicæ sponte & libere renuntiare velit ducatui, hoc enim agere *multis rationibus* tenebatur, *tamquam bonus Princeps*, *& verus Patriæ pater*. Hæc sunt lati consilii verba:

Die XXI. Octobris cum Additione.

,, Nemo est, qui optime non intelligat, quam utilis, & omnino necessaria sit statui nostro, & rebus nostris præsentia ,, Principis, sine qua sicut ab ipsis effectibus manifeste cognoscitur, maxima inconvenientia, & detrimenta sequi videntur ,, in statu nostro, qui cum a majoribus nostris per infinitam ,, Clementiam Creatoris nostri pulcherrimus & hereditarius nobis relictus sit, totis sensibus nostris conservandus, & propria ,, vita carior habendus est: Licetque hæc urbs nostra sanctis ,, Legibus & ordinibus instituta sit, parum tamen aut nihil ,, est, si non exequuntur, si deficit earum necessaria observantia. Præsentia vero Principis in consiliis, in audientiis, ,, in disponendis rebus regiminis & status quanti ornamenti, ,, quantæ reputationis, quantum denique proficiat supervacuum ,, est aliter recensere. Sicut autem omnes vident, & intelligunt, Illustrissimus Princeps Noster vacavit longo tempore ,, ex necessitate personæ a gubernatione Ducatus, & ad se-

,, nectu-

„ nectutem, & ætatem decrepitam deductus est, ita ut in „ totum effectus sit inhabilis, nec ullo pacto sperandum est, „ quod amplius se exercere possit: Hæc ejus absentia, & inhabilitas quantum perniciosa fuerit, & sit rebus nostris, magis intelligitur, quam explicari possit: Propterea vadit pars, „ quod auctoritate hujus Excellentissimi Consilii cum Additione captum sit, quod Domini Consiliarii & Capita hujus „ Consilii se conferre debeant ad Illustrissimum Principem, sibique declarare conditiones nostras, quodque regimen Urbis & negotia status nostri, quæ, prout sua sublimitas plane novit, magna & gravissima sunt, non patiuntur, quod „ absque continua præsentia & operibus Principis bene administrari, nec gubernari possint. Consideravimus autem quanto tempore Excellentia sua necessitate personæ vacavit a „ gubernatione rerum nostri Dominii, nec sit sperandum „ quod amplius ullo modo possit se exercere juxta exigentiam tanti status, ex cujus absentia, sicuti sunt importantissimi, & periculosissimi casus, sicut cognitum est, & graviores quotidie contingere possent, nisi de gubernatione provideatur; quas quidem res ex in genti charitate & „ affectione sua erga patriam certi sumus, quod videre non „ vellet; istis itaque de causis, qnas Excellentia Sua pro summa ejus sapientia optime intelligit, cum præfato consilio „ nostro X. & additione deliberavimus hortari, & rogare Serenitatem Suam, ut pro evidenti, & necessario bono status „ nostri, qui est patria, sua sponte & libere renuntiare velit „ Ducatui nostro, quod multis rationibus facere debet, tamquam bonus Princeps & verus Patriæ Pater; maximeque „ attento quod providimus, ut honorifice & decenter vivere „ possit, quod singulo anno habeat ab officio nostro Salis Ducatos mille quingentos auri, qui sibi dentur singulo mense pro „ ratta, quoad vixerit. Et ultra hoc, si quid habere restat de „ salario suo usque in præsentem diem, per ipsum officium ei „ solvatur in menses sex per rattam.

„ Et responsum quod habebitur a sua Serenitate, referatur „ huic consilio, quod non recedat de hac Sala, ut si opus fuerit, provideri valeat, sicut melius & utilius judicabitur.

„ Verum si occurret, quod idem Illustrissimus Princeps „ declarata sibi hac deliberatione responderet, & peteret res-

„ pectum

„ pectum cogitandi, respondeatur sibi, quod contenti sumus
„ dare sibi dictum respectum respondendi usque in diem cra-
„ stinum ad horam Tertiarum.

Nemo quidem erit, qui vehementer non admiretur virum prudentissimum, qui vegeta mente, integraque valetudine non semel Principatu se abdicare conatus fuerat, nunc aspera Patrum festinatione commotum eorum seu consiliis seu mandatis aquiescere statim renuisse, specie quidem suæ libertatis conservandæ, sed re vera communi humanæ infirmitatis sensu, quo ea ipsa, quæ quidem possessa molestiam afferunt, negata si deinde sint, avidius appetuntur. Delatis itaque sibi Consilii decretis, cum se nec annuere, nec adversari reposuisset Princeps, iterato ad eum missi fuerunt die insequenti, XXII. scilicet ejusdem mensis Octobris, Consiliarii & Triumviri, ut quid ipse in re decrevisset, exciperent. Cum autem *nihil diffinitive* respondere voluisset, decreverunt Patres eadem die, ut Franciscus Foscarus Dux *deponeretur a Ducatu*, & teneretur *infra dies octo proximos recedere* a palatio assignato ei M & D Ducatorum auri annuo proventu. Austera decreta hæc sunt post obitum Foscari Ducis evulgata.

„ MCCCCLVII. Die XXII. Octobris.

„ Quemadmodum huic Excellentissimo Consilio notum est,
„ heri Domini Consiliarii & Capita se contulerunt ad Illustris-
„ simum Principem nostrum & in executionem partis, &
„ deliberationis captæ in isto Consilio explicaverunt Suæ Ex-
„ cellentiæ quantum fieri debebat, ut persuaderetur ad renun-
„ tiandum. Ipse autem Princeps noster inter cætera respon-
„ dit, quod nolebat dicere de sic, nec de non, quodque li-
„ bertatem suam conservare volebat, & examinatis conditio-
„ nibus, & necessitatibus regiminis, & status nostri, quæ om-
„ nino ad evitanda majora & graviora inconvenientia requi-
„ runt provisionem, faciat pro statu nostro intelligere diffi-
„ nitivam intentionem ejusdem Illustrissimi Principis; Videli-
„ cet, si intendat renuntiare cum conditionibus captis, & de-
„ claratis Suæ Excellentiæ nec ne: Propterea vadit pars.

„ Quod Consiliarii, & Capita hujus Ecellentissimi Consilii
„ se conferre debeant ad ipsum Illustriss. Principem, dicendo

„ sibi pertinentibus, & accomodatis verbis, quod quia Ex-
„ cellentia Sua heri sero inter cetera dixit D. D. Consilia-
„ riis, & Capitibus, quod nollebat dicere circa renuntiatio-
„ nem suam de sic, nec de non, Consilium ipsum cum Ad-
„ ditione deliberavit mittere ipsos DD. Consiliarios, & Ca-
„ pita ad Excellentiam Suam pro intelligendo diffinitivam
„ ejus intentionem, ut ea intellecta providere, & deliberare,
„ possit sicut sibi videbitur.

„ Consilium autem istud non recedat, sed sic unitum sta-
„ re debeat, ut intellecto responso præfati Principis consulta-
„ re, & deliberare possit utilitatem & commoda nostri
„ status.

„ Die XXII. Octobris.

„ Intellexit hoc Excellentissimum Consilium quid respon-
„ derit Illustrissimus Princeps noster ad ea, quæ heri & ho-
„ die cum deliberatione ipsius Consilii per Dominos Consi-
„ liarios & Capita sibi explicata fuerunt tam in exhortando,
„ & rogando eum, ut pro necessario & evidentissimo como-
„ do status & regiminis nostri renuntiare vellet, quam etiam
„ ut deffinitive dicere vellet intentionem suam: Et sicut cla-
„ re & aperte cognoscitur, Sua Sublimitas, quæ nihil deffini-
„ tive voluit respondere, quærit ducere rem istam in tempus,
„ & persistere in Ducatu cum tanto detrimento & præjudi-
„ tio status nostri, quanto omnes intelligunt, quoniam ex
„ absentia, & inhabilitate personæ suæ negotia status & re-
„ giminis nostri quotidie de malo in pejus videntur proce-
„ dere. Nisique provideatur certissimum teneri potest, quod
„ in successu temporis multo majora, & graviora inconve-
„ nientia & pericula expectaturi sumus, quæ si veri Cives
„ patriæ sumus, totis nostris sensibus, totis viribus evitare de-
„ bemus. Propterea vadit pars: Quod auctoritate istius Con-
„ silii cum Additione captum sit. Quod DD. Consiliarii &
„ Capita hujus Consilii in crastinum de mane se conferre
„ debeant ad Illustriss. Principem dicendo sibi, quoad jam
„ per duas vices Consilium istud misit eos ad ejus præsen-
„ tiam persuadendo & rogando, ut pro necessario bono, &
„ evidentissimo commodo status nostri spontè & liberè renun-

„ tiare

„ tiare vellet: Quam rem sua sublimitas facere recusavit,
„ præter id quod Consilium ipsum sibi firmiter persuadebat,
„ quia sicut Sua Excellentia optime intelligit, penitus necessarium est pro evitandis casibus, & periculis, quæ contingere possent, ut provideatur. Ideoque declaratur sibi deliberatum & captum esse per præfactum Consilium cum Additione, quod deponatur a Ducatu, & teneatur recedere ex palatio infra dies octo proximos. Declaretur tamen sibi, quod habebit singulo anno ab Officio nostro salis Ducat. mille quingentos auri in vita sua de pecuniis spectantibus nostro Dominio, qui sibi dentur singulo mense per ratam. Et ultra hoc, si quid habere restat de salario suo usque in præsentem, diem per ipsum officium sibi solvetur in menses sex per ratam sicuti etiam Suæ Excellentiæ oblatum fuit. Verum ex nunc captum sit, quod si idem Princeps non obediret huic deliberationi nostræ infra terminum antedictum, omnia bona sua confiscentur, & perveniant in nostrum Dominium, & nihilominus remaneat privatus.

„ Præterea etiam captum sit, quod in facto electionis novi Principis procedatur per viam Majoris Consilii juxta modos & consuetudines solitas.

Hæc omnia, ut jusserat Xvirale Consilium, postridie delata fuerunt Duci per Consiliarios & Præsides Triumviros, quorum nomine infaustum nuntium protulit Jacobus Lauredanus unus ex Triumviris, cujus renuntiationem factumque ei Principis responsum jam superius ex Petri Justiniani Historia relatum est. Nec octavam sibi assignatam diem expectare passus, postridie summo mane *constantissime* (ut scribit Egnatius lib. III. de exemplis cap. VII.) *vultuque pene ridenti purpurea etiam veste indutus ex palatinis ædibus, universa inspectante urbe, eumque etiam admirante* per majorem scalam *descendit*, atque Marco fratre, magnaque affinium & amicorum stipante caterva, baculo innixus, quod pedibus æger esset, per medium forum multitudine populi refertum transiens *ab universis qui aderant*, (verbis utor Egnatii lib. II. cap. IV.) *ita exceptus est*, (*aderat autem fere universa civitas*) *ut Principis majestatem, fastigiumque supremæ majestatis susceptum in eo privato crederes. Magna igitur civium* (& hæc fatur Egnatius lib. V. cap. III.) *multitudine astante, decretumque publicum* im-

improbante (tanta est enim plebis inconstantia, ut qui prius ex longævi Principatus pertæsi Foscarum vel expulsum, vel morte sublatum exoptarent, nunc majestate viri, & infortunii commiseratione permoti discedentem a Palatio, seque privatæ vitæ restituentem ingemiscerent) parvam cymbam cum Marco fratre ingressus, ad magnificas ædes, quas ipse pridem comparato solo regiis prope sumptibus erexerat, ad Sanctum Pantaleonem Senatorio cultu reversus est. Ibi cum stetisset, *suos omnes* (notat hoc Egnatius lib. IV. de exemp. cap. II.) *pro jure suo admonuisse fertur, ne ullo tempore memores esse vellent injuriæ tam gravis illatæ, quin potius dum tres illi* (Triumviri scilicet capitales, depositionis suæ promotores) *superstites forent viri, optime de eis mereri studerent, quando id sibi ingravescente jam ætate & morbo, præstare nequaquam liceret.*

Convocatis deinde Comitiis majoribus actum de XL. & I. viris eligendis, quorum prudentia Foscari successo religeretur, iique, ut moris est, in palatio coacti non diu post Paschalem Maripetrum Ducem renuntiarunt successorem viventi Foscaro, qui mox ut audivit *tripudiantis civitatis* (ita Petrus Justin. lib. VIII.) *de novi Principis creatione* lætitiam, *magno edito gemitu generosus ille spiritus e corporis vinculis solutus, ad Superos evolavit*. Eventum omni ævo memorabilem scriptis commendarunt fere omnes historici Veneti , multique etiam externi, & in iis præsertim Æneas Sylvius Piccolomineus, qui in Historia de Europa cap. LI. *de Venetis* agens, *& quod Franciscus Foscarus Dux ab Imperio depositus animam indignatus statim emiserit*: „ hæc scribit, Franciscus Dux gentis (Venetorum) qui „ annos XXX. summa cum laude civitatem rexerat, Philippo „ Mediolanensium Duci Brixiam Bergomumque ademerat, „ copias ejus pluribus in locis fuderat, Franciscum Carmaniolam clarum Ducem copiarum de proditione suspectum securi percusserat, Marsilium Carrarium, cujus majores diu „ Patavium per tyrannidem tenuissent, dum paternam hæreditatem vindicare conatur, interceptum necaverat, pacem „ cum Turcis non tam honestam, quam necessariam fecerat, „ imperiumque Venetum terra marique longe ampliaverat, „ gubernationi tandem cedere compulsus est, tamquam præ „ senio Reipublicæ videretur inutilis. Ille veluti contumelia „ affectus, ingratæ patriæ aspectum non ferens, eamque vitam

„ recu-

„ recusans, quæ caret imperio, e publico palatio in privatam „ domum se recepit, ubi cum Principatum suis civibus reddidisset, ægram quoque confestim animam naturæ restituit. „ Cujus casum tamquam prævidisset Baptista Blasius Cremonensis Astronomus pluribus ante mensibus prædixerat. „ Erat autem Franciscus cum moreretur, non longe ab anno „ suæ vitæ nonagesimo, venerabilis senex præcipua corporis „ majestate decorus, memor omnium, quæ post infantiam „ aut vidisset, aut audivisset, facundia copiosus, & ingenio „ prompto ac dexterrimo, & qui moderari fræna Senatus „ optime nosset. Ejus Pater in Ægypto negotiatus, cum prophetam regionis illius quempiam de futuris interrogaret, „ responsum ab illo accepit, filium sibi esse, qui aliquando „ suæ civitatis Principatum assequeretur. Francisco suffectus „ Paschalis vir singulari prudentia & moribus humanissimis, „ cujus Ducatum nulla putant bella suscepturum, nisi vel „ necessaria, vel admodum gloriosa.

Et in caussa, & in chronicis notis hujusce depositionis errat omnimodis Laurentius Bonincontrius in suis annalibus Tom. XXI. Rerum Italic. col. 161. asserens Franciscum Foscarum Ducem Illustriss. Venetorum *anno* 1458. *mense Decembris* depositum a suo Magistratu abiisse; *ob falsam filii suspicionem, quem occidisse nobilem quemdam criminabantur*. Sed & Annales Foroliviensеs anonymi authoris a Clar. Muratorio vulgati Tom. XXII. Rerum Italic. ad notam Venetorum vertentes Foscari depositionem, hæc efferunt ad annum Domini MCCCCLVII. *die XXIII. Octobris passione & odio potius quam ratione moti Veneti Franciscum Foscarum seniorem Ducem eorum, & virum sapientissimum Ducatu privant; & in ejus successorem eligitur Paschalis Malapiera pro Duce satis ingenii, ut fertur, imparis.* Sed & Egnatius licet Venetus, & Venetorum encomiastes Decretum de abroganda Foscaro dignitate vitio ingratitudinis notat, lib. V. de exempl. cap. III. his verbis: *Admonitus Baptistæ Fulgosii scriptis; præterire nequaquam possum in Franciscum Foscarum Ducem decretum Reipublicæ ingratitudinis exemplum, qui Dux cum quinque & XXX. annos summa sua cum dignitate, & Veneti imperii amplitudine rebus præfuisset, quasi ingravescente ætate par tanto honori esse non posset, paucorum certe invidia publico tamen decreto summa dignitate privatus est.*

Acci-

Accidit autem Francisci mors die I. Novembris hora XV. cum dimidio; cumque jam recens electus Dux sacris interesset, advenit Andreas Donatus eques defuncti Foscari gener, nuntiumque attulit Socerum suum olim Ducem Venetiarum è vivis excessisse. *Decreto* tunc *Patrum*, ait Sabellicus Dec. III. lib. VIII. *insignia quæ vivo adempta fuerat, defuncto sunt restituta*, utque publici ærarii sumptibus funus ejus ad ædem S. Mariæ Gloriosæ Fratrum minorum elevaretur, statutum fuit. Uxor tamen Marina e familia Nania, cum qua Franciscus Dux diu vixerat, & ex qua prolem suscepisse perperam scribit Egnatius lib. VI. cap. VII. *numquam adduci potuit ut factum hoc ipsum probaret, sibi esse dicens & opes & voluntatem optimam erga maritum, ut id ipsum præstet. Cæterum quum Patres ipsi constanter in proposito essent, minasque illi graves intenderent, nisi illa cadaver exhiberet, numquam flecti valuit, ut ab eo discederet, quumque exclamaret se se gravi admodum a patribus atque Republica injuria affici, quod viro suo, tam bene de patria ipsa merito, justa solvere sibi uni non liceret, tandem per vim domi inclusa est, extractumque cadaver summa pompa patres efferendum curarunt, quo facto tristis illa semper, & vehementius in dies plorans, numquam, quoad vixit, quievit, indignabunda semper viventem illum & sentientem tam gravi injuria affectum, nec mortuum tamen sine publica nota*. Insignibus itaque Ducalibus exornato solemniter Francisco Foscaro parentatum fuit, comitantibus funeris pompam tum Paschale Duce in habitu (si fides Joanni Palatio sit) senatorio & sine Ducali cultu, tum universo Senatorum ordine; coram quibus ornatissimam recitavit Panegyrim Bernardus Justinianus Leonardi Procuratoris filius, & Sanctissimi Venetiarum Protopatriarchæ Laurentii nepos, qui tum ipsius, tum Venetorum sub ejus Principatu illustria gesta eloquenter contexuit, justisque laudibus cumulavit. Ut autem defunctum Principem panegyri facundissimus Orator extolleret, curavit Marcus Foscarus Procurator, sicuti ipse Justinianus in exordio suæ orationis testatur his verbis:

Cum vero universa fere civitas, & præcipue tu, Marce Foscare vir clarissime Francisci frater, id ad me muneris deferres, hærebam sane animo quid agerem, cum huic turpe existimarem repudiare munus, quod a regibus, prætoriis, consularibusque viris usurpatum vide-

viderem. Negare id præterea, quod gratum omnibus, a civitate expectatum, a suis desideratum tantopere cernerem, quo poteram præsertim cum ad illius principis laudes invitarer, qui me, Leonardumque patrem, omnem denique nostram familiam, & dilexisset in primis, & quibuscumque potuisset honoribus. Ad eundem deinde Marcum, dum orationis finis instaret, ita eum affatus est. *Tu vero, Marce Pater, quem longus rerum omnium usus, & utriusque fortunæ vicissitudo sapientiam docuit, parce lacrymis, & mœrori; jacturam tuam quæ profecto maxima est, tantæ gloriæ hæreditate metiare. Nepotes communes, quos ab avo tibi relictos in paternam fidem recepisti, ad illius gloriosissimam imaginem sicuti facis, excitare non desinas*.

In hisce describendis exequiarum solemniis gravissimo laborat anacronismo Joannes Palatius, dum ipsis *usque ad ultimum vale* adstasse asserit *Sanctum Bernardinum Senensem, qui Foscaro*, ait ipse, *fuerat a secretis confessionibus*; Id autem satis inconsiderate scriptum esse ex eo evincitur, quod Apostolicus vir, qui Venetiis discesserat anno 1443. post peragratas aliquas Provincias anno insequenti 1444. in civitate Aquilæ evolavit ad Cœlum, obitum Foscari Ducis duodecim & ultra annis præcedens. Nec majori veritate facilis scriptor asseruit *Geminam conjugem Foscarum* habuisse, *& cum prima defuncta thronum ascendisset, novam duxit* Marinam *Nani*, non sine murmure: quasi cælibatus *aptius Principi conveniret, quam conjugium*. Et quidem ex Sanuto, cæterisque fere omnibus Chronologis compertum habemus, ei in Comitiis electoralibus, in quibus Ducatum obtinuit, objectum fuisse, &. numerum filiorum, & juvenem (quam non diu antea duxerat) uxorem, ex qua non paucos posset filios generare.

Ut autem præclarissimi Ducis memoria sicuti ob egregia gesta in factis publicis, ita in oculis omnium perenniter versaretur, magnificum Nepotes ejus Mausoleum in Divæ Mariæ Gloriosæ Templo a Fratribus Minoribus, quos Conventuales vocant, exculto ad aram maximam ex selectis marmoribus erigi, eique epigraphen hanc incidi jusserunt. „ Accipite Cives Francisci Foscari Vestri Ducis Imaginem. Ingenio, Memoria, Eloquentia, Ad hæc Justitia, Fortitudine Animi, Si nihil Amplius, Certe Summorum Principum Gloriam Æmulari Contendi. Pietati Erga Patriam Meæ
„ Sa-

„ Satisfeci Nunquam. Maxima Bella Pro Vestra Salute, Et
„ Dignitate Terra Marique Per Annos Plusquam Triginta
„ Gessi, Summa Felicitate Confeci. Labentem Suffulsi Ita-
„ liæ Libertatem, Turbatores Quietis Compescui, Brixiam,
„ Bergomum, Ravennam, Cremam Imperio Adjunxi Vestro.
„ Omnibus Ornamentis Patriam Auxi, Pace Vobis Parta, Ita-
„ lia In Tranquillum Fœdere Redacta, Post Tot Labores
„ Exhaustos Ætatis Anno LXXXIV. Ducatus IV. Supra
„ XXX. Salutisque MCCCCLVII. Kal. Novembris. Ad
„ Æternam Requiem Commigravi.

„ Vos Justitiam Et Concordiam Quo Sempiternum Hoc
„ Fit Imperium Conservate.

In peristyliis autem Mausolei incisa leguntur hæc verba

„ Francisco Avo Divo Duci
„ Francisco Germano Pien-
„ tissimo

„ Nicolaus Jacobi Monumen-
„ tum
„ Hinc Atque Hinc Ponen-
„ dum Curavit.

Inscriptiones hasce Mausolei concinnavit laudatus Author emortualis Panegyris Bernardus Justinianus, qui & brevem epigraphen composuit duorum carminum ad imaginem Francisci Foscari Ducis in aula Majoris Consilii appositam, quæ vibrata emphasi gesta & laudes inclyti Principis promit.

„ Post Mare Perdomitum Post Urbes Marte Subactas
„ Florentem Patriam Longævus Pace Reliqui.

Et quanto quidem virtutum cumulo laudes hasce sibi demeruerit Franciscus Dux, ex plurimis comprobare est argumentis; Pietas autem in Deum, ejusque religio præ ceteris enituit in eo, quod Sanctos Religiososque viros, quos inter præcipue Sanctum Bernardinum Senensem, ejusque paris Sanctitatis discipulos Joannem de Capistrano & Jacobum Picenum summa veneratione prosecutus sit, sacrisque Divorum corporibus, quibus ditatur urbs Veneta, humilem cultum detulerit, dum solemni indicta supplicatione translationi Sancti Athanasii Alexandrini Patriarchæ interfuit, & ad visenda Sancti Nicolai Magni detecta lipsana ad Littoris Cœnobium Senatorum, Nobiliumque stipatus agmine se contulit, majoresque etiam erga corpus Sancti Evangelistæ Marci significationes obsequii, nisi gravissima bella intercessissent, præstare disposuerat, reconditum ipsius corpus revelando, sicuti latius dictum est in Eccles.

Ven.

Ven. Illustr. Tom. X** pag. 74. Sed & exordia sui Principatus a piis operibus auspicari voluit, amplissima eodem suæ Ducalis assumptionis anno decreta proferens, pro administrandis Monasteriorum, proque augendis Primicerialis officii proventibus. De sacris etiam locis seu instaurandis, seu erigendis, & de Divino cultu promovendo sollicitus Insulam Sancti Christophori Fratribus primum Sanctæ Brigidæ, mox Eremitis Augustiniani Ordinis Ducali diplomate concessit, Chartusianos Monachos, tradita eis latissimi ambitus insula in Venetis æstuariis collocavit, multaque alia edidit ad conservationem & incrementum Ecclesiastici Ordinis opportuna, quæ suis locis disposita exhibentur in Ecclesiis Ven. Tom. I. VI. IX. X. X**X. Part. III. & memorantur in utroque Indice Chronologico, scilicet Diplomatum, & Alphabetico Nominum illustrium.

Splendidum quoque de Religioso Francisci Ducis animo proferunt testimonium unanimes Ludovicus Barbus in lib. de Origine & progressu Cong. S. Justinæ, & Jacobus Cavacius in Hist. Cœnobii ejusdem S. Justinæ, ubi narrant Gabrielem Condulmerium Cardinalem omni conatu apud Martinum V. Romanum Pontificem, urgente in primis ipso laudato Ludovico, egisse, ut Monasterium Sancti Georgii Majoris Venetiarum, quod pridem ipse Cardinalis Condulmerius obtinuerat in commendam, recens institutæ Congregationi Sanctæ Justinæ perpetuo uniretur. Dum autem hæc Romæ aguntur, falso relatu ad Foscarum Ducem defertur, Ludovicum Barbum *inhiare juri patronatus*, quod ab institutione Monasterii *Duces habuerant*, *& id surreptitiis decretis ab suis civibus ad exteros* trahere. Pro ea, qua Patriæ decus observabat, sollicitudine excanduit adeo ira Princeps, ut de ejiciendo in exilium Ludovico Abbate rogationem ferre in Senatu decreverit, nisi impetratis renuntiaret. Ut autem ex prudenti Barbi oratione accepit, se ad reparandam Ordinis Sancti Benedicti collapsam disciplinam instituisse observantem Sanctæ Justinæ Congregationem, cui si accedat Venetum Sancti Georgii Monasterium, non tamen ideo ab antiquo jure patronatus evelli, quinimmo Principis jura perennari in perpetuæ Congregationis Ducali protectione; rerum expositione placatus Dux unionem Monasterii non solum permisit, sed etiam opere adjuvit.

X *Abbas*

Abbas (ita ipſe Barbus in citato Tractatu) *Ducis & totius Senatus in unum congregatorum præſentiam adit*, cujus *blando ſermone demollitus Princeps juxta illius regiminis morem, Abbate ſtatim ad partem ſequeſtrato, cum ſuis Conſiliariis brevi præmiſſo eloquio, Dux cum alacri facie ad ſe vocavit Abbatem, & pro penſata reſponſione his uſus eſt mollibus verbis: Domine Abbas licet aliter fuerimus informati, tamen magis credimus relatui veſtro. Non poſſetis melius loqui. Nos videbimus Bullam, & una vobiſcum aptabimus, ſi qua fuerint aptanda. Ite in pace.* Mox oblatum ſibi Pontificis reſcriptum cum mature conſideraſſet, ex P. C. decreto illud executioni mandari, atque ſpecialibus publicæ gratiæ donis uberius reddi curavit.

Nec diſſimilem animi religionem oſtendit Franciſcus ipſe Dux, dum prælaudatus Ludovicus Abbas Sanctæ Juſtinæ electus Epiſcopus Tarviſinus ſe Venetiarum Dominio *præſentavit*, apertaque ſuæ acceptationis cauſa privilegium apoſtolicum expoſuit, quo Monaſterium Sanctæ Juſtinæ Congregationi Monachorum Caſſinenſium ejuſdem S. Juſtinæ nuncupatæ ſubdebatur, ut per Abbatem *ad nutum Capituli Generalis* ipſius Congregationis eligendum adminiſtraretur. Quibus auditis, Franciſcus *Princeps, & cœtus Illuſtriſſimi Dominii hujuſmodi privilegium* (verba ſunt Ludovici Barbi) *tanto fervore, tantoque læto animo viſi ſunt habere gratum, quod vice omnium Dux, hæc protulit verba: ita charum, ita acceptum habemus hoc privilegium propter honorem Dei, qui ex illo provenit ſanctiſſimo monaſterio, quod timemus, ne futuri ſummi Pontifices velint infringere illud.*

Evidens non religionis ſolum, ſed devotionis etiam, quo Franciſci Ducis animus præditus erat, argumentum habemus ex humili ſupplicatione, quam ſuo, uxoriſque, & filiæ nomine Nicolao V. Pontifici Maximo offerri curavit enixe poſtulans, ut ſibi eiſque liceret, dum ſacroſancto miſſæ ſacrificio ad altare conſuetum adſtarent, eas indulgentias conſequi, quæ in variis Venetiarum eccleſiis ipſas viſitantibus in diebus conſecrationum conceſſæ fuerant. Quibus quidem humilibus, enixiſque precibus annuere voluit Pontifex, (L) qui deinde fidei & devotionis ſinceritatem, quam erga ſe, & Romanam Eccleſiam univerſa Ducis familia profitebatur, attendens, Mariæ & Catharinæ Jacobi Foſcari filiabus ſingularia pro veſtium uſu privilegia conceſſit; quum enim circa annum MCCCCL. San-

Sanctus Laurentius Justinianus tunc temporis Episcopus Castellanus ad suum gregem in Christiana moderatione retinendum opportunas contra vestimentorum luxum ecclesiasticas constitutiones edidisset, Pontifex, ne Ducis neptes, religiosæ quidem mulieres ac modestæ iis tenerentur, apostolicis litteris indulsit, quas Fabriani Camerinensis Diœcesis oppidi dedit anno supradicto MCCCCL. die XIII. Septembris. (M)

Huic Christiani Principis pietati reliquæ etiam respondebant dignæ Principe virtutes, quas ob fauste sortitam ingenii egregiam indolem, quamvis animo innatas, peculiari tamen excolebat studio; licet enim ab adolescentia, quam exul a patria transegit, in liberalibus disciplinis modice fuerit eruditus (id notant Blondus Flavius in regione VIII. Italiæ his verbis: *Dux Franciscus Foscarus omni virtutum, præterquam litterarum gloria ornatissimus*, & Laurentius Bonincontrius in annal. scribens: *Dux Venetorum Franciscus Foscarus vir scientia litterarum ignarus, sed rerum gerendarum peritissimus*) attamen ingenitam sermonis facundiam, & acri prompti animi judicio, & frequenti litteratorum colloquio ita expolivit, ut consilio & eloquentia doctum quemque & eruditum superaret; Eapropter & a clarissimis scriptoribus magno fuit in pretio habitus, nam & Blondus Flavius librum ei inscripsit de origine & gestis Venetorum, & Antonius de Rosellis Aretinus celeberrimus sui ævi jurisperitus Tractatum de Consiliis dedicavit, quem se MS. vidisse testatur Clar. vir Joannes de Augustinis Minorita Lib. II. *Della vita & Opere de Scrittori Veneziani*. Laurus Quirinus pariter magni nominis Philosophus interpretationem in Politicam Aristotelis, quæ in Patriarchali Bibliotheca Forojuliensi asservatur, Francisco Foscaro Duci nuncupavit, multique alii seu labores suos dedicarunt, seu in iis Ducem miris laudibus extulerunt. Sicuti pietatem & religionem, ita & justitiam, quæ peculiaris est Principum virtus, egregie coluit; quanto enim fervore in improbos irruerit, superius vidimus, dum ipsum Advocatorem Communis enuntiavimus, eamque laudabilem legum propugnationem in ipso etiam post adeptum Principatum perseverasse, testatur in funebri oratione laudatus Justinianus his verbis.

„ Dixi superius quanta severitate leges defenderit * Advo-
„ catus publicus, longe præclarius id præstitit in ducatu; illu-

 „ strius

,, strius enim defenditur justitia a principe, quam ab advoca-
,, to. Quid autem dicam hoc loco, quibus exprimam verbis:
,, quanta cum omnium laude id muneris exequeretur? Vidistis
,, illum, patres amplissimi, cum in improbos stans inveheretur,
,, celsum corpore, facie regia, oris oculorumque mira mode-
,, ratione, quibus indignationis, terroris, odiique faces admira-
,, bili illa eloquentia, ac pene divina animis omnium intor-
,, queret. Cum vere quod sæpe & decentissime faceret, labi
,, sineret ab humero dextro togam, quam sub sinistra colli-
,, geret; ut brachium liberius veluti telum exerceret, inten-
,, tis oculis, acri aspectu, grandi & sonora voce.

Quum autem & reliquis virtutibus animum quasi certis ornamentis decorare studuerit, in iis præcipue attendendæ sunt veluti peculiares ipsius dotes, prudentia in arduis agendis, & constantia in adversis perferendis, quarum non semel Franciscus Dux illustre & celebre specimen exhibuit. Atque ut de prudentia loquamur, Egnatius lib. VII. de exemp. dum cap. II. *sapienter dicta aut facta* extollit, sic de Francisco Foscaro loquitur: *Multa sunt & præclara Francisci Foscari dicta factaque sapienter, sed illud inprimis, quod cum Franciscus Carmaniola summo mane ad eum venisset, causamque quæreret, cur totam noctem Senatus habitus esset, qui paulo ante dimissus erat; ecquis alius, respondit, quam tu author fuisti: sed quum statim cognovisset potuisse illum suspicari de suo interitu actum, qui secutus mox est; egimus, addidit, de tuis laudibus, deque tuo augendo stipendio, donandoque tibi oppido, ubi malles: ita igitur nihil amplius suspicatus mali Carmaniola a satellitibus qui jam convenerant, retentus est*. Prudentiam ejus, qua P. C. animos clade Claravagiensi attritos forti sermone erexit, jam protulimus; cui consonant ea, quæ in oratione consolatoria ad Jacobum Antonium Marcellum protulit Franciscus Philelphus, Foscarum Ducem ostendens ferme unicum in Senatu, qui imminenti Reipublicæ malo sapientia & invicto animo subveniret.

Rumor quotidie magis apud Venetos increbruerat prope diem Brixiam perituram, nisi & frumentum & auxilium illico mitteretur. In tanta rerum iniquitate cum fluctuarent patres, neque quid consilii caperent in casu tam repentino & tam difficili offerretur, tum ipse (Jacobus Antonius Marcellus) *ut es ingenio acerrimo, & animo ad res magnas atque periculosas invicto, te ultro quasi al-*

ter

ter Scipio ad id negotii, atque discriminis iturum polliceris: cumque nonnulli te rem supra vires conaturum dicerent, aliudque nihil quam mortem tibi, & Senatui dedecus reportaturum: solus Franciscus Foscarus Princeps ille sapientissimus est inventus, qui mirificæ tuæ divinæque virtutis gravissimus judex, ac censor & probaret tuam profectionem, & magnam ex ea utilitatem ac laudem ad Rempublicam perventuram certo speraret. Sed & heroicam spiritus fortitudinem satis superius expressisse videmur, dum ipsum torti equuleo filii gemitus adeo fortiter sustinuisse diximus, ut ne immutato quidem vultu suum dolorem prodiderit. Rem Venetis externisque scriptoribus commendatam attulimus, quibus merito adnectere fas est alium excellentis famæ virum, quamvis Veneto nomini haud arcte addictum, Franciscum videlicet Philelphum, qui in prolixa consolationis epistola superius citata Franciscum Foscarum miris laudibus effert ob invictum animi robur, quo non solum sævissima filii innocentis tormenta proximo cubiculo audiit, sed & exanimem prorsus ad se allatum gravis, nec ad tristitiam versus excepit. „ Hæc Philelphus: Francisci Foscari, qui Paschalem „ Maripetrum in dignitatis majestate antecessit, inclytas ea„ dem in re virtutes silentio involvi nulla vel consuetudine, „ vel negligentia vestra patiar: quamquam id fieri fama est „ quorumdam culpa, qui vel domesticæ cujuspiam sibi notæ „ conscii, vel quia neque in sua, nec in suorum majorum „ ulla virtutis luce versati aliorum gloriæ invideant. Franci„ sco enim Foscaro tanta prudentia, tanta rerum magnarum „ omnium cognitione, tanta eloquentia, tanta animi magni„ tudine viro, Jacobus erat filius, quem pater, & quia fi„ lium, & quia unicum incredibili charitate, atque indulgen„ tia diligebat, adeo ut eo nihil habere in vita jucundius „ posset ab omnibus judicari: Quid autem in causa fuerit, ne„ scio. Illud mihi videor scire, nullum aut esse, aut excogi„ tari posse genus cruciatus, quo ille fere ad mortem usque „ afflictus sæpe non fuerit. Ad postremum arcessitus ex insula „ Creta, ubi relegatus asservabatur, & in organo porrectus, „ ac vinctus, quo torquendi genere aliud nullum fertur, ne„ que durius esse, neque horribilius, ita membratim tractus, „ exagitatusque est, ut solutis nervis, artubusque laxatis exa„ nimus prope redderetur. Num Dux Franciscus aut vultum

„ mu-

„ mutavit unquam, aut verbum fecit ullum in tanta, & tam „ atroci Filii clade, quem coram quodammodo intuebatur? „ Satis enim intuebatur, cum & Filii vociferationes, ejulatusque e proximo cubiculo audiret, & quod sit organi supplicium, non esset ignarus. Cumque post illius immanitatem truculentiamque supplicii coram videret allatum, nam „ quo is modo duci potuisset, cui nulla corporis pars consisteret? numquid ullum invitatum signum ostendit in facie, „ quicquam ne est locutus aut mollius, aut remissius? quasi „ istiusmodi quæstionis horribilitas non superet omnem mortis, „ non dicam dolorem, qui ut docui nullus est, sed doloris „ formidinem, quem indocti judicant.

Eadem prorsus animi moderatione usus est sapientissimus Dux in aliorum funeribus filiorum, quos intra breve annorum spatium immaturo fato sibi ereptos doluit, cujus quidem constantiæ clarissimum testem habemus Ludovicum Foscarenum Senatorem amplissimum, qui in epistola ad Philippum Parutam Archiepiscopum Cretensem ita eum pro animi magnitudine laudat: *Illustrissimus Princeps noster Franciscus Foscarus plurimis clarissimis adolescentulis spoliatus numquam biduo domi se continuit, sed paucis horis post Senatum habuit, vultum & habitum pristinum retinuit, oravit voce nulla in parte infractiore, vehementia consueta responsa & læta & gravia dedit, & tandem nihil ex consueto ritu propter domesticum luctum mutavit.* Et quali quidem Franciscus filios suos amore prosequeretur, edocet nos Francisci Barbari epistola, qua dum Jacobum Foscarum de Dominici fratris sui obitu consolatur, Patris pietatem effert his verbis: *Postquam mihi nuntiatum est, Dominicum fratrem tuum pestilenti morbo, nescio quo fato, vita functum esse, & in ejus ægritudine Illustrissimi Principis nostri Genitoris tui tantum potuisse pietatem, ut fere numquam ex cubiculo suo discesserit.* Is igitur, qui ut filio morienti adstaret, præsens mortis periculum minime formidavit, ei postea defuncto, nec breve mœroris triduum, ut publicis rebus consuleret, concedere voluit; suo exemplo docens, virum Principem contra omnes vitæ varietates ita animo debere sibi esse præsenti, ut irruentes animi passiones virtute coercens numquam a sui status dignitate descendat.

Hactenus de Francisci Foscari, tum in privato civis statu, tum

tum in splendido Principatus officio, factis & moribus actum est, ex quibus cum manifesto pateant eximii viri prudentia in rebus ad optatum finem perducendis, & constantia in adversis superandis, satis esse videntur ad cæteras quoque animi ejus virtutes intelligendas.

Reliquum modo esset, ut & externam corporis habitudinem, & præclaram vultus gravitatem verbis veluti quodam penicillo descriptam exhiberemus, at cum ipsius effigies non in uno historico libro incisa circumferatur, illam enim & Fastis Ducalibus Palatius, & Historiæ Ven. Vianolus inseruit, satis erit exteris, (Veneti enim id scire non dubitamus) loca indicare, ubi ejus imago coloribus ad vivum expressa, nempe in vasta Majoris Consilii aula, & simulacrum ad hominis staturam exsculptum, quod januæ principi Ducalis Palatii superpositum conspicitur; de qua quidem janua ipso Francisco Foscaro Duce constructa hæc affert Petrus Justinianus in Ven. Hist. Lib. I. *Nostra etiam ætate multa sunt addita ad ornatum & splendorem* (Palatii Ducalis) *præclarumque sane illud eximia architectura opus visitur, quod sub Francisci Foscari Principatu erectum fuit in anteriori Curiæ parte supra palatii fores, ubi illius Principis marmorea spectatur effigies.*

Hæc ex authenticis documentis, & clarissimis scriptoribus collecta ordinataque exhibentur, ut ex ipsorum collato testimonio rerum veritas comprobetur, & illustris & de patria optime meriti Ducis memoria effulgeat, ipsiusque virtutes posteri in omne tempus æmulentur & celebrent.

A.

Copia d' una lettera scritta per Sier Ramberto, e Sier Giacomo Contarini de' S. Lunardo data in Venezia adì 16. Frever 1441. scritta a Sier Andrea suo Fradello in Costantinopoli. Narra le Nozze di sua Sorella in Sier Giacomo Foscari fio de' Mess. lo Dose.

Avanti altro ve diga per consolation vostra vi avviso come adì 11. del passà sessemo Novizza madonna Lugrezia nostra Sorella in el Magnifico mess. Jacobo Foscari fiol del Serenissimo, & Illustre mess. lo Dose nostro, alla qual demo in Dota D. 16000. e D. 1000. de' imprestidi, & le

le ſue coſe : la qual per eſſer andà in Dogado , non ſi ha poſſudo far con meno di ſpender in tutte le ſue coſe D. 600. : e più avviſandove, che ella non ha avuto niente più di quello havè Paula , ſalvo , che in luogo d'una Veſta per caſa li eſta fatto una Veſta Brocado d'oro , con maneghe piccole ; la qual in tutto coſta D. 125. d'oro. Si diè dar D. 1000. fin alcuni zorni, lo reſto con noſtro deſtro. Avviſandovi, che in Palazzo le ſtà accettà con tanto piaſer, e contento, che più no ſe poria dir, & hanno fatto meſs. lo Doſe, & madonna la Dogareſſa, e meſs. Jacobo tanta allegrezza, che i non sa tegnir maſſaria parendole aver trovato tutto quello i andava cercando : & in verità la Garzona s'è portata, & porta tanto bene, che mai non l'averia credeſto. Credo, che da Dio la ſia ſtà inſpirada : Iddio prego la facci perſeverar, e di ben in megio . Avviſandove , che fin qui li hà fatto & tagiado 4. veſture d'oro, che xe : Prima una veſta campo d'oro cremeſina , & rizzada il più bello l' ha poſſudo haver , coſtali D. 18. il brazzo : xe con maneghe averte, fodrà de Varo , con una coda di Brazza uno e mezzo per terra , & un altra di panno campo d'oro, & Paonazzo , coſtali D. 12. il brazzo, xe come l'altra, ſolo, che le maneghe con fodrà d'Armellini : Un altra veſta d' Ormeſin broccà d'oro, con maneghe arlotti , che va per terra, come le altre, & le maneghe per terra tutte fodrà di Varo, coſta D. 7. il brazzo . Un altra con maneghe averte de' Damaſchin lavorà d' oro coſta D. 6. il brazzo , e fodrà le maneghe d' Armellini , coſtali quelle quattro veſte circa D. 2000. Ancora li ha dado un Formacetto di Drezza bello, che ha uno groſſa perla : uno Rubin, & uno Smeraldo, & uno Diamante , el qual val' aſſai denari . Uno Fermaio da ſpalla con una gran Diamante, & una perla, & uno Balaſſo di prezzo di D. 3500. Una Collaina, che fu quella, che portava la Rezina de' Cipri de' prezio di D. 8000. In dedo molti anelli , fra i quali ne xe Balaſſi 4. grandi de pretio di D. 2000., che baſteria tutte queſte coſe a ogni gran Reina dinotandove, che no la ſa domandar coſa alcuna a meſs. lo Doſe, che tutto le fa volontiera : per le qual Nozze è ſtà fatto di grandiſſime feſte, & Trionfi, che mai

homo

homo non se recorda fosse fatte in questa terra così notabil festa, che fo prima.

El zorno l'andò i parenti: tra de' una parte, & de l' altra ne fo circa donne 60., tutte ben in ordene; & venne i do piatti per la Sposa, & accompagnada con quelli, & molte barche andò a Palazzo. Avvisandove, che per non esser stà in mostra, come fa le altre, ne fo assaissime barche de' Zentilomeni, & Zoveni, & in quel zorno se fece una bella festa in Palazzo in Sala delle dò Nappe a trombe, e piffari: & per mess. lo Dose quella sera fo dà da Cena a tutto el suo, e nostro Parentà.

Da poi pochi zorni fo Sposada qui in casa secretamente: fatto dir una Messa in casa, & sonno mess. lo Dose, & la Dogaressa con alcuni pochi parenti. Dapoi adì 29. del passà, che fo de' Domenega fo fatto con Piatte, e Travi al Traghetto nostro magnifico Ponte, da una banda all' altra del Canal Grando: Et quella mattina alla Marangona se redussero tutti in Compagnia; qual furono 18. tutti vestì a un modo a casa del Sig. della Festa, che fo Stai Balbi. Havevimo in pie la calza della Compagnia, in dosso tutti Zeponi di Allessandrin broccà d' arzento, e veste di Veludo cremesin con le maneghe arlotti fodrà de' Dossi, con zenture cremesine, & in cavo barette tente in grana grande alla Sforzescha, e tutti haveva fameggi do per uno con la zorneda a Quartieri, con la nostra divisa, & altri quattro fameggi con le calze della divisa, e tutti uno Corsier per uno coverti tutti de' Veludo verde tutte ponte d' arzento, chi una cosa, e chi un' altra, e tutti compagni gionsimo tutti montadi suso bellissimi, e gran Corsieri dei megio sia nel Campo della Soldatescha. Et oltra tutti i nostri fameggi ne giera tanti altri Zoveni tutti vestidi di seda, e tanti Soldadi, che in tutti gierano più de' Cavalli 250. Avvisandove, che il Sig. era vestido come nui, salvo che la sua vesta andava per terra, la Baretta era de Veludo cremese, & aveva famegi sei per terra a torno il Cavallo tutti con zornette alla divisa. E mess. Jacobo oltra tanti. Haveva il Sig. Cavalli 20. e mess. Jacobo Cavalli 25.; & montassimo tutti a Cavallo a questo muodo. Che in prima andava avanti una man de' Trombetti,

betti, & piffari: & dapoi tutti i Zoveni, vestidi di seta, e dapoi tutti i nostri Cavalli coverti con i panni, e da poi la metà de'Compagni. Poscia i Trombetti, e Piffari; poi il Sig., & da dredo li altri Compagni; & in ultima tutti li altri nostri famegi; & fatto una volta a torno la Piazza, & per Corte di Palazzo, andassimo per la via di S. Samuel per il Ponte fatto, venissimo a S. Bernabà, & fatto dir una Messa, venne la Sposa in Chiesa con Donne 50. in mezzo de do Percolatori; & veduta sul Campo de S. Bernabà mess. el Dose, e col Co: Francesco con molte Ambascierie, & Zentilhomeni fu dito uno bellissimo Sermon; & in dove, che n'era tanti Zentilhomeni, e puovolo, che no se podeva andar in alcun luogo. Dito el Sermon se parti el Dose, e montassimo a Cavallo tutti, & fatto una gran volta per Veniesia, bagordando tutti i Compagni a S. Polo, a Santa Maria Formosa, & in Piazza se redusessimo a Palazzo, & li disnassimò tutti i Compagni; & dopoi disnar subito ridotte le Donne a Palazzo, montò Donne 150. in Bucintoro tutte ben in ordine accompagnato con molti Palischermi, & tutte le Barche delle Contrade tutto ben in ordine, con molti Trombetti, e Piffari, venne a S. Bernabà alla nostra Fondamenta, & montò la Sposa in Bucintoro & altre Donne 100. giera a casa, che forno in somma Donne 250. in circa, benissimo in ordine, & da poi andò il Bucintoro con tutte le Donne per il Conte; & montando il Conte dentro messe la Sposa in mezzo del Conte, & l'Ambassador de' Fiorentini con grandissimo Trionfo tornò a S. Marco. Avvisandove, che ne era tante Donne, che a pena non podeva star, & desmontate tutte andò in Palazzo, & venne mess. lo Dose contra fino in Piazza, e messa la Sposa in mezzo del Dose, & il Conte, & il Sig. della Festa, andò suso, & vennegli la Dogaressa in contro fino alla scala, con Donne 50., era restade, & redutti tutti a i suoi luoghi a sentar, fo da principio alla Festa, e sempre ne fo danze assai, & sonno assai mumij, che longa cosa saria a dirvi. Fo fatto festa fin a hore 5. de Notte, & dapoi andassimo a cena, & cenò li el Conte, & Donne 60., & molti altri, & dopoi cena fo fatto festa fin a hore Nove di Notte.

Venuto

Venuto Luni fo el fegondo zorno!, la mattina a buon' hora entraſſimo un'altra volta a Cavallo, & andati per la terra, tornaſſimo a palazzo a diſnar, e ridutte le Donne a bon' hora, che fo cerca Donne 250. andò le Donne alle ſtangade, & venuti 40. Zoſtradori, beniſſimo in ponto, meſſo per il Conte una pezza de' Cendanin Cremeſin per prezio, fo fatto una belliſſima Zoſtra, che mai non fo viſta la più bella, la qual durò fino 23. hore, & dato per Madonna Lugrezia el prezio, tutte le Donne andò in Sala, & fo fatto una belliſſima Feſta, più bella della prima per eſſer ſtà manco previa. Tutti i compagni, e molte Donne cenò a Palazzo, fatto Feſta fin hore 8. di notte belliſſima come podete penſar.

Marti, che fu il terzo zorno la mattina piovè molto forte, in modo che non ſe podeſſimo partir, ma doppo diſnar bonazzada la pioza, montaſſimo tutti i Compagni con il Sig. in Piatto, ſentado il Sig., & Compagni tutti in piè, & con man di Trombetti, e Piffari andaſſimo fino Santa Chiara per Canal Grando; & dredo il Piatto era alla filla tutte le noſtre Barche imbuccolade, & tutte palmizade, con do Fameggi uno in Poppe, & l' altro in Prova, veſtidi tutti a uno modo, con le Tornede della Compagnia, che giera bella coſa da veder, & montati a S. Chiara in le noſtre Barche, volteſaſſimo per la terra., & tornati a Palazzo cenaſſimo li tutti. Fù fatto quel di da 6. Zoſtradori molti colpi di Lanzue.

Zuobà, che fu il quarto zorno zoè da mattina buon hora, montaſſimo tutti i Compagni 18. in le noſtre Barche conzade per lo modo ſopradetto & andaſſimo per la terra fino a hora de' diſnar, & tornadi a Palazzo, diſnaſſimo li, & dopoi diſnar molto per tempo ſe reduſſe a Palazzo circa Donne 200., & andate alle ſtangade per Fiorentini fu meſſo in ordene 12. Zoveni tutti veſtidi de verde, con alcune Ghirlande, & Veli in Cavo, & con Cavalli tutti pieni di ſonagie fu fatto uno bello bagordo, & dapoi venuti Zoſtradori Num. 30., meſſo per li Oreſi una Zornea con Marche 120. d'arzento per pretio. Fu fatto una belliſſima Zoſtra, come potete penſar, la qual duro fino hore 24., & erano in tutte queſte Zoſtre tanto puovolo,

che l'era una cosa mirabile. Dopoi tornate le Donne in Sala, so fatto una nobilissima festa fin hore 5. di notte, & cenato al Palazzo tutti i Compagni, e parenti; so fenido le Feste nostre.

Ma per avvisarve delle magnificenzie fatte, ve avviso, che in Sala Granda, dove se soleva metter Torzi 60. el ne era 120., & così so a tutte tre le Feste, & a tutti i pasti non ne fu altro, che Capponi, Pernise, Pavoni, Ostreghe, e Confetti, & di tutto in tanta abbondanza, che l' avanzava per tutto, e buttavase via. Ha fatto presenti 250. de' Zeladia, & 500. de' Frittole e più, non ne ha voludo accettar presenti da alcuno, salvo da i Compagni Luslier, secondo usanza. Sono stado una grandissima quantità de' Forastieri, & so ordenado tutte le Donne buttasse cortotto: e sta tenudo da tutti magnifiche, e belle Feste, e gran Trionfi; che Christo prego insieme i conservi per longo tempo in Sanitade: & questo Zuoba dalla Casa faremo un'altra bellissima Festa, & perchè madonna la Dogaressa non li sarà, perchè el morì in così fatto zorno mess. Domenego so fio, ve avviso Lugrezia sarà in quel zorno in pie della Dogaressa.

Nobilium Fratrum epistolam, quam vernaculo Venetorum sermone conscriptam ad enarrationis ornamentum attuli, etiam ad Latinum idioma deductam exhibere censui, eo quia nonnullæ ex antiquis nostratum vocibus exteris, viris quamvis Italicam linguam callentibus, obscuriores evaderent.

Apo-

Apographum epistolæ scriptæ per Dominos Rambertum & Jacobum Contarenos de confinio Sancti Leonardi, datæ Venetiis die XVI. Februarii anno MCCCCXLI. Domino Andreæ eorum fratri Constantinopoli degenti, in qua narrantur solemnia Nuptiarum eorumdem Sororis cum Domino Jacobo Foscaro filio Domino Ducis.

AD consolationem tuam ante omnia nuntiamus tibi, die XI. transacti mensis tradidisse Dominam Lucretiam sororem nostram in uxorem Magnifico Domino Jacobo Foscaro filio Serenissimi & Illustris Domini Ducis nostri, cui titulo dotis dedimus argenteos MDC. & ducatos M. imprestitorum (1) & suas suppellectiles, pro quarum expensa, quia in Ducarium ducebatur, necesse fuit erogare pro rebus omnibus argenteos DC. nec tamen ejus dos supergressa est dotem alterius Sororis nostræ Paulæ, excepto quod vice unius domesticæ vestis obtinuit aliam vestem ex panno serico auro contexto cum manicis parvis, cujus pretium fuit ducatorum aureorum C. & XXV. Intra aliquos dies numerandi erunt argentei M. reliqui ad commodum nostrum solventur. Notum quoque tibi sit, quod omnes ex familia Ducis exceperunt eam indicibili voluptate & lætitia, ipseque Dominus Dux, & Domina Ducissa, & Dominus Jacobus gaudium ostentant pene ad prodigalitatem, existimantes se prorsus invenisse, quod eis erat in voto, & quidem adolescentula adeo se optime gessit, geritque modo, ut spem exspectationemque nostram superaverit; Deus, quo authore, ut credendum est, ita se habuit, eam in boni perseverantia confirmet, & de bono ad meliora deducat: Usque modo ei fecerunt quattuor vestes ex auro, videlicet primum vestem textilem auream & purpuream, omnium quæ inveniri potuerunt, pulcherrimam, paratam pretio X. & VIII. ducatorum pro singulis ulnis, cum manicis apertis, caudaque ad mensuram unius ulnæ cum dimidio, & subsuto ex pellibus vajorum; deinde aliam vestem

(1) Nomine imprestitorum intelligitur pecunia a privatis hominibus Communi Venetiarum, publico scilicet ærario tradita, ex qua annui census exigebantur.

ftem ex panno aureo & violaceo expensa argenteorum XII. pro unaquaque ulna similem supradictæ, excepto quod subsutum manicarum est ex albarum mustellarum pellibus, mox aliam ex serico aureo contexto cum manicis ad instar aliarum terram tangentibus ; & subsuto earum ex pellibus vajorum, pretium autem panni fuit argen: VII. ad singulas ulnas, demum aliam ex leviore serico auro pariter contexto constat arg. VI. pro unaquaque ulna, & manicarum subsuto ex alpinis mustellis; omnium autem earum vestium impensæ æquarunt bis M. argenteos. Compararunt etiam decoramentum capitis pro capillis pretiosa margarita, smaragdo, pyropo & adamante ornatum maximi quidem pretii. Dederunt etiam acum dorsalem adamante, margarita, & gemima vulgo Balasso instructum, cujus pretii existimatio exsurgit ad ducatos tres mille & quingentos; Torquem etiam, olim ad Cypriæ Reginæ usum, pretio ducatorum octies mille, annulos multos, eosque inter gemmas quattuor vulgo Balassi ad pretium ducatorum bis mille, quæ quidem omnia cuicumque Reginæ satis esse viderentur; nec de ulla re dominum Ducem exorat, quin protinus voti compos fiat. Porro nuptiarum intuitu spectacula adeo magnifica celebrata fuerunt, ut nemo se paria vidisse recordetur; quorum talis fuit ordo.

Statuta die convenerunt utrinque consanguinei, quos inter fuerunt LX. circiter mulieres optime aptatæ, iisque comitantibus sponsa duabus majoribus cymbis, seu lintribus ad Palatium Ducale deducta fuit; quum autem (hoc etiam notum tibi sit) nondum se, ut solent aliæ, manifestam publice pr buerit, plurimæ advenerunt nobilium juvenumque cymbæ, & in Ducario solemnis chorea habita fuit in aula duorum focorum nuncupata, resonantibus tubis ac tibiis, eoque sero Dominus Dux utriusque familiæ consanguineos ad cœnam invitavit. Post aliquos deinde dies in domo nostra secreto post auditam missæ celebrationem desponsata fuit, adfueruntque Dux, & Ducissa atque nonnulli ex consanguineis. Die autem XXIX. transacti mensis Dominica die compactus fuit ex lintribus & trabibus magnificus pons, qui ex trajecto nostræ domui proximo ad alteram majoris Canalis partem viam aperuit, ipsoque mane ad sonitum cam-

campanæ. Venetis *la marangona* convenerunt omnes ſimul numero ſexdecim uno modo induti in domo Euſtachii Balbi, qui ſolemnitati præerat. Calceati tibiale ſocietatis (1) atque induti erant thorace ſerici Alexandrini argento contexti cum veſte ſerica villoſa coccinei coloris, cujus manicarum ſubſutum erat ex pellibus dorſuum vajorum, cinctoria autem purpurea erant, & galeri coccinei ingentes vulgo *alla Sforzeſca* (2). Singuli famulos ſex tenebant, quorum duo ſagis fruſtratim diſtinctis inſignibuſque noſtris inſutis, & tibialibus ſimiliter ſignatis induebantur, alii autem quattuor tibialibus pariter ſignatis calceati erant; unuſquiſque autem a curſore præcedebatur tunica ſerica villoſa viridis coloris induto. Ornatus virorum ex argenteis acubus, variiſque pro libito decoramentis augebatur, noſque omnes con-

(1) Societas tibialis, Italice *La Compagnia della Calza* celebris olim fuit apud Venetos, quippe quæ ex illuſtriori Patritia juventute compacta erat. Inter equeſtres ordines nimis facile eam adnumerant Abbas Juſtinus, aliique nonnulli, qui de equeſtrium militum ordinibus hiſtorias texuerunt, ejuſque ſocietatis exordia uſque ad exſurgentis Reipublicæ tempora deducunt, Magiſtroſque Equitum, qui ſæculo noſtræ ſalutis octavo Rempublicam annuo munere adminiſtrarunt, primos ſtatuunt hujuſce ſocietatis, ſeu ordinis Magnos, ut vocant, Magiſtros. Rejectis autem magnificis hiſce fabulis, pronum eſt credere, ſocietatem hanc initium habuiſſe Michaele Steno Venetiarum Duce, qui patriæ Principatum obtinuit anno ſæculari MCCCC. Quo ipſius regiminis anno, quave nacta occaſione Societas hæc inſtituta fuerit, incompertum eſt; hoc unum conſtat, nobiles quoſdam juvenes tibialia variæ ornatæque formæ, ſed inter ſe diſſimilia certis ſolemnitatibus induiſſe, propriiſque expenſis haſtarum ludos, aliaque ſpectacula populo præbuiſſe, quorum ſpecimen effertur in prolata epiſtola. Societatis hujuſce memorias contexuit author libri, cui titulus *Hiſtoire des Ordres Militaires ou des Chevaliers* Jenee edit. Amſtelodam. Tom. I. pag. 198.

(2) Galeri vulgo *alla Sforzeſca*, ideo, ut rationabile eſt autumare, dicebantur, quia eis tegi ſoliti erant Comes Franciſcus Sfortia tunc temporis Veneti exercitus Imperator, & viri pariter eidem deſervientes.

conſcenderamus pulcherrimos, ingenteſque equos ex nobilioribus, quos Dominium in exercitu ſuo poſſideat. Præter famulos noſtros ingens erat aliorum juvenum turba ſericis induta veſtibus, nonnullique milites, ita ut equi ultra CC. numerarentur. Dominus pompæ veſte noſtris conſimili induebatur, hoc uno excepto, quod tunica ejus ad terram uſque trahebatur, biretum autem ex ſerico villoſo purpureo erat, ſexque pedeſtribus famulis ſtipabatur tunicula ſignata pariter indutis, totidemque famuli Dominum Jacobum ſequebantur. Equi XX. ad Principem pompæ ſpectabant, XXV. autem ad dominum Jacobum, noſque omnes ſuper equos conſcenſi tali ordine proceſſimus.

Incedebant primi tibicines & lyriſtes, deinde ſequebantur juvenes ſericis induti, mox equi noſtris pannis tecti, ac demum media pars ſociorum. Hos ſequebantur alii tubarum tibiarumque luſores, poſt quos conſpicuus erat Princeps pompæ, cui inhærebat alia ſociorum nobilium pars, comitatum vero claudebat altera famulorum noſtrorum turba. Quum igitur atrium Ducarii, & plateam circuiſſemus per Sancti Samuelis confinium ad pontem ibidem diſpoſitum, mox ad Sancti Barnabæ Eccleſiam acceſſimus, ubi Miſſæ celebrationi adſuimus. Sponſa interim inter duos Procuratores media atque L. Matronis ſociata deſcendit, eamque cum in platea Sancti Barnabæ conſpexiſſet Dominus Dux, quem comitabantur Dominus Franciſcus Sfortia multique Legati & nobiles, habitus fuit ornatiſſimus ſermo tanta adſtante nobilium populique frequentia, ut vix e loco quis moveri poſſet. Abſoluto ſermone diſceſſit Dux, noſque omnes ſuper equos aſcendimus, urbemque circumvagantes & tripudia agentes per confinia præſertim Sancti Pauli, & Santæ Mariæ Formoſæ, perque majorem plateam tandem ad Ducarium convenimus, ubi omnes prandio excepti fuimus. A Prandio cum Matronæ in Ducis Palatio conveniſſent, C. & L. ex ipſis omnes aptatiſſimæ Bucentaurum aſcenderunt (1), lintribus multis, triremibusque Pa-

(1) Bucentaurum navis eſt Venetæ urbis propria, & ſingularis, intus foriſque deaurata, qua vectus Venetus Dux ad ſolemnem maris deſponſationem, in feſto Aſcenſionis Domini procedere ſolet.

Parœciarum omnibus ornatiſſimis comitantibus, plaudentibuſque multis in tubarum, & tybiarum ſonitu, & in Sancti Barnabæ confinio ad ripam noſtræ viæ accedentes Sponſam cum aliis C. matronis ipſam ſequentibus exceperunt, ita ut ibidem numerarentur ultra CC. & L. mulieres eximio cultu conſpicuæ. Aurea autem navis appulit ad Comitis Franciſci Palatium, qui cum aſcendiſſet, Sponſa inter ipſum Comitem, & Legatum Florentinæ Reipublicæ media ſolemni pompa ad Sancti Marci plateam pervenit, tantaque illic erat Matronarum copia, ut minor ad eas excipiendas locus videretur.

Quum autem deſcendiſſent omnes, & ad Ducarium procederent, obvius Sponſæ uſque ad plateam deſcendit Dominus Dux, nurumque ſuam inter ſe & Comitem Franciſcum, & Principem pompæ collocatam, ad palatium duxit, quam ad Scalæ ſummitatem excepit Duciſſa, quæ cum L. Matronis in Palatio remanſerat. Omnibus itaque per aptata loca ſedentibus choreis initium fuit, quæ frequenti varioque modo uſque ad quintam noctis horam productæ fuerunt. Parata deinde cœna excepti fuimus, cum Comite & Matronis LX. multiſque aliis, qua completa choreæ uſque ad horam noctis nonam renovatæ fuerunt.

Die autem Lunæ pompæ hujuſmodi ſecunda mane diluculo equos aſcendimus, urbeque perluſtrata ad Ducarium reverſi prandio excepti fuimus, cumque diligenter Matronæ numero CC. & L. circiter conveniſſent, ad paratum ſeptum acceſſerunt, cumque quadraginta ibi haſtis ex equo ludentes optime parati reperirentur, Comes præmium victoris integrum pannum ſerici purpurei expoſuit. Pulchriorem hac ludrica pugna nullam ſe vidiſſe aſſerunt Veneti, quæ ultra horam diei XXIII. perduravit, cumque Domina Lucretia ſtatutum victori præmium detuliſſet, Matronæ ad Ducarii aulam redierunt, iterataque fuerunt chorearum tripudia eo præcedentibus venuſtiora quominus feſtinata. Ad paratam interim cœnam ſe receperunt omnes pompæ ſocii multæque ex mulieribus, choreæ autem uſque ad horam octavam noctis prolatæ fuerunt.

Inſequenti die Martis noſtræ ſolemnitatis tertia mane ita pluit,

ut nullus e loco discedere potuerit; cum autem vespere serenior aer apparuisset; omnes socii cum Principe pompæ naviculam auratam ingressi sumus, solo quidem Principe sedente, nobisque omnibus stantibus, tubisque & tybiis perstrepentibus usque ad Sanctæ Claræ Monasterium per majorem Canalem deducti fuimus. Auream naviculam sequebantur ordinatim nostræ cymbæ expolitæ & levigatæ duobus famulis a puppi, & a prora vectæ, qui omnes consimili sago nostræ societatis expensis induti venustissimam apparatus speciem efferebant. Ubi ad Sanctæ Claræ monasterium accessimus, unusquisque in suam cymbam descendit, cumque per urbis rivos diu vagantes perrexissemus, ad Ducarium tandem reversi ibidem cœnavimus. Ea autem die sex viri hastis simul luserunt.

Die Jovis quarta nempe solemnitatis primo mane omnes socii numero X. & VII. cymbas nostras ut pridie ornatas ingressi per urbem usque ad meridiem processimus, deinde in Ducarium reversi prandio ibdem donati fuimus, quo vix expedito in Ducario sese collegerunt Matronæ circiter CC. quæ cum ad aptatum septum advenissent, viri Florentini ibidem duodecim juvenes disposuerunt viridi sago indutos, sertisque ornatos, & velis capita protectos, qui super equos tintinnabulis circumdatos elegans tripudium præbuerunt. Quum autem aurifices urbis præmium ludicræ pugnæ clamydem, centumque & viginti nummos argenteos statuissent, triginta viri hastis magnifice luserunt usque ad horam diei XXIV. quibus quidem spectaculis, mirabile videbatur quanta adfuerit populi multitudo. Ad aulam redactæ Matronæ choreas duxerunt ad quintam noctis horam prolatas, cumque omnes socii & consanguinei in Palatio cœnam accepissent, solemnia nuptiarum absoluta fuerunt.

Ut autem tibi universa innotescat pompæ magnificentia, hoc scias, aulam majorem quæ LX. de more intortitiis illustratur, nunc duplicato ipsorum numero per tria chorearum tripudia decoratam fuisse, singula vero convivia caponibus, pernicibus, pavonibus, ostreis affluenter adeo redundarunt, ut ex ipsorum excedentia etiam projicerentur.

Mu-

Munera misit Dux ex piscibus gelato aceto conditis, CCL. ex fricturis vero & arcolaganis. D. & ultra, tenuitque a quocumque donaria accipere, exceptis sociis Lascher (1) juxta morem. Adfuit maxima advenarum frequentia, decretumque fuit ut mulieres omnes lugubria indumenta deponerent, omnesque aspexerunt magnifica, adeo venustaque spectaculorum solemnia. Christum autem deprecor, ut in longa eos simul sanitate conservet; proxima autem Jovis die familia nostra pulcherrimam aget pompæ solemnitatem, verum Domina Ducissa non aderit, quia ea die Dominus Dominicus ejus filius e vivis excessit, ideoque Lucretia Ducissæ ipsius ea die vices aget.



(1) Qui fuerint hi socii Lascher, prorsus ignoro, fortasse verbum hoc vitiatum fuit ex amanuensis inscitia.

B

MCCCCL. Die XXVIII. Januarii.

CUM fit maximo ftudio querendum quod in ifto cafu fer Jacobi Fofcari filii Dom. Ducis quilibet iftius Confilii qui locutus fuit, & qui loquetur, poffit aperte difputare & loqui quidquid fentit per fuam confcientiam, & quod putat effe fecundum Deum, & honorem Venetiarum, nec metuat ullo tempore vindictam ab ulla perfona; Vadit pars, quod Dominus Dux & omnes attinentes fui, & attinentes dicti fer Jacobi, qui videlicet expellerent illos à capello (1) non poffint effe Judices in aliquo cafu, in quo aliquis, qui fuerit in ifto confilio, & cafu, aut eorum filii, vel fratres vel filii filiorum habebunt agere quovifmodo, nec favere, nec disfavere, nec teftificari, nec denuntiare, nec arengare, (2) nec loqui, nec difputare, nec ponere partem, (3) nec hortari, nec ponere ballotam, (4) exceptis tamen probis (5) quæ fierent in majori Confilio, vel Rogatorum, nec denique in aliqua re ad ipfos aut filios aut fratres vel filios filiorum fuorum fpectante vel pertinente fe aliqualiter impedire; nec in ipfius Domini Ducis prefentia de rebus ad ipfos vel filios vel fratres fuos, vel filios filiorum tangentibus tractetur, loquatur, vel confulatur ficut fit quando tractatur de rebus tangentibus ad attinentes Domini Ducis, nec poffit præfens pars revocari nifi per omnes iftius Confilii, & per omnes de additione congregati in numero qui nunc eft,

De parte 23. de non 4. Non finceræ 2.

---

(1) Cappellum Veneti appellant urnam illam, in qua pofitæ funt fortes, quarum qui auream fortitur, ex numero eft Electorum, qui viros proponunt ad patriæ officia.

(2) Arengare ex *arringo* ideft publice differere.

(3) Ponere partem, idem eft ac proponere legem vel decretum in Comitiis.

(4) Ponere ballotam intelligitur ferre fuffragium.

(5) Probæ funt quando aliqui cives proponuntur pro aliqua dignitate ad publica fuffragia.

CON-

CONSILIARII.

ſ. Melchior Grimani,
ſ. Nicolaus Bono qu: ſ. Alexandri.
ſ. Franciſcus Zane qu: ſ. Nicolai.
ſ. Joannes de Lege qu: ſ. Donati.
ſ. Girardus Dandulo qu: ſ. Jacobi.
ſ. Zacharias Triviſano Doctor.

CONSILII X.

ſ. Franciſcus Georgio qu: ſ. Pauli.)
ſ. Joannes Memmo qu: ſ. Tribuni.) Capita C. X.
ſ. Paulus Barbo Miles qu: ſ. Nicolai.)
ſ. Ermolaus Valareſſo.
ſ. Thomas Quirino.
ſ. Nicolaus Contareno qu: ſ. Petri.
ſ. Andreas Marcello qu: ſ. Vidi.
ſ. Carolus Marino qu: ſ. Roſſi.
ſ. Stephanus Triviſano qu: ſ. Michaelis.
ſ. . . . .

ADVOCATORES COMMUNIS.

ſ. Delfinus Venerio.
ſ. Nicolaus Bernardo qu: ſ. Francisci.
ſ. Triadanus Gritti qu: ſ. Homoboni.

ADDITIO.

ſ. Paulus Truno Procurator.
ſ. Aloyſius Venerio Proc.
ſ. Ludovicus Lauredano Proc.
ſ. Chriſtophorus Mauro Proc.
ſ. Andreas Mauroceno qu: ſ. Michaelis.
ſ. Zacharias Bembo qu: ſ. Hectoris.
ſ. Franciſcus Balbi qu: Aloyſii.
ſ. Marinus Superautio qu: ſ. Nicolai.

ſ. An-

ſ. Andreas Bernardo qu: ſ. Franciſci.
ſ. Laurentius Minio qu: ſ. Franciſci.
ſ. Joannes de Cha da Peſaro qu: ſ. Andreæ.
ſ. Laurentius Foſcarino qu: ſ. Andreæ.
ſ. Octavianus Valerio.
ſ. Andreas Vendramino.

C

Sereniſſime Princeps & Excellentiſſime Domine. Sæpe comparuit coram nobis ſer Jacobus Foſcari Veſtræ Serenitatis natus huc relegatus per veſtram Ducalem celſitudinem ex deliberatione Conſilii decem & additionis, requirens ut ſibi licentiam conferamus quod poſſit exire extra portas burgi hujus civitatis cauſa ſpatiandi; allegans in ſui favorem condemnationem Gregorii de Campo Sancti Petri olim huc pariter relegati, qui nihilominus ad libitum exibat extra burgos hujus civitatis, quam condemnationem ad ejus inſtantiam vidimus, & continet, illum fuiſſe relegatum in terra Caneæ. Nos vero qui per tenorem litterarum Excellentie Veſtre intelligimus talem licentiam non poſſe per nos ſibi dari, neque id ad nos pertinere, ipſi ſer Jacobo dictam licentiam denegavimus. Sed frequenter ab eodem infeſtati decrevimus hoc veſtre prelibate Excellentie denotare, ut ſi ſibi placet aliquid mandare ſuperinde diſponat, & mandet, ut ſibi libuerit. Nam quid Celſitudo Veſtra mandaverit, prorſus exequemur nullatenus veſtra mandata tranſgrediendo. Gratie autem Veſtre Serenitatis nos humiliter comendamus, quam conſervet Altiſſimus.

De Veſtræ Serenitatis mandato Johannes Triviſano Rector Canee & ſui Conſiliarii.
Ubi datum die X. Septembris 1451.

Sereniſſimo Principi & Excellentiſſimo DD. Franciſco Foſcari Dei Gratia Duci Venetiarum &c.

D

Eſſendo la Excellentia de miſs. lo Doſe paſſionato & oltra quello che dir ſe po aflito per el caſo del ſuo unico infortunato fiolo sì de la paſſione de lamore Paterno el qual ſente largamente eſſer inteſo e compreſſo dale magnificen-

cencie vostre, i quali come amorevoli Padri ben intende lanimo suo di e notte mai non poder haver riposso; sì etiam per la continua presentia de quele afflite, e sempre lacrimose Madre e mojer de quel suo fiolo, le quale continuamente con gemiti, e pianti il sono presente, vedesse etiam 4. fioleti de esso fiolo de 7. 5. 4. e 2. anni li quali ogni di e hora li son presenti per continua sua memoria de dolore e pena, parendoli e siandoli quele creaturele esser orfane de Padre vivo, che presto per la sua vechiezza remagnerano senza alcuno governo e socorso, che ghè cossa amarissima a ricordarla, e veramente non e cuor de piera ne si duro che considera queste cosse, e meglio chi le vedesse, e gustasse che da pietà non se comova oltra le altre infinite, che ne sono da dire per le quale e per quele che se dira, domanda la Excellentia Sua chi a lui sia fato quelo che communamente a tuti se fa zoe gratia che a questo so fiolo sia mutato el confine dalla Cania in Padoana over Trivisana, e ben chel podesse dire e dimandare chel fosse examinato alcuni per li quali se fazia chiaro altri essere in colpa & etiam chel podesse alegare che molti desordeni sia sta fati nel processo di suo fiolo si per esser messi nel colegio queli che mai non so messi, e mancharne queli ne doveva esser & esser sta fati cavi che non poteva essere, stare nel Consejo queli non podeva stare, condannarlo senza meter de procieder, e molti altri che saria longo a dire. Lassa da parte queste cose perche vogliando gratia per suo fiolo non vuole danno ne desonore d'alcuno, parendoli che se ai delinquenti e che confessano i delitti ogni di se fa gratia largamente a so fiolo se possi fare del quale non è etiam chiareza alcuna ne confession chel dana, essendone fatte tute prove se po dire zoe di scassi 18. star ne lorgano hore 3. e dapo datoli scassi fino ad aprirli el seno che quasi se vedeva el cuore come po testificare chi el medegò ne mai plui de la persona sera liale, intese tute queste cose le Magnificencie vostre po intender se questo tribulado vechio de anni 80. deve po haver grazia. Recordesi che za 30. anni in questa dignità mai non ha havuto riposo e con quanta solecitudine sempre e stato fato non sparagnando mai

fa-

faticha per le facende de questa republicha, mortoli 5. fioli da peste zoveni & altre adversitade che mai non sono manchate e niente de meno ai fati dela tera non e stato stanco, stando de di, e de note, & a strasore come sano molti che i sono stati da presso intanto che per certo lera impossibele che un corpo zovene le podesse portare, siche ben se conviene per grazia accordarlo, e farli la grazia chel domanda azo per questo dolente vechio non compia questa sua decrepita con queste pene e continui dolori.

Quæ latine reddita sic sonat.

Quum Excellentia Domini Ducis supra quam dici possit, dolens & afflictus sit ob infortunium unici sui ac infelicis filii, tam ex sensu paterni amoris, (quem optime credit satis notum esse Magnificentiis Vestris, qui utpote benigni Patres comperiunt ipsius animum diu noctuque torqueri) quam ex assiduo conspectu & Matris & Uxoris ipsius filii sui, quæ mœrentes & lacrymosæ ipsum haud incessanti gemituum ploratuumque sono magis excruciant. Dolor autem ipsius magis augetur ex præsentia quattuor infantium, suorum ex filio nepotum, quorum ætas septimum, quintum, quartum, & secundum annum respective attingit; quique quotidie per omnes horas sibi adstantes angustiarum memoriam renovant & dolorum, ipsosque Patre etiam vivente tamquam orphanos dolet, quum ex gravi senio ipsos brevi deserere debeat pupillos & absque adjutorio, res quidem cogitatu sibi amarissima. Quis autem corde adeo lapideo inveniri potest, qui malis hisce perpensis (multoque magis visis, & auditis) ad misericordiam flecti se minime sentiat? Sed & multa alia efferenda essent, quorum caussa, & aliorum quæ mox dicentur, implorat Excellentia Sua, ut filio suo concedatur id, quod passim omnibus indulgetur, nimirum ut statutum exilii confine commutetur Cydonia in agrum Patavinum vel Tarvisinum. Posset ipse quidem exposcere, ut nonnulli ad examen evocarentur, quorum testimonio innotesceret alterius viri esse hujusmodi reatum, atque insuper allegare posset inordinata multa fuisse in filii sui quæstione, in Consilio

filio enim conscripti fuerunt, qui nunquam antea in eo fuerant, multique aberant, qui præsentes esse debuerant, insuper & in capita ipsius Consilii constituti fuerunt ii, quibus non licebat, atque in Consilio steterunt alii, quibus ibidem permanere vetitum erat; Sententia autem condemnationis lata fuit antequam de ipso condemnando decretum statueretur, multaque alia peracta sunt, quæ longum esset adducere. Hæc autem omnia ab eo ommittuntur, quia unice gratiam pro filio implorans, aliis damnum aut dedecus afferre omnino recusat; id autem secum animo reputat, quia si sæpe sæpius reis, & quidem crimen suum fassis indulgentia abundanter conceditur, filio etiam suo donari possit, de cujus asserto crimine neque argumenta sunt, neque confessio ad probandum; quamvis nihil relictum sit intentatum, fune enim quassatus fuit, & in equuleo stetit ad tres horas, iterumque fune adeo tortus fuit, ut cutis pectoris disrumperetur, ex quo vulnere pene cor patebat, prout testificari potest is qui vulneri medebatur, nec ipsius quidem corporis conditio ad salutem unquam reduci valebit. Omnibus hisce perspectis Magnificentiæ Vestræ satis intelligent, an afflictissimus senex mereatur gratiam impetrare. Mementote quia per XXX. & ultra annos fatigatus numquam quievit, quantaque sollicitudine egerit nulli parcens studio in administranda Republica. Doluit filios Juvenes ex pestifera lue sibi ereptos, multasque alias perpessos est adversitates, nec tamen ab agendis patriæ negotiis unquam abstinuit, dies noctesque integras in eis indefesse insumens, ut recte norunt ii, qui prope ipsum degebant, vixque possibile videbatur, virum ætate juvenem tot posse sustinere operum labores. Jure igitur suscipiendæ sunt ipsius preces, & indulgenda gratia pro qua exorat, ne mœstissimus senex extremos longævæ vitæ dies claudat tot inter angustias perennesque dolores.

E.

Per le infrascripte raxon: el ne par chel se possi far quanto domanda el nostro Serenissimo Prencipo, cercha i fati de misier Jacomo e prima.

Perche la pena che e dada a misier Jacomo Foscari, è, solo in caxo chel rumpa el suo confin, nel qual caxo del rumper del confin lo se dato tre sorte pene: cioè della vita dei beni e de la taja: E pero la parte dixe che delle cosse predicte: e de chadauna de le predicte non i se possi far gratia &c. che se intende de la pena chel fosse incorso havendo rotto el confin, e de chadauna de le 3. sorte. Ma habiando obedido, e obedando el non è incorso ad alchuna pena, e pero quel: Quod de prædictis & aliquo prædictorum non possit fieri gratia &c. sotto la pena, e strictura non ven ad haver luoco, e pero el se puol metter de translatar, e mitigar el suo confin, come domanda el nostro Serenissimo Principo senza alcuna pena, perche come è dicto le messo solamente pena a quelli che volesse far gratia de la pena, a la qual fosse incorso misier Jacomo havendo rotto el confin.

La seconda raxon e via per la qual el se puol far si è.

Che antigamente in questa terra ne le stricture de le condanaxon non se soleva dir altro. Salvo chel non si possi far grazia, la qual parola revera chel non si possi far gratia comprende chel non si possi far alcuna diminution, mitigation: over revochation de la condanaxon comprende tuto. Tamen i nostri passati inclinadi sempre a far gratia, trovo che dove el se diceva chel non si possi far gratia i disse chel se fesse don & diminution, mitigation, o remission, le qual tute cosse pero e gratia tamen i diti nostri passati interpetrono che don diminution mitigation remission non fosse gratia per trovar questi mezi da far gratia, e però quelli che sono successi quando ja vojudo strenzer che non si possi far gratia: ja etiam zonzonto chel non si possi far ne don ne remission ne compensation &c. & ogni volta che ja lassado qualche parola che sia de natura de gratia, quella tal cossa se puol far secundo le vestigie di nostri passati, e come se vede ne la parte i non ha dito chel non se possi far queste 2. cosse de mitigation ne relassation che son quelle 2. cosse che domanda el nostro Serenissimo Principo e pero le se puol far senza pena.

La terza raxon e via si e.

Che questa Cita ha sempre costuma che sia sta in una parte over condanaxon quante pene e stricture se habia vojudo,

do, ſe ne la fin de la parte la non dixe che la dita parte over condanaxon non ſe poſſi revocar le ſta ſempre in libertà di quelli che ha poſſu meter parte de revocarla ſenza pena come ſo fato ne le nave de Fiandra · che andaſſe alla foreſtiera, e in molti altri caxi che ſe pora moſtrar e pero quando el non ſe vol che la parte ſe poſſi revocar el ſe mete ne la fin de quella, e che la preſente parte non ſe poſſi revocar ſotto pena &c. e cuſſi ſo meſſo ne la parte meſſa nel conſejo di X. adi 13. avoſto 1451. ma perche ne la parte over condanaxon di miſier Jacomo el non e meſſo che la non ſe poſſi revocar. Nulli dubium che l'è in libertà de quelli che puol meter parte de revocarla ſenza pena.

La quarta raxon e via per la qual el ſe puol far quanto ſe domanda, è che nui havemo qui ſotto nota la forma de una parte per la qual aperta, chiara, e ſeguramente ſe puol intrar ne la materia de miſier Jacomo la qual certo non ha contradition in contrario & è queſta:

Perchè le pene meſſe in la condanaxon fata per queſto Conſejo contra miſier Jacomo Foſcari adi 26. Marzo 1451. ſe extende ſolamente a quelli che foſſe contra la dicta condanaxon, over contra alcuna parte de quella, & a quelli che feſſe gratia a colloro i quali foſſeno incorſi in le dicte pene per haver contrafato a la dicta condanaxon ma el non e miga devedado in alcuna parte de quella che non tochando la dicta condanaxon, ne retratandola in alcuna ſoa parte chel non ſi poſſi ſuſpender: over mitigar le dicte pene avanti chel ſe ſia incorſo in quella, ſi chome in molti caxi ſe ſuol far e como ſo fato in la parte prexa in queſto Conſejo adi 13. Avoſto 1451.

E però landera parte non tochando per queſto ne retratando ne revocando in alcuna parte la condanaxon del dito Miſier Jacomo che le pene ale qual poſſe in corer, chi parlaſſe, over ballotaſſe in la dicta materia ſia ſuſpexe, e anichilade per auctorita de queſto Conſejo e dal di del prehender de la preſente parte in avanti per ſoſpexe anichilade ſe habiano.

E fin da mo ſia dechiarado e prexo che quelli che hanno meſſo queſta parte, e quelli che ha meſſo ballotta in eſſa non ſe intendà eſſer incorſi in alcuna pena perche quel che

Aa 2 per

per la dita parte de di 26. Marzo 1451. non era deveda ipso jure se intenda essere concesso e se alcuno Cavo del Consejo de X. over alcun Avogador soli over acompagnadi presenti o futuri per si soli over cum el Consejo cerchasse, procurasse o tentasse cum parole o cum fati de far contra questa presente parte o dechiaration che ipso facto el dicto over i dicti se intenda esser chazudi a pena de ducati 2000. doro & esser bandidi perpetualmente de tuti i nostri Consei ne possa essere messo de revocar: sospender o mitigar la dicta pena soto la dicta pena, e cadaun cavo, e chadaun Avogador soli, e accompagnadi de suo arbitrio, e senza Consejo sia tegnudi soto obligation de sagramento subito e quando i vora, e in ogni tempo exequir la dicta pena e schuoder i dicti ducati 2000. da quel cavo over Avogador che havesse contrafato a questa presente parte e dechiaration, & habiano la mita e laltra mita sia del nostro commun: non permetando che alcun de quelli se possa elezer ni provar in alcuna cossa i qual per alcun modo havesse contrafato ala presente parte e dechiaration.

Quum multis haud facile evadat antiquum idioma Venetorum, allegationem ad Latinum sermonem deductam exhibeo.

Ex iis, que afferentur, rationibus nobis videtur, licere Serenissimi Principis preces exaudire in iis, quæ exposcit circa negotium Domini Jacobi.

Primum quia pœna Domino Jacobo Foscari inflicta eum solummodo casum respicit, quando ipse assignatum sibi exilii confine violasset, tunc enim determinata sunt ei tria pœnarum genera, vitæ scilicet, facultatum & præmii occisori propositi, quapropter decretum loquitur, ut de rebus prædictis, & de quacumque prædictarum nulla possit indulgeri gratia; quæ quidem verba intelligenda sunt de pœnis, in quibus incideret excedendo exilii terminos, & de quacumque ipsarum cujusvis ex tribus generibus. Verum cum legi fuerit & sit obsequens in nullam incurrit pœnam, ideoque ea verba: *Quod de prædictis, & aliquo prædictorum non possit fieri gratia &c.* sub pœna & arctis conditionibus non subsistit modo; Eapropter decretum exhiberi potest de confine transferendo & mitigando,

do, prout expoſcit Sereniſſimus Princeps, idque ſine aliqua pœna, quia, ut dictum eſt, pœna reſpicit ſolum illos, qui gratiam indulgere tentarent de pœna, in quam incidiſſet Dominus Jacobus fracto relegationis confine.

Secunda autem ratio ob quam gratia indulgeri poteſt; hæc eſt. Antiquitus in hac urbe nihil aliud in arctis ſententiarum conditionibus proferebatur, niſi, quod non poſſit fieri gratia, & quidem revera hoc verbum continens omnia ſtatuit, quod nulla fieri poſſit imminutio, mitigatio, aut revocatio ſententiæ. Attamen majores noſtri ad miſericordiam proclives in iis caſibus, in quibus vetitum erat gratiam facere, mutato verbo, ut patet; dicebant, ut fieret donum, & imminutio, mitigatio, aut remiſſio, quæ tamen omnia gratiæ ſunt. Idcirco prædicti majores noſtri cenſuerunt, quod donum, imminutio, mitigatio, aut remiſſio nomine gratiæ non appellarentur, ut facultas ita haberetur ad concedendam gratiam. Quum vero ſucceſſores eorum voluiſſent aliquando arctiores conditiones apponere, addiderunt ne fieri poſſit donum nec remiſſio, nec compenſatio &c. & quoties aliquod verbum prætermiſerunt naturam gratiæ referens, res illa concedi poteſt ad exemplum majorum noſtrorum. Quum vero lege ſententiæ cautum non ſit, ne fieri poſſit duæ hæ res, mitigatio aut relaxatio, quæ utique a Sereniſſimo Principe expoſtulantur, ideo ſine pœna concedi poſſunt.

Tertia autem ratione id probatur: Hæc eſt civitatis noſtræ conſuetudo, ut quotieſcumque in lege aliqua, aut ſententia quibuſvis arctioribus conditionibus, & pœnis munita dictum non ſit, quod ipſa lex aut ſententia revocari non poſſit, licuit ſemper cuicumque jus decreti exhibendi habenti, ipſam abſque pœna revocare, uti actum fuit in navi Belgica, quæ iret more advenarum, atque in aliis multis caſibus, qui oſtendi poſſunt. Quum igitur extra dubium ſit, quod quandocumque voluntas eſt ut decretum non revocetur, in calce ipſius additur, quod revocari non poſſit ſub pœna &c. atque hoc modo ſcriptum etiam fuerit in decreto Xviralis Conſilii lato die XIII. Auguſti anno MCCCCLI. ideo quia in decreto ſeu ſententia exilii Domini Jacobi prætermiſſum fuit, quod revocari non poſſit, nulli dubium, quod liceat omnibus jus decreti exhibendi habentibus ipſam abſque pœna revocare.

De-

Demum quarta ratio quæ modum ostendit ut petita concedantur, talis est: Nos hic inferius positum habemus exemplar decreti, cujus virtute aperte, clare, & tute ingredi potest in negotio Domini Jacobi absque ulla oppositionis contrarietate, ut patet.

Pœnæ, quas hoc Consilium in sententia Domini Jacobi Foscari apposuit die XXVI. Martii anno MCCCCLI. ad eos tantummodo extenduntur, qui contra dictam sententiam, aut aliquam ipsius partem agerent, & ad eos quoque qui gratiam indulgerent viris in hujusmodi pœnas lapsis, eo quia dictæ condemnationi adversati fuissent, verum in nullo ipsius sententiæ loco vetitum est, ne ipsa in quacumque sui integritate, & validitate relicta suspendi possit, ipsæque pœnæ antequam in eas incidatur, mitigari possint, sicuti in multis casibus consuetum est agere, utque actum fuit in decreto hujus Consilii lato die XIII. Augusti anno MCCCCLI.

Ideo decretum sit, quod non irritata nec amota, aut revocata in aliqua sui parte dicti Domini Jacobi condemnatione, pœnæ in quas incidere posset quicumque in dicto negotio verba faceret, aut suffragium ferret, suspensæ sint, & exinanitæ authoritate hujus Consilii, atque a die lati hujusce Decreti in antea veluti suspensæ & exinanitæ censeantur.

Et ex nunc declaratum sit, atque statutum, ut illi qui hoc Decretum exhibuerunt, vel pro eo suffragium detulerunt, in nullam pœnam inciderint, quia id quod vigore dicti decreti diei XXVI. Martii MCCCCLI. vetitum non erat, ipso vere intelligitur fuisse concessum. Si autem aliquis ex Capitibus Xviralis Consilii aut aliquis ex Advocatoribus soli, vel conjuncti, præsentes vel futuri per se solos vel cum ipso Consilio quærerent, studerent, tentarentve verbis aut factis agere contra præsens declarationis decretum, ipso facto prædictus vel prædicti intelligantur incidisse in pœnam ducatorum bis mille aureorum, atque in perpetuam expulsionem ab omnibus Consiliis nostris, neque exhiberi possit decretum revocationis, suspensionis, aut mitigationis dictæ pœnæ sub prædicta pœna; unusquisque autem ex Capitibus & Advocatoribus solus vel alii conjunctus ex propria authoritate, & sine Consilio teneantur sub debito juramenti statim & quando eis libuerit, & omni tempore exequi dictam pœnam, & exigere dictos

dictos ducatos bis mille ab illo ex Capitibus seu Advocatoribus, qui contraire huic nostro decreto aut declarationi præsumpsisset, habeatque medietatem pœnæ, altera vero medietas in nostrum Commune deveniat; nec permittat ut aliquis ex illis qui quovis modo contra hoc decretum, & declarationem egissent, eligi aut probari possit in aliquo officio.

F.

Illustri & Magnifico Domino Domino Jacobo Fuscaro filio Serenissimi, & Excellentissimi Domini Domini Ducis Venetiarum ordinis beati Francisci amico, & benefactori devotissimo frater Guglielmus de Casali sacræ Theologiæ Magister, ac ejusdem Ordinis minorum Generalis Minister, ac Servus cum orationum suffragio salutari omnium incrementa virtutum. Quamvis ex charitatis debito omnibus teneamur, illis tamen longius obligamur, quorum dilectionem certis beneficiorum indiciis frequentius experimur. Proinde vestræ devotionis sinceritatem attendens, quam ad nostrum, & præfati Seraphici Patris nostri Francisci geritis Ordinem, uti pia, & veridica fratrum relatione cognovi; dignum putavi, & divinæ acceptabile voluntati, ut ab ipso Ordine prærogativam sentiatis spiritualium gratiarum. Verum quia nudi temporalibus bonis charitatis vestræ subsidiis dignam rependere vicem temporaliter non valemus, spiritualibus tamen beneficiis, prout in nostris apud Deum servamus desideriis, compensare spiritualiter affectamus. Quapropter ego, qui licet indignus curam fratrum minorum, & sororum minorissarum Sanctæ Claræ, seu Sancti Damiani Ordinum habeo generalem. Vos & Serenissimum Principem & Dominum Dominum Genitorem vestrum, ac Serenissimam Dominam Matrem vestram, ac ejus Sororem, & earum spectatissimam Matrem, ac magnificas Sorores vestras, nec non & animas Illustrium condam progenitorum vestrorum, & aliorum defunctorum de illustri domo vestra ad confraternitatem nostram, & universa, & singula nostræ Religionis suffragia in vita recipio pariter & in morte. Plenam vobis, & omnibus prænominatis Missarum, Orationum, Officiorum, Predicationum, Jejuniorum, Elemosina-

finarum, peregrinationum, disciplinarum, vigiliarum, abstinentiarum, devotionum, votorum, observationum, contemplationum, & omnium bonarum operationum participationem tenore præsentium gratiose concedendo, quæ per fratres nostros, & dictorum Ordinum Sorores per universum orbem degentes operari, & acceptare dignabitur Clementia Salvatoris. Addens insuper de dono & gratia singulari, quod cum divinæ placuerit dispositioni de exilio instantis miseriæ vos vocare, vesterque obitus annuente Domino multo tempore differendus nostro fuerit capitulo generali nunciatus, idem volo ut pro vobis fiat officium quod pro fratribus nostris defunctis recitatum ibidem annuatim ex more per totum Ordinem fieri consuevit. Felicissime conservare, & altissime sublimare Rex cunctorum Dominus noster Jesus Christus dignetur vestram magnificam in Domino dilectionem amen. Datum Januæ die decima Octobris. Anno Dominicæ Nativitatis Millesimo Quadringentesimo quadragesimo; placet.

G.

Joannes Dei Gratia Boemiæ & Poloniæ Rex Lucemburgensis Comes Brixiæ Dominus &c. Nobili viro Nicolao Fuscaro honorabili Venetiarum Civi Equiti Consiliario Secretario familiari nostro sincere nobis dilecto salutem cum plenitudine omnis boni. Sonorum laudabilis famæ tuæ præconium, atque devotionis & fidei promptitudo, quam te habere circa exaltationem & augmentum Regii commodi, & honoris didicimus, tibi favorum & gratuitæ dilectionis præmium vendicarunt. Ideoque hujusmodi nostri benevoli affectus signum tuæ devotioni exhibendum censentes, & tam dignum quam laudabile judicantes, ut te præcipuis beneficiis & honoribus prosequamur in militem, consiliarium, & familiarem nostrum, & domesticum domus nostræ, tenore præsentium, te assumimus, ordinamus, & facimus, & nostrorum militum consiliariorum, secretariorum & familiarium numero aggregamus, volentes, statuentes, & decernentes ut omnibus & singulis privilegiis, honoribus, emolumentis, commodis, beneficiis & gratiis potiaris, quibus

cæte-

cæteri noſtri milites conſiliarii ſecretarii & domeſtici potiuntur. In quorum teſtimonium atque robur præſentes conſcribi, & ſigillo Majeſtatis noſtræ communitas juſſimus tibi dari.

Datum Parmæ anno Nativitatis Domini Milleſimo Trecenteſimo trigeſimo primo. Die ultima menſis Aprilis.

Ego Ambroſius Vicarius infraſcriptus inſinuationi, & hujus exempli autenticationi meam authoritatem interpoſui pariter & decretum & me ſubſcripſi.

Ego Bernardus qu. Dom. Petri Judex de Caſelis Notarius & teſtis infraſcriptus Inſinuationi & publicationi præſcriptarum litterarum per infraſcriptum Bartholomæum Pacis coram præſcripto & infraſcripto Domino Vicario factæ præſens fui, & poſt hujuſmodi publicationem exemplar cum hoc exemplo authenticato diligenter auſcultavi, & quia unum ab altero in nullo diferre inveni, de prædicti Domini Vicarii mandato me ſubſcripſi.

Ego Bartholomæus filius ſer Pacis hoſpitis habitator Paduæ in quarterio domi centinario Sancti Tomaſi & Contrata Sancti Joannis a Navibus Sacri Palatii Imperialique authoritate Notarius Regiæ Majeſtatis litteras anteſcriptas in quoddam pergameno conſcriptas ac Regii ſigilli munitione roboratas, in quo quidem ceræ albæ ſigillo cernitur Regis prælibati figura manu enſem tenentis galea ſcutoque equo falerato ſedendis cum litteris circularibus tenoris hujuſmodi: Joannes Dei Gratia Rex Boemiæ ac Lucemburgenſis Comes: ab alia ipſius ſigilli parte Aquilæ quædam cum uno ſcuto & leonibus caudis biſurcatis impreſſis coram diſcreto & ſapienti Viro Domino Ambroſio de Fauſtis de Parma Nobilis & ſapienti viri Domini Joannis Fuſcaro de Venetiis Paduæ honorandi Poteſtatis Vicario legi & publicavi; eaſque lectas & publicatas ejus licentia & mandato tranſcripſi, & exemplavi earumdem in aliqua parte nullatenus tenore mutato, ſed verborum per ſeriem prout in exemplari integro comperii, & non vitiata forma, integralique tenore ſervatis Paduæ in Communi Palatio, & Camera ipſius Domini Vicarii Anno Nativitatis Domini MCCCLII. Indictione V. die Veneris ultima menſis Auguſti præſente Bernardo qu. Dom. Petri Judicis de Caſeis de Contrata

 S. Pe-

S. Petri de Padua dicti Dom. Vicarii ad officium sigilli notario.

H.

Joannes Dei Gratia Bohemiæ ac Poloniæ Bex Lucemburgensis Comes Brixiæ Dominus Vicarius Imperialis Italiæ &c. Universis tam præsentibus quam futuris præsentes litteras inspecturis salutem & affectum benevolum & sincerum. Decet Regiam Celsitudinem ad eos potissime, quos sibi fideles & benevolos recognoscit, extendere dexteram liberalem. Considerantes igitur & scientes magno sanguine experto fidem & dilectionem, & effectivam extimationem, quam Nicolaus Foscarus Sacri Romani Imperii Comes Palatinus, Eques & fidelis intimus Consiliarius noster & Familiaris dilectus ad nostrum gerit Regale culmen cum operibus fructuosis, ac etiam pro servitiis nobis per eum exhibitis & in posterum exhibendis, ad quæ servitia tam de jure quam de consuetudine est astrictus, ac sperantes indubie ipsum & beneficiis erga nos affectuosius animari, concedimus sibi, & hæredibus ejus utriusque sexus tam natis, quam in perpetuum nascituris ex certa scientia quamdam Villam, quæ vocatur Noemia positam in diecesi Paduana, & est mansorum quadraginta, cujus Villæ hi sunt confines: uno capite quoddam flumen, quod vocatur Brenta, alio pons de Gradicis, uno latere Phucigiis, alio via publica.

Item in eadem Diecesi in Villa quæ vocatur Sambrusonio duos mansos.

Item in Diecesi Tarvisina quamdam Villam quæ vocatur Zellarinum, quæ est circa mansos duodecim cujus Villæ hi sunt confines: uno capite Triviglianum, alio Zellum, uno capite Gatta, alio quoddam flumen dictum Marzenegum, salvis aliis coherentiis & confinibus, si qui forent, ipsumque Nicolaum pro se & suis hæredibus utriusque sexus, ut est superius intimatum, de prædictis locis & bonis in feudum honorevolum tenore præsentium investimus, & exinde Nicolaum eumdem pro se suis hæredibus, ut præfertur nostræ Majestatis Sacri Romani Imperii Comitem Palatinum confirmamus. Ita, & taliter, quod de cætero in perpetuum idem Nicolaus, & sui hæredes habeant, teneant, gau-

gaudeant, & possideant suprascripta loca & bona & quodlibet ex eis tamquam feudum honorevolum & comitatum cumomnibus/viis itineribus rivis aquis & aqueductis ac consuetudinibus & singulis juribus & pertinentiis suis. Pro quibus beneficiis & honoribus dicto Nicolao per Majestatem nostram collatis esse debet perpetuo Sacri Romani Imperii Comes Palatinus, & honorevolus Imperii Vassalus, nosque, natos nostros, quam in perpetuum nascituros in suum proprium Dominum præ omnibus aliis Dominis recognovit; nobisque per se & suos hæredes, ut notatur, promisit solemniter ut noster Sacri Romani Imperii Comes Palatinus & Vassalus honorevolus fideliter obedire. Prædicta omnia & singula ex certa scientia, & de nostræ Regiæ plenitudine potestatis perpetuo valere volumus, & inviolabiliter observari; non obstantibus aliquibus statutis, vel ordinamentis Communis Venetiarum, & interpretationibus Judicum, & Hominum Civitatis Paduæ, & maxime statutis, si quæ de hoc loquerentur, seu legibus Canonicis, & civilibus, vel aliis hujusmodi in aliquo derogantibus de quibus plenam, & expressam in præsentibus vel futuris oportebat fieri mentionem, & neque effectus præsentium possit quomodolibet impediri; honore tamen & jure nostris & nostrorum successorum in omnibus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram concessionem, & gratiam infringere vel ausu temerario in aliquo contraire, Quod si fecerit, gravem indignationis nostræ offensam & pœnam, quam infligendam duximus, se noverit incursurum. In cujus rei testimonium præsentes conscribi & sigillo nostro regio communitas jussimus sibi dari.

Datum Brixiæ anno a Nativitate Domini MCCCXXXI.

Die XXI. Mensis Junii.

J. Rex.

Locus sigilli pendentis in cera rubea.

I.

Carolus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex Nobili Joanni qu: Nicolai Fuscari honorabili Militi Venetiarum Consiliario & familiari nostro sincere dilecto Gratiam Regiam, & omne bonum. Sonorum laudabilis famæ tuæ præconium, atque devotionis & fidei promptitudo, quam te habere circa exaltationem & augumentum Regii comodi & honoris didicimus, tibi favorum, & gratuitæ dilectionis præmium vendicarunt. Ideoque nostri hujus benevoli affectus signum tuæ devotionis exhibendum censentes, & tam dignum quam laudabile judicantes, ut te præcipuis beneficiis & honoribus prosequamur in Consiliarium, Segretarium & familiarem & domesticum Aulæ Regiæ tenore præsentium te assumimus, ordinamus, & facimus, & nostrorum Consiliariorum Segretariorum & Familiarum numero aggregamus. Volentes, statuentes & decernentes, ut omnibus & singulis privilegiis honoribus, & emolumentis, & commodis, beneficiis & gratiis potiaris, quibus cæteri Consiliarii nostri, Secretarii, & domestici potiuntur. Præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Ghurgi Anno Domini MCCCLIII. Indictione VI. Die XII. Mensis Octobris Regnorum nostrorum anno VIII.

K.

Nos Episcopi Presbyteri Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Sacrum Collegium Dominorum Cardinalium representantes omnes unanimiter & concorditer nemine discrepante consensimus, & libere vota nostra dedimus ut per Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum Nostrum D. Paulum divina providentia Papam II. promoverentur, & assumerentur in S. R. E. Cardinales Reverendi in Christo Patres & Domini Joannes Archiepiscopus Strigoniensis in Ungaria Petrus Foscarus Venetus Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius Jo:Baptista de Sabellis ejusdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius Federicus de Cluniaco etiam Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius hodie qui est sextusdecimus dies Decembris videlicet

licet sexta feria quattuor temporum 1468.: Inter quos prælatos suprascriptos ipse Sanctissimus Dominus noster post absolutionem vinculi quo tenebatur Ecclesiæ suæ D. Joannes Archiepiscopus Strigoniensis, quem assumpsit in præsbyterum S. R. E. Cardinalem; deinde vero eidem Ecclesiæ de eodem Joanne jam assumpto in Cardinalem providit, eum præficiendo in Patrem Archiepiscopum & Pastorem ipsius Ecclesiæ. Similiter & D. Petrum Protonot. in Præsbyterum S. R. E. assumpsit & Dominos Joannem Baptistam, & Federicum etiam Protonotarios in S. R. E. Cardinales Diaconos assumpsit dispensando cum eis, ut una cum ipsa Ecclesia Strigoniensi D. Joannes præfatus, & cæteri tenere possint, & valeant omnes ipsorum commendas, pensiones, & quæcunque alia beneficia cujuscumque conditionis qualitatis ordinis dignitatis & valoris existant sive in commendam sive in titulum perpetuo & ad vitam ipsorum. Voluit etiam ipse SS. D. N. quod post publicationem eorum super omnibus prædictis cum hac ipsa scedula possint bullas expedire; quam scedulam voluit habere vim supplicationis manu propria Suæ S. Signatæ etiam post obitum ipsius S. D. N. si, quod Deus avertat, accideret ante publicationem fiendam de ipsis Cardinalibus jam assumptis, & quod bullæ bullentur antequam bullæ ferreæ destruantur, & bullentur in præsentia Dominorum Cardinalium. Quam assumptionem voluit S. D. N. quod teneremus secretam, mandando nobis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ & maledictionis æternæ, ne ipsi Cardinales publicentur, nisi quando placuerit ipsi Sanctissimo Domino Nostro, cujus voluntati, & dispositioni libere consensimus, & ut tenemur, promisimus servare etiam jurejurando, & nobis omnibus etiam consentientibus & vota nostra dantibus voluit S. D. N. quod in casu, quo, quod absit, accideret casus mortis suæ immediate, & eodem momento intelligantur ipsi quattuor Cardinales esse publicati, & nos teneamus sub eisdem penis superius nominatis eos publicare, quos etiam ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc recepimus in Cardinales in socios, & in fratres cum omni auctoritate non obstantibus quibuscunque sollemnitatibus in assumptionibus Cardinalium consuetis, quibus

etiam S. D. N. pro hac vice derogavit. Quibus Cardinalibus providit de nostro consilio, & assensu de titulis infrascriptis. Videlicet Joan. de titulo Sanctorum Neræi, & Acchilæi. Petro de titulo Sanctæ Priscæ. Joanni Baptistæ de titulo Sanctæ Mariæ in Aquiro. Federico de titulo Sanctorum Joannis & Pauli. Supplevit etiam ipse S. D. N. si forsitan in suprascriptis omnibus intervenerint aliqui defectus, quibus omnibus pro hac vice auctoritate Apostolica ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, ac de nostro communi consensu & consilio derogat. In quorum omnium fidem, & testimonium & observantiam nos omnes præsentes post subscriptionem S. D. N. Papæ prædicti propriis manibus subscripsimus, & sigillis nostris sigillavimus. Romæ in Palatio Apostolico die supraserito sextæ feriæ quattuor temporum. Videlicet Sextodecimo mensis Decembris 1468.

✠ Ego Paulus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus &c.
✠ Ego B. Episcopus Sabinensis Card. Nicenus &c.
✠ Ego G. Episcopus Hostiensis Card. Rothomag. &c.
✠ Ego Jo: Episcopus Portuenss. Card. S. Angeli &c.
✠ Ego L. Episcopus Tusculanus Card. de Ursinis &c.
✠ Ego Phi. Episcopus Albanensis Card. Bononiens. &c.
✠ Ego E. tit. S. Eusebii Præsbiter Card. Constant. &c.
✠ Ego B. tit. S. Sabinæ Præsb. Card. &c.
✠ Ego N. tit. S. Ceciliæ Presb. Card. &c.
✠ Ego B. tit. S. Clementis Præsb. Card. &c.
✠ Ego Ja. tit. S. Chrisogoni Præsb. Card. &c.
✠ Ego Oliver. tit. SS. Petri & Mariæ Præsb. Card. &c.
✠ Ego A. tit. S. Mariæ in transtiberim Præsb. Card. &c.
✠ Ego M. tit. S. Marci Præsb. Card. &c.
✠ Ego F. tit. S. Petri ad Vincula Præsb. Card. &c.
✠ Ego R. S. Nicolai Diac. Card. & Vicecancell. &c.
✠ Ego F. S. Eustachii Diac. Card. Senens. &c.
✠ Ego F. S. Mariæ Novæ Diac. Card. Mantuanus &c.
✠ Ego T. S. Theodori Diac. Card. Montisferrati &c.
✠ Ego B. S. Mariæ in porticu Diac. Card. &c.
✠ Ego Jo. S. Luciæ Diac. Card. &c.

Copiatum ex originali fideliter 30. Mensis Julii 1471. per me Cardinalem Nicenum.

Hu-

L.

Humiliter ac Reverenter Sanctitati Vestræ supplicatur pro parte Illustrissimi Domini Ducis Venetiarum: ac Illustrissime Ducisse ejus uxoris: & Domine Camille ejus filie: & Illustris Senatoris uxoris: Quod cum in Civitate Venetiarum quamplurime Indulgentie in diversis Ecclesiis ejusdem a summis Pontificibus, & aliis Superioribus ipsarum Ecclesiarum sint indulte, & concesse sint quolibet anno in Consecrationibus prefatarum Ecclesiarum, nec eis fas, aut possibile sit dictas Ecclesias visitare prout decens esset, & consequenter non possunt beneficium, nec fructum dictarum Indulgentiarum consequi, prout optant. Unde hii supplicant, & exorant humiliter, ac devote ad pedes Sanctitatis Vestre, ut ex solita misericordia & Clementia S. V. dignemini de gratia singulari S. P. (*idest supplicantibus prædictis*) concedere, ac indulgere; Quod cum singulis diebus ipsarum indulgentiarum, sollemnitatum, & consecrationum, quibus missam audiverint ad altare consuetum, quod elegerint, easdem indulgentias, ac remissiones ipsi supplicantes consequantur, & beneficium earum obtineant, ac si visitent dictas Ecclesias, quibus Indulgentie prelibate sunt concesse. Et Sanctitatem vestram Altissimus in prospero, ac felici semper conservet, & prosperet pro sua infinita pietate, atque misericordia.

Fiat ut petitur mittantque illud quod altari obtulissent si personaliter visitassent.

Et que hujuscemodi supplicationis simplex signatura sufficiat, absque eo quod littere Apostolice desuper conficiantur, concedere dignemini) Fiat &c.

Ni-

M.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis in Christo Filiabus Nobilibus Mulieribus Mariæ, & Catharinæ dilecti Filii Nobilis viri Jacobi Foscari de Venetiis natis.

Tanta est devotionis, & fidei sinceritas, quam vos & domus vestra ad nos, & Romanam Ecclesiam habere comprobamini, ut vos speciali prerogativa & honore prosequi dignum reputamus. Digne est quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis & vestrum cuilibet ut vestes cum caudis Calceis armillorum, balzorum, zopellorum, & quæcumque alia ornamenta etiam auri & argenti pretiosa, quæ Venetiis ante edictum moderni Episcopi Castellani deferri, & gestari consueverunt, & in futurum gestabuntur qualiacumque, & cujuscumque valoris existant absque alicujus spiritualis vel temporalis pœnæ incursu deferre & gestare libere, & licite valeatis auctoritate Apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus Apostolicis ac Provincialibus & Synodalibus nec non per prefatum, aut alios pro tempore existentes Episcopos editis, & edendis constitutionibus, ordinationibus, mandatis, monitionibus, prohibitionibus, & inhibitionibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data Fabriani Camarinensis Diecesis Anno Incarnationis Domini Millesimo Quingentesimo, Quinquagesimo Idibus.

Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Liceat

Liceat modo, quasi ad coronidem laudum inclyti Ducis Francisci Fuscari pauca verba afferre deprompta ex opusculo Johannis Michaelis Alberti Carrariensis *de omnibus ingeniis augendæ memoriæ ad præstantissimum virum Alovisium Manentem inclyti Venetiarum Senatus Secretarium*, quod quidem opusculum impressum fuit *Bononiæ per Platonem de Benedictis Civem Bononiensem regnante inclyto Principe* D. D. Johanne Bentivolo secundo: Anno Incarnationis Domini MCCCCLXXXXI. die XXIV. Januarij.

Ex Capite primo. *Ut ne huic nostræ ætati invideamus Franciscus Foscari Dux Venetiarum inclytus tanta memoria fuit, ut quæcumque toto sui regni tempore egerit dixeritque, ea, cum esset opportunum, repeteret, hominumque nomina & tempora, quibus ea gerebantur, sine discrimine commemoraret: ejusdem quoque Senatus Senator clarissimus Dominicus Georgio tenacissimam memoriam sapientiæ uberrimæ copulavt. In perorandis enim causis, & multos audire adversarios, & eis ipso rerum ordine servato respondere solet. Cyrus omnes suos milites nominatim appellabat; Mitridates duarum & viginti gentium rex totidem linguis absque interprete & audiebat, & alloquebatur. Cyrum igitur Francisco; Mitridatem Dominico comparemus, & inveniemus habere tempora nostra quo superbiant, nihilque priscis se inferiora putent.*

PARS

PARS SECUNDA

CONTINENS OPUSCULA

DE

ANDREA DONATO EQUITE,

DE

CULTU S. SIMONIS PUERI,

TRIDENTINI MARTYRIS

APUD VENETOS.


DE

ANDREA DONATO

EQUITE

BARTHOLOMÆI

DIVI MARCI PROCURATORIS FILIO.



DE ANDREA DONATO
EQUITE
BARTHOLOMÆI
DIVI MARCI PROCURATORIS FILIO.



Uamquam anteactis sæculis numquam Scriptores defuerint, qui posteritatis utilitati deservierint, eorum hominum memoriam litteris consignando, qui rebus gestis, aut singulari virtute æternam sibi famam promeruere; attamen nostra hac ætate viget in dies magis solers hæc diligentia, cujus ope non solum viri clarissimi, quorum extant laudes & gesta, apud posteros commendantur, sed illi etiam quorum pene aut omnino interierat fama, ab oblivione vindicantur, & documentis antiquissimis in lucem productis magis magisque illustrantur.

Atque hos inter illi mihi præ ceteris seligendi videntur, qui utramque fortunam experti luculentissima nobis exempla dederunt, ut alacri animo & erecto in adversis simus, & mentem ab insolenti temperatam lætitia in secundis cohibeamus. In hoc vitæ genere humanis vicibus, quotquot sunt, obnoxio enituit quam qui maxime Andreas Donatus Eques, vir egregiis animi dotibus ornatissimus, & magnis rebus gestis nemini ætate sua secundus. Amplissima de ejus virtutibus mentio occurrit apud exteros scriptores, quorum aliqui, Ambrosius videlicet Camaldulensis, & Æneas Sylvius Piccolomineus, qui postea Pius II. Pontifex Maximus fuit, dum ille in vivis ageret, in ejus necessitudine, & epistolari commercio magnifice se se efferebant. Memorant tanti viri in re-

 bus

bus gerundis consilia sapientiæ plena, & miram in arduis rebus componendis dexteritatem, præsertim quo tempore Orator pro Venetis apud Eugenium Papam IV. ejusdem Pontificis negotia tum apud Patres Concilii Basileensis, tum apud Sigismundum Cæsarem, & potentiores Italiæ Respublicas summa solertia parique diligentia tractavit.

Consilium itaque cœpi colligendi documenta & memorias, quibus tanti viri nomen incrementa suscipiat, & in futuras ætates, quantum tenuitati meæ fas est, perenne fiat. Nec leves mihi ad id stimulos addidit exemplum, quod feliciter ad meas manus devenit, peculiaris instructonis & mandatorum, quibus Eugenius IV. Andreæ tunc temporis apud Concilium Basileense Veneto Oratori mandavit, ut Ecclesiæ pacem, & Italiæ tranquillitatem Legatus ejusdem Eugenii apud Venetos & Florentinos, atque adeo apud Cæsarem, & Basileense Concilium sollicite promoveret. En igitur quæ de clarissimi viri vita & rebus gestis colligere datum est.

Andreas Venetiis ex nobilissima Donatorum gente circa annum Christi 1395 ortus patrem habuit Bartholomæum Sancti Marci anno 1427 enuntiatum Procuratorem, cujus cura in liberalibus disciplinis rite educatus Majora Comitia ingressus est anno 1413 ætatis suæ XVIII. Quum vero indole, & ingenio præstans magnam sui expectationem excitasset, ad ardua munia in ipsis suæ juventutis exordiis evocatur; anno enim 1417 in Histriam ad tuendas ejus Provinciæ oras Custodiarum Præses mittitur, ac postea anno 1424 in civitate Trapezuntiæ pro Venetis ipsorumque commercio Baili, ut vocant, (Judicis seu Prætoris hoc genus est) officium gessit; deinde vero Thessalonicam Civitatem, quæ non multum antea in Venetorum ditionem venerat, administrandam suscepit circa annum 1430, cui cum præesset, Turcarum exercitus gravi eam obsidione circumvallavit. Quum autem multis Barbarorum copiis impar esset Urbis præsidium, Donatus ipsiusque in munere Collega Paulus Contarenus ipsam in hostium manibus dimiserunt, unde & Venetias appulsi cessionis caussa carceribus addicti fuerunt. Thessalonicæ cladem memorat brevibus verbis Petrus Justinianus Hist. libro VII. *Sub id tempus Thessalonicam Macedoniæ oppidum Turcæ expugnarunt, cui Veneti dominabantur, fuit-*

que

que hæc olim urbs mira nobilitate insignis, sed ætate nostra rerum humanarum vicissitudine infrequens & inhabitabilis pene reddita est. Præcisius rem affert Sabellicus in Hist. Ven. Decade III. lib. I. *Dum hæc in Italia geruntur, primæ quædam scintillæ laboriosissimi belli, quod Veneti post aliquot annos cum Maometho Othomanno potentissimo Turcorum rege terra marique laboriosissime gesserunt, ad Thessalonicam Macedoniæ oppidum emicuerunt. Est ea Urbs in Thermaico sinu posita mira olim nobilitate insignis: ætate nostra ita infrequens ut eam decem barbarorum millia expugnarint: erat tum Venetorum locus: præerantque publicæ administrationi Jaco. Dandulus, & Andreas Donatus; quo media captæ urbis trepidatione elapso, Dandulus in hostium potestatem venit.* Accuratius captæ urbis cladem refert Marinus Sanuto in Chronico Tom. XXII. Rerum Italicarum col. 1008, ubi non Jacobum Dandulum a Sabellico enuntiatum, sed Paulum Contarenum scribit Donati in regimine Collegam; quæstionemque deinde recenset, cui subjecti fuerunt post regressum suum Rectores Thessalonicenses: *Adì* 8 *Aprile s'ebbe nuova della perdita di Salonichi.... Scrive Andrea Donato quondam Ser Bartolomeo* (vox *quondam* indicat Andreæ patrem jam excessisse, qui tamen adhuc in vivis degebat, obiitque die 7 Junii anni insequentis; *ch'era Ducha a Salonichi nostro, e Paolo Contarini il Verzolino Capitano come adì* 13 *Marzo si presentò alle porte di quella terra una grandissima quantità di Turchi, mostrando di voler parlare con Mustafà, ch'era in Salonichi, mostrando d'esser uomini fuggiti dal suo Signor Turco, e di volere stare all'ubbidienza del detto Mustafà, e andato di fuori a parlar loro il detto Mustafà, menò con lui una grande quantità per la via della marina, e gl'altri mostravano di seguitarli. Ma vedendo così i nostri, uscirono fuora, e furono alle mani con loro, e tagliaronne molti a pezzi. E stando alla battaglia sopravenne tanta quantità di Turchi, che i nostri furono costretti a voltare le spalle, e ad entrare dentro la terra, e montar sopra le difese. Ecco venne il gran Turco con innumerabil gente, e subito i Turchi si gittarono nelle fosse, e incominciarono a fare cave sotterra per molte vie. E tuttavia i Turchi davano la battaglia alla Città, e i nostri non s'avvedevano delle cave, ch'eglino facevano, salvochè quando per le dette cave furono dentro de muri, vedendo que' della terra i Turchi essere entrati dentro*

de

de muri, beati que', che potevano fuggire, e gittarsi dentro le tre Galere, che ivi erano nostre, & in alcuni altri Navili; e a questo modo fu presa la nobile Città di Salonichi. E questa terra è stata cagione di fare spendere a Veneziani ducati più di 70000, *& oltre di ciò morti molti notabili uomini, ch' erano ivi. E fu preso tra gl'altri Ser Lionardo Gradenigo, Ser Lorenzo Contarini de Ser Paolo, e alcuni altri. Tamen i Rettori scamparono. Nico Sagredino, ch'era di colà scampò, ma venendo si ruppe in mare, e scrisse il suo naufragio, opera molto degna... I nostri Rettori ch'erano in Salonichi, subito che furono gionti qui furono commessi agl'Avvogadori, e ritenuti furono posti in prigione, e si formò processo contro di loro.*

Concordat Sanuti assertioni in statuendo Andreæ Donati Collega aliud anonymi, sed tamen accurati scriptoris Chronicon, in quo hæc leguntur.

,, Die VII. Aprilis Anno MCCCCXXX. Litteris nuntia-
,, tum est Thessalonicam a Turcis expugnatam, cui præerant
,, Rectorum munere Andreas Donatus, & Paulus Contari-
,, nus. Hoc enimvero damnum gravissimum fuit. Urbem ho-
,, stis vi cœpit plurimis occisis. Rectores in Triremes, quæ
,, aderant dilapsi fuga sibi consuluerunt, cumque Venetias ap-
,, pulissent, carceribus addicti, & Advocatoribus Commu-
,, nis (sic Veneti vocant eos, qui in Romana Republica Tri-
,, buni Plebis erant) commissi fuerunt. Thessalonicam per
,, quinquennium Veneti tenuere, quo tempore ex ærario pu-
,, blico impensæ ad argenteos nummos septuaginta mille
,, ascenderunt.

Adi 7 *April* 1430. *Vennero lettere come il Turco prese Salonichi essendo Rettori in quel luogo s. Andrea Donado, e s. Polo Contarini e fu un gran danno. Lo qual lui prese per forza con occision d'infiniti. Li Rettori scamparono sopra le Galie ch' erano lì, e zonti a Venetia furono commessi all'Officio dell' Avogaria de Commun, e posti in preson. La detta Città di Salonichi era sta tenuta anni* 5 *con grandissima spesa di più di* 70000 *ducati.*

Dies qua a Turcarum exercitu obsidione circumvallata fuit Thessalonica nobis innotescit ex alio ms. Chronico, quod ex Nobilium, ad quos devenit, familiæ nomine, inscribitur *Chronica Veniera*, de qua erudite agit in Libro

Libro *della Litteratura Veneziana* Clar. Vir Marcus Fuſcarenus Procurator pag. 144. nota 114. Chronicon hoc ab Antonio Donato Equite Andreæ Equitis, de quo agimus, filio concinnatam fuiſſe autumat vir eruditiſſ. Apoſtolus Zenus in Proemio ad Venetam Marci Antonij Sabellici Hiſtoriam, eo præſertim indicio ductus, quod Chronici author Andreæ Equitis, atque Antonii pariter Equitis ejus filii illuſtria geſta accuratius recenſeat. Quidquid autem ſit de probabili cæteroquin conjectura, durum eſt credere opus adeo humile & impollitum ex Antonii Donati Equitis viri doctiſſimi calamo prodiiſſe. Proſero Chronici verba.

Del 1430. *adi* 11. *Marzo il Campo del gran Turco ſe appreſento alla Citta de Salonichi cum grandiſſimo exercito, e quella combatte, e delli de gran battaglie in modo che i Griegi, e tutta quella zente che erano dentro, non potero reſiſter a tanta multitudine di canaglia Turcheſca, & have la detta Citta per forza de battaglia, e queili Veneziani che poteno fuzir ſcampo ſuxo le galie della Signoria, che ſe trovavano nel porto cum altri navilij de Candia, e de lochi della Signoria. E ſer Andrea Donado e ſer Polo Contarini i quali erano Rettori nel ditto loco ſubito zonti a Venezia furono intromeſſi per li Avogadori de Commun & poſti in prexon, quello che ſegui de li ditti ſe farà mention in uno altro loco, & queſto caxo fu commeſſo per la Signoria a ditti Avogadori.*

„ Anno MCCCCXXX. die XI. Martii. Exercitus Turcici Regis ingentes copias ex adverſo Theſſalonicæ civitatis diſpoſuit, eamque valida obſidione cingens gravibus adeo præliis afflixit, ut Græci, & univerſi ejuſdem urbis habitatores ſuſtinendis barbaræ multitudinis conatibus impares cedere tandem coacti fuerint, ipſa urbe armorum vi a Turcis ſubacta. Veneti, quotquot potuerunt, fuga elapſi ad ſuas triremes aliaſque & Cretæ & aliorum Venetæ ditionis locorum naves confugerunt. Andreas autem Donatus & Paulus Contarenus Rectores Urbis, ſtatim ac Venetias acceſſerunt per Advocatores Communis in judicium deducti, & carceribus addicti fuerunt. Quid inde hac in re evenerit, alio loco narrabitur. (*Promiſſis hiſce non ſtetit Chronologus, ſiquidem nullum deinde de negotio hoc*

„ *ver-*

„ *verbum protulit*.) Quæstio hæc a dominio remissa fuit ipsis
„ Advocatoribus Communis.

Concordat Venetis hisce scriptoribus Raynaldus in annalib. Ecclesiast. qui ad annum 1430. num. 8. cladem Thessalonicæ refert his verbis: „ Turcici belli molles in
„ Thessalonicam versa est; perlatæ enim trigesima Aprilis
„ litteræ fuerunt, Mustapham Turcarum in Europa princi-
„ pem castra apud Thessalonicam undecima martii posuisse,
„ ac plura submisisse agmina, qua mare urbs spectat: quæ
„ cum vi irrumpere in urbem pararent, post atrocissimum
„ certamen magna ex parte ferro cæsa; recentioribus vero suc-
„ cedentibus turmis succubuisse Christianos, urbeque pluri-
„ bus ad Venetas triremes fugientibus hostes potitos, septimo
„ post anno, ex quo Veneti illam adversus Turcarum vim
„ defendendam susceperant. Porro Andreas Donatus & Pau-
„ lus Contarenus Thessalonicæ præfecti ob rem male gestam
„ in vincula Venetiis conjecti fuerunt.

Hæc autem sive nostratum, sive externorum scriptorum fragmenta idem omnino enarrantia attuli, ut ex repetitis testibus diluatur focordiæ labes, quam Andreæ impingit recentior quidam, laudatissimus cæteroquin Historicus asserens ipsum turpissime munitam urbem Turcis primo impetu invadentibus concessisse, in quo non solum, sed in apponendo etiam Andreæ agnomine, (quem Dandulum vocat) errasse cognoscitur. Et quidem quamvis pro severiori illorum temporum disciplina Andreas deperditæ civitatis Rector carceri, & quæstioni addictus fuerit, tamen brevi tempore ab illata sibi ignaviæ culpa se purgavit; siquidem anno insequenti 1431. Liniaco arci tunc temporis munitissimæ in difficillimi belli periculis præficitur, qua sibi demandata custodia expeditus, in patriam redux, quum conjugem suam Viti de Canale Senatoris amplissimi filiam, quam anno 1413. duxerat sibi morte ereptam doluisset; Camillam Francisci Foscari Ducis Venetiarum filiam anno 1432. matrimonio sibi copulavit. Quamvis autem Andream Francisci Ducis *Generum* ob contractas cum filia nuptias Æneas Sylvius, aliique scriptores concorditer appellent, Ambrosius tamen Camaldolensis in suo Hodæporico pag. 31. ipsum ducis *cognatum* vocat sic scribens: *Ipsum* (Franciscum Foscarum Ducem) *intra cubicu-*

bicu-

biculum adire, & colloqui placuit, ubi accepti humanitate summa illi, quæ compereramus, & utriusque Monasterii (sui Camaldulensis Ordinis in Venetis æstuariis positi) *statum expressimus, ut si quando placuisset aliud, non esset ignarus nostræ sententiæ. Gratissime pollicitus numquam se nobis defuturum. Offendimus cognatum suum Andream Donatum antiquum amicum nostrum, a quo item grate excepti, Duci vale fecimus.* Quanta autem benevolentia Andream prosecutus fuerit Ambrosius, argumento sint ipsius epistolæ, quas Tom. III. Amplissimæ Collectionis publici juris fecit Edmundus Martene; in epistola enim X. libri I. ad Eugenium Papam IV. data Andreæ cum laude meminit, cujus itidem mentionem attulit in epist. IV. & VII. lib. IV. ad Placidum Eugenii Pontificis cubicularium missis. Sed & aliam eidem Andreæ Donato Equiti Veneto inscriptam Epistolam dedit Ambrosius, quæ est XI. libri XIV. ipsum *orans*, ut litteras supralaudati Eugenii Pontificis ad Albertum Austriæ Ducem scriptas *mittendas curet mature ac diligentissime.*

Igitur cum in tot internis Reipublicæ muniis egregia prudentiæ suæ argumenta protulisset Andreas, P. C. suffragiis ad Eugenium IV. Pontificem Maximum bellicis Italiæ perturbationibus implexum gravique Basileensium Patrum seditione afflictum Orator mittitur, quo in munere quanta dexteritate, & agendi efficacia usus sit, Pontificia ipsius Eugenii, atque Imperialia Sigismundi Cæsaris mox afferenda diplomata manifestant. Anno enim 1433 cum *ad partes Italiæ* Sigismundus Imperator electus accessisset *coronam sacri Imperii de manibus Eugenii IV. Summi Pontificis recepturus, nonnullæque difficultates, prout tempora illa ferebant* exortæ essent, *propter quas* statuta *coronatio protrahi videbatur in longum; opera & industria* Andreæ tunc Venetorum Legati *actum* est, *ut sublatis impedimentis, & plena, & perfecta concordia* inter Pontificem & Cæsarem firmata, ipse Imperator Romam ingrederetur. Ubi *honorifice susceptus coronaque Imperiali accepta, tandem multa salubria pro statu Ecclesiæ tam cum* Eugenio *Pontifice, quam cum nonnullis Italiæ Principibus, studio* ipsius Andreæ, *& sollicitudine intervenientibus, & præcipue* cum Veneta Republica *cujus tunc* Andreas *Orator erat, opportune disposuit.* Ut autem *aliquem* suscepti *pro Ecclesia &*

 Im-

Imperio laboris *fructum* ipse suis manibus Veneto Oratori retribueret Imperator *in Urbe Roma præsentibus Summo Pontifice, S. R. E. Cardinalibus, necnon Principibus & Prælatis in multitudine copiosa* Andream *in militem* creavit, ipsumque *solemniter in Consiliarium & Familiarem Nobilem* assumpsit, *aureosque insuper sexcentos pro annuali* salario de Camera *assignavit, & dari præcepit, quousque viveret in humanis*. Hanc aurati equitis dignitatem Andreæ Veneto Oratori a Sigismundo Cæsare collatam fuisse in ipsa suæ coronationis solemni die non obscure arguitur ex Historici Platinæ testimonio, qui in vita Eugenii IV scribit Sigismundum Imperatorem *ultima Maii die*, in quam incidit eo anno festum Pentecostes, insignibus Augustalibus a Pontifice exornatum, peracta pompa plures auratos equites, ex Itala & Germana nationibus creasse. Idipsum retulit Raynaldus in Annalibus Ecclesiast. ad annum 1433, sed & Pogius illustris Historicus Florentinus in epistola, quam ad Nicolaum Nicoli doctissimum virum & amicum suum Roma misit Pridie Nonas Junii, (ejusdem ut verisimile est credere anni) scribit Imperatorem *mitratum coronatumque ad Basilicam Lateranensem abiisse inter populi lætantis varios plausus* post coronationem suam. *Supra pontem autem cum transiret descendens ex equo quamplures strenuos viros atque adolescentes militaribus insigniis donavit.* Pogii epistolam, quæ inter ipsius editas minime reperitur, neque alibi editam putamus, cum integra festivæ coronationis solemnia enarret, hoc loco gratam confidens me erudito Lectori rem allaturum, in lucem profero ex mss. codice Venetæ Fratrum Prædicatorum de Observantia Bibliothecæ depromptam.

* Pogius Nicolao suo V.S. salutem plenariam dicit. Quamvis sciam mi Nicolae non admodum probari tibi hæc nostri temporis facta referenti, ut opinor, animum ad illa priscorum virorum gesta magnifica quidem atque omni laude digna, tamen recentiora etiam minime tibi arbitror contempnenda ea præsertim, quæ perraro, & cum aliqua extimatione nominis ac rerum dignitate fieri solent sunt quippe permaximi judicanda illa quæ legimus, quæ admirari citius quantum imitari nostri homines possunt, sed tamen non nihil ad eorum dignitatem, atque amplitudinem Scriptorum inge-

ingenia contulere, qui etiam parva quædam ita luculenter describunt, ut habeantur pro maximis. Nostra vero, & nosipsi spernimus ea, quæ verbis atque indignatione insectamur. Et si qua aguntur memoria digna scriptorum inopia abolescunt, ut non tam sua culpa, quantum nostro vitio parva, ac ridicula videantur. Verum sentiant exteri, quod nolunt, ego parvis istis, quæ dantur, quæque longo intervallo temporum videmus. Delector si quando contingat aliquam nobis in ipsis pristinæ imaginem gloriæ repræsentari. Qua in re duplici fruor voluptate. Altera tenens, quæ oblectant oculos, cum sint procul ab usu nostro remota, altera complectens cogitatione superiora illa, quæ legendo admiramur. Referam tibi igitur adventum Cæsaris nostri Sigismundi ad Urbem, ejusque coronationem, ut tu quoque inter legendum anotata mente a curis privatis, quibus te aliquando augi necesse est aliqua mecum fruaris, voluptate audiens ea, quæ paucissimi ætatis nostræ viri meminerunt. Te vero vellim, ut ommissa acri illa censura, qua præsentibus in rebus uti soles si reliqua displiceant, vel saltem me confabulantem patienter auscultes. Qua die Cæsar in Urbem introiit. Ingressus est autem Ascensionis Domini Die, & ea porta secundum antiquas cerimonias, quæ est pene sepulcrum Adriani Imperatoris omnis populi multitudo viri pariter ac mulieres se conspiciendum, qua iter facturus erat effudit Urbs Roma in XIII Regiones nunc descripta est paulo minore hominum numero quam olim fuit cum erat in XIIII destributa regiones quaslibet annis singulis deputantur electi ex ordine equestri adolescentes octo ad celebrandos publicos ludos, qui se equos quam veste varia contenti personatique diversam pompam ludorum ducunt. Hii reliqui, qui etiam solepnium sacrorum ludis de more adesse consueverunt Regem præcedere, diemque festum egere jussi sunt, preibant ergo Regem primum omnium varii generis longo ordine impedimenta partim ad cultum corporis partim ad usum militarem accomodata sequebatur equestrium virorum ingens numerus tum civium tum peregrinorum, qui sibi extra Urbem obviam ierant, tum diversæ Regum Principumque ac populorum legationes, in quibus, & Greci Imperatoris Oratores erat attrahentes in se, ora, atque

 ocu-

oculos omnium admiratione quadam tum propter vestimentorum novitatem capitisque mira quædam integumenta tum vero Comarum barbarumque prolixitate his intermixti procedebant proceres permulti, qui variis ex locis ad hanc celebritatem convenerant. Jubilat deinceps tubicinium, & tibicinium turba multique præterea vario sonorum strepitu aures astantium replentes post hos aderant, quos retuli ex singulis regionibus instituiti ad ludos seritia quædam vexilla tenentes manibus, & ipsi ornatu suo insignes succedebant dehinc Magistratus omnes, & qui publico aliquo officio funguntur suo quoque habitu nonnulli vero & aurea veste qua equos quoque contexerant, quem ipsi priscum esse habitum asseverant. Pone subsequebatur pedestrium agmen partim gestantium olivarum ramos partim eas, quas ipsi facolas nominant licet res hæc sit moris vetustissimi cum & marenbus triumphalibus coram Imperatoribus, & aliis in locis ante consules inter falces deferri solitas vetustissime sculpture testentur, quas cum ipsi manibus simul ad numerum moverunt festivam ac popularem quamdam prebent ac tintunabulorum sonitu alacritatem. Procedebat hos, qui pascis Imperatoribus mos fuit egregius adolasèens veste purpurea atque aurea cesarie argenteos nummos populo spargens insuetum spectaculum, sed imperatorio munere dignum. Postremi Sacerdotes antecedebant Regem canentes hymnos. Ipse demum Cæsar albo vehebatur equo sub aureo pallio, quod nobiliores deauratis hastilibus deferebant cæteris spectaculis excellentior. Est enim aspectu perhumanus ridenti similis facie hillari, ac liberali, barba fulcana ac promissa ea inest in cultu comitas ac majestas, ut qui illum ignorarent ipso conspectu, & oris egregia specie cæterorum Regem opinarentur. Post cum secuti sunt equites armati nostrates ex hiis quibus Pontifex Maximus stipendium prebet. Hoc comitatu ad Ecclesiam Beati Petri gradibus Templi ante porticus exterioris fores exceptus est inter dissonas plaudentium, ac tumultuantium diversarum gentium voces. Inde cum ad supremum altare una profecti essent peracta solemni Missa alter ad destinatum, alter solitum Palatium divertit. Habes introitum mi Nicolae. Nunc vero coronationem accipe, quæ in festo Pentecostes pridie Calen-

Calendas Iunii subsecuta est. Scio morem hunc Imperatoris coronandi, qui nnnc servatur non esse priscum, sed initium sumpsisse olim a Karolo Magno Francorum Rege, qui cum Constantinus cum Leone filio apud Græcos imperarent, atque ipse, reliquique jamdudum antea Imperatores Italiam undique bellis confractam. Tunc vero a Longobardis gente aspera feraque huic a mauris oppressam omnique præsidio destitutam, & pene exinanitam reliquissent. Urbs autem in extremis pene esset difficultatibus. Vocatus a Stephano Romano Pontifice in subsidium Urbis; devicto Desiderio Longobardorum Rege Barbarisque subactis a populo Romano ob ejus merita Imperator appellatus atque ab Adriano Pontifice coronatus est, quæ observata a posteris coronandi consuetudo ad nostram usque ætatem descendit. Priscis autem Imperatoribus, ut nosti lauream in triumphis coronam gestare mos erat concessa omnem a Senatu triumphandi potestatem, & jus laureæ coronæ deferrendæ tributum erat triumphantium insigne. Primo Cæsari dictatori licentia coronæ laureæ perpetuo gestandæ concessum extitit a Senatu qua postmodum reliqui Imperatores pro libidine usi sunt contempta Superiorum auctoritate. Verum quoniam mos ille absolevit omnino, nec solum ex usu sed ex memoria quoque hominum abiit. Hunc recentiorem per septingentos ferme annos servatum antiquum esse arbitremur, atque abiicientes illa, quæ jam usus explosit sequamur, quæ a nostris majoribus religiose instituta, & ad nos usque tradu&ta consensus Christifidelium comprobavit nostri Imperatores cum eliguntur ante consecrationem, coronationemque Romanorum Reges appellantur perverso vocabulo quasi pluris extimandum videatur Imperatorium quam regium nomen. At vero prisci Romani post expulsum Tarquinium Superbum ob odium Regum nomen regium funditus sustulerunt Senatus consulto statuentes ne quem deinceps regem in Urbe esse liceret cum Imperatores permulti quot animus re bene atque feliciter adversus hostes gesta a militibus honoris causa appellarentur, unde & inter cæteros ætatis suæ Principes civitatis Marcus Tullius C. in Asia est a militibus dictus Imperator. Julius autem Cæsar cum sæpius post partam victoriam esset Imperator ab exercitu appellatus non im-

impetratorium, aut regium, sed dictatoris nomen usurpavit tantum sibi odium Regis nomen in Urbe contraxerat. Cum autem cuperet Regis nomen vereretur autem popöli indignationem molitus expeditionem in Parthos, atque asserens in libris Sibilinis contineri, non nisi a Rege Parthos superari posse, se regem dici procuravit, quod maturandæ mortis suæ causam præbuit conjuratis. Nullus autem sequentium Imperatorum se Regem Romanorum dicere ausus est. Imperatoris vero appellatio perpetua Cæsaris non erat sicuti neque Consulis, nec Prætoris, nec Tribuni plebis. Nam & priores illi Augusti tum Cesaris, & Augusti . . . . nomine continuo uterentur vario numero invenimus appellatos Imperatores, Consules, Tribunos plebis dignitatis enim non offitii nomen id fuit nam re prospere adversus hostes gesta mos erat honoris gratia Consules, Proconsules, Prætores & salutari & dici a militibus Imperatores. A quo autem primum hæc nova tum Regis, tum Imperatoris nominandi consuetudo desulxerit ignoro. Extimo autem hoc a barbaris derivasse, qui cum priscas historias ignorarent, neque verborum vim tenerent, esset autem frequentius apud eos Reges nomen, utpote sub regibus viventes Imperatorem vero amicum & rarum viderent id excellentius arbitrati sunt, quod rarius atque insuetius conspiciebant. Utrumque tamen hoc adoleverit, id plane constat non satis iste hanc appellationem a posterioribus introductam verum ineptissimus ego, qui hæc auribus doctissimi hominis refricare ausus sim. Cum dies coronationis advenisset ingressus interiorem Ecclesiæ porticum Cæsar ante Portam, quæ dicitur argenteam juramentum quoddam Pontifici præstitit de more superiorum, tum profectus in Templum superius pone majus altare ad dexteram partem assistens in qua more Diaconi indutus ab Episcopo Hostiensi sacro oleo inunctus est. Hinc existimo Augustini nomen olim descendisse loca ut sis augurio augusta antiqui appellabant, quod nomen tamquam sanctum a Senatu indictum est Octaviano hac observatione, & nostri quoque Imperatores post consecrationem Augusti vocabantur. Post hæc ad Pontificem celebrantem ad Altare accessit, a quo osculo exceptus interque celebrandum primum alba mitra capiti imposita, ita ut cornua ejus ad tempora eriperentur aurea

rea desuper corona coronatus est. Tum vero aureum pomum septrum ensemque nudum ei Pontifex tradidit, tamquam Christi militi qui armis si opus esset ad Romanorum Ecclesiam., & Christi fidem tuendam defendendamque susciperet paratis ex more solempniis pluviali veste indutus est inde tum Pontifex tum Imperator equos ascendentes una versus Pontem Adriani proficiscunt. Consueverunt Superiores Imperatores olim usque ad loci frena Pontifici pedibus iter facere, quod ne iste servaret. Podagra prohibitus est. Cum vero constitissent ad sepulcrum Adriani Pontifex domum rediit. Imperator ita ut descenderat mitratus coronatusque cum veste Sacerdotali ad Basilicam Lateranensem abiit inter populi letantes varios plusus. Supra pontem autem cum transiret descendens ex equo quamplures strenuos viros atque adolescentes militantibus insigniis donavit. Iis rebus universa civitas ad summam hillaritatem effusa est ad diei tum festi pulchritudinem & hiis omnium quos unquam viderim celeberrimus. Urbi illuxit, qui ut gaudium summum attulit. Ita oro, ut pacem secum, concordiamque importet. Valle, mi Nicolae, & si longior fui, ne mireris ociosus enim sum tecum loquor libentissime. Tu vero responde cum libet. Romæ Pridie Nonas Junii. Valle.*

Verum Sanutus in Chronico ad alia tempora equestrem Andreæ dignitatem alligat, asserens ipsum creatum a Sigismundo equitem fuisse post delatos Cæsari Reipublicæ Venetæ jussu X mille aureos, de quibus mox dicendum erit.

Andreæ Donati Veneti Oratoris ac militis meminit proinde Eugenius Papa in epistola non multo post ad Franciscum Foscarum Venetiarum Ducem missa, asserens Sigismundum Imperatorem adstante inter alios *Andrea Donato milite Oratore* multa verba in ipsius Pontificis laudem protulisse, ut refert fuse Raynaldus ad annum 1433 num. 19.

Porro Andream a Sigismundo Romæ creatum equitem recenset ms. Chronicon *Venerium* nuncupatum his verbis.

Adi 7 Zugno venne nova alla Signoria come l'Imperator Sigismondo Re d'Ungaria era andato verso Roma cum cavalli 400 per incoronarse el di dello Spirito Santo che sera adi XXX. di questo, e quello haver fatto bona triegua cum questa Signoria per anni cinque cum la qual è molto reconciliado & cum la

Gesia

Gesta Romana. Et fece ser Andrea Donado, che era Ambasador della Signoria Cavalier.

„ Die VII. Junii nuntiatum fuit dominio Sigismundum
„ Imperatorem Hungariæ Regem Romam petiisse CCCC.
„ equitibus stipatum ut coronam Imperii acciperet die Pen-
„ tecostes hujus mensis XXX. induciasque sincere pepigisse
„ ad quinquennium cum hoc Dominio, cum quo & cum
„ Ecclesia Romana pariter in amicitias rediit, creavitque
„ equitem Andream Donatum Reipublicæ Oratorem.

Virum inter Venetos clarissimum & a Sigismundo Cæsare militem creatum memorat Andream Donatum Æneas Sylvius Piccolomineus in vita Francisci Foscari Ducis ms. a se concinnata, quæ exstat in Bibliotheca Vatic. *Magnus* ait, *vir apud eum* Franciscum Ducem, *est Andreas Donato, quem Veneti sæpe in Legationibus fatigant, illum enim Sigismundus militem creavit, apud quem sæpe fuit.*

Solemnem Andreæ legationem & conciliatum cum Venetis Sigismundum effert in funebri, quam de Francisco Foscaro Duce habuit oratione Bernardus Justinianus, cujus hæc sunt verba „ Cum enim Sigismundus Hungariæ Rex Phi-
„ lippi (Mediolanensis Ducis) precibus descendisset in Ita-
„ liam coronarum nomine iratus maxime partibus nostris
„ gallicasque nationes concitasset adversus Eugenium Pontifi-
„ cem civem nostrum: congregavit eodem tempore adniten-
„ te maxime Philippo Concilium apud Basileam: eo consi-
„ lio ut Pontificem si possit: deponat: magnas nonnulli
„ spes: amplissima sacerdotia animo proposuerat cum autem
„ Franciscus videret hæc hostium consilia quantumque peri-
„ culi tum Eugenii & ecclesiæ rebus: tum nostris etiam im-
„ mineret: statuit & ipse novis occurrere remediis mittitur
„ ex sententia illius legatus ad Eugenium & Sigismundum
„ Andreas Donatus Francisci Gener: cum mandatis: ita
„ quidem sapienter excogitatis, & ad id quod tempora po-
„ scebant ut paucis diebus ex diuturnis: inveteratisque cum
„ illa gente odiis: pax societasque coiret Sigismundus qui
„ venerat infestissimus: amicissimus rediret in Germaniam:
„ qui Philippi partes fovisset: odium vel maximum adver-
„ sus cum verteret Basiliense Concilium adversus contra
„ Eugenium concitatum: ita gubernaret ut omnia pro Ponti-

tifi-

„ tificis : proque vestra dignitate componeret .
Eodem coronati Cæsaris anno Andreas Venetias rediit Eugenii Pontificis & Sigismundi Imperatoris sibi commissa negotia P. C. delaturus; quum inimice enim prius cum Venetis ageret Sigismundus, adeo Andreæ Donati suavitate & prudentia captus est, ut eo tempore in pacem cum ipsis reversus magna deinde Rempublicam benevolentia prosequi cæperit, cujus etiam munus accepit X. aureorum millia, queis instructus Basileense iter ad promovendam Ecclesiæ pacem instituit. Rem addiscimus ex ms. antiquo Chronico, in quo hæc leguntur.

Adi 21 Zugno 1433 Zonse a Venetia Mis. Andrea Donado Cavalier Zenero de Mis. lo Dose il qual venne mandato da Papa Eugenio IV. e da Sigismondo Imperator e Re d'Ongaria il quale si ritrovava Ambasciator della Signoria appresso detto Imperator (non apud Cæsarem, sed apud Pontificem eo tempore Legationis munere fungebatur) *a riferir per nome di detti Signori molte cose. Il qual Mis. Andrea si portò per modo con detto Sigismondo che l'ebbe tanto grato, che si come l'era inimico della Signoria, così per li portamenti del detto Mis. Andrea il diventò amicissimo, & partialissimo; lo qual esposto quello che gli fu commesso hebbe la risposta, e tornò da detti Signori.*

Et paulo post

Habbiando referido Mis. Andrea Donado in la sua relation per nome di Sigismondo Imperator che il detto Imperator pregava la Signoria volesse prestargli ducati dieci milla, perchè lui voleva andar in Basilea al Concilio a favor di Papa Eugenio, e delle cose della Signoria. Parve alla Signoria di compiacerlo, e così per detto mis. Andrea gli furono mandati ducati diese mille, e fu ben fatto, perchè fu causa, che lui non solamente si fece amico, ma svisceratissimo partial di questo Stado.

Adi 3 Agosto 1433 fu delibera nel Conseglio di Pregadi visto quanta benevolentia havea mostrà Sigismondo Imperador, e Re d'Ongaria verso la Signoria di mandar 12 solenni Ambasciatori per honorarlo, & ad offerirgli ciò che avesse bisogno ad ogni suo comodo. Gl' Ambasciatori furono

S. Andrea Mocenigo qu. s. Francesco.
S. Ambroso Badoer qu. s. Alban Procurator.

S. Alvise Storlado.
S. Zuanne Zustiniano Cavalier
S. Zuanne Contarini Cavalier
S. Cristofolo Donado
S. Zuanne Corner da S. Luca
S. Marco Zen Cavalier
S. Zuane Gradenigo
S. Francesco Barbaro Dottor
S. Tomà Michiel
S. Antonio Venier Cavalier

Li quali portarono ducati diese mille a donar all'Imperator.

„ Die XXI. Junii anno MCCCCXXXIII. Venetias accessit Dom. Andreas Donatus Eques Gener Dom. Ducis missus ab Eugenio Papa IV. atque a Sigismundo Imperatore & Rege Hungariæ; qui Andreas Orator erat pro Veneta Republica apud dictum Imperatorem,* (*verius apud Eugenium Pontificem*) ut multa eorum Principum nomine Senatui renuntiaret. Hic Dominus Andreas adeo sapienter apud ipsum Imperatorem se gessit, adeoque ipsius sibi comeruit amorem, ut qui prius Venetis erat infensus, eos postea ipsius Andreæ intuitu amore favoreque prosequeretur. Expositis igitur sibi mandatis; ad viros Principes rediit a quibus fuerat missus. Quum in sua enarratione retulisset Dom. Andreas Donatus Sigismundi Imperatoris nomine, ipsum apud Senatum instare, ut sibi mutui concederentur nummi argentei decem mille, statuerat enim ad Concilium Basileæ se conferre, ut Eugenii Papæ Venetorumque res patrocinaretur: Assenserunt P. C. utque ipse Dom. Andreas X mille argenteos Cæsari deferret, decreverunt; & prudenti sane consilio, ea enim de caussa, & Venetos deinde dilexit, & ipsorum res intimo juvit favore.

„ Die III. Augusti anno MCCCCXXXIII. Quum accepissent P. C. quanta benevolentia erga Dominium Venetum se gessisset Sigismundus Imperator Hungariæ Rex, solemnem XII. virorum legationem honoris caussa decreverunt, ut ei omnem Senatus operam ad ipsius utilitates offerrent. Oratores fuerunt

„ Andreas Mocenico Francisci filius.
„ Ambrosius Baduarius Albani Procuratoris filius.

„ Aloy-

„ Aloysius Storlado

„ Joannes Justinianus Eques.

„ Joannes Contarenus Eques.

„ Christophorus Donatus *adde ex Sanuto de confinio S. Pauli*.

„ Joannes Cornelius de confinio S. Lucæ.

„ Marcus Zenus Eques.

„ Joannes Gradonicus.

„ Franciscus Barbarus Doctor *adde ex Sanuto &* „ *Eques*.

„ Thomas Michaelius.

„ Antonius Venerius Eques.

„ Qui Imperatori decem millia argenteorum (*aureorum mavult Sanutus*) publicum munus detulerunt.

Non tamen per adeo ingentem Oratorum numerum, sed per unicum Andream Donatum delatam fuisse Cæsari publico nomine pecuniam scribit Sanutus in citato chronico, ubi & nummos clare exprimit aureos fuisse.

In questo tempo (idest circa initia mensis Julii anni 1433) *fu mandato a dire alla Signoria da parte del Imperador Sigismondo per Andrea Donato Orator nostro, ch' egli pregava la Signoria che il volesse servire di ducati* 10000 *d'oro, imperocchè senza quelli egli non poteva andare al Concilio di Basilea per sostenere Papa Eugenio Quarto. Onde fu preso in Pregadi di mandargli i detti ducati* 10000 *i quali portò il detto Andrea Donato il quale fu fatto da lui Cavaliere. Adi* 3 *di Agosto fu preso d'eleggere dodici Gentiluomini, i quali vadano incontro al detto Imperatore, ed accompagnarlo per le nostre terre. E così furono eletti i nominati qui sotto. I quali andarono ben vestiti, e con molti giovani Gentiluomini molto bene in punto e con nobile compagnia e famiglia. I nomi degl'Oratori furono* &c. ii. scilicet, quos superius recensui ex Chron. ms.

Solemnis hujusce Legationis, atque ampli Oratorum numeri mentionem habuit Sigismundus Imperator in epistola, quam Mantuæ dedit ad Basileensis Synodi Patres die XXVI Septembris anno 1433, in qua se de rebus ad Concilii negotia spectantibus egisse significat cum *Oratoribus Venetorum*, qui in notabili numero & apparatu apud ipsum erant. Integra Cæsaris epistola legitur edita in Tomo VIII. pag. 639

c 2 Am-

Amplif. Collectionis veterum Script. & Monum. a Martene & Durand vulgata.

Sequitur deinde Sanutus post pronuntiatas nonnullas alias res ad ea tempora spectantes: *A 18 del detto mese* (scilicet Novembris) *giunse in questa terra Andrea Donato il Cavalier, che viene Ambasciatore dal Concilio di Basilea. E porto i Capitoli, i quali furono pel detto nel Consiglio di Pregadi manifestati. E adi 20 fu preso ch' egli ritorni al detto Concilio per andare da parte del Concilio all'Imperadore Sigismondo. E i detti Capitoli furono confermati. Il quale subito titornò in Basilea, dove egli era aspettato con grandissimo gaudio. Ancora fu eletto in questo giorno Oratore al Concilio di Basilea Federigo Contarini che accettò e andò.*

Accuratius hæc eadem effert Chronicon mf. in quo legitur.

Adi 3 Settembrio 1433 Mis. Andrea Donado Cavalier Zenero de Mis. lo Dose fu fatto Ambasciator al Concilio di Basilea il quale poi venne a Venezia adi 18 Novembre con diversi Capitoli, li quali havevano bisogno di dichiaration, e sopra di essi furono fatti alcuni Pregadi. Fu deliberà mandarli al Papa, & essendo anda detto Mis. Andrea Cavalier a Roma per conferir col Papa, fu deliberà per le occorenze che si trattavano in Basilea al Concilio, mandar un altro Ambasciator, e fu fatto Mis. Ferigo Contarini. Poco doppo zonse a Venezia il detto Mis. Andrea Donado Cavalier ritornando da Roma, e diè andar a trovar l'Imperator al Concilio per cose importantissime si per Papa Eugenio, come per la Signoria.

„ Die III. Septembris anno MCCCCXXXIII. Dom. Andreas Donatus Eques Gener Dom. Ducis renuntiatus fuit Orator ad Concilium Basileense, qui deinde die XVIII. Novembris Venetias venit cum quibusdam capitulis interpretatione indigentibus, de quibus proinde cum compluries actum fuisset in Comitiis Rogatorum, decreverunt P.C. ea Pontifici mittere. Quum itaque Romam Dom. Andreas Eques se contulisset, ut colloquia de eis cum Pontifice haberet, statutum est ob negotia, quæ Basileæ tunc temporis agebantur alium Oratorem ad Concilium mittere, fuitque is Dom. Fridericus Contarenus. Non multo post Venetias reversus est Dom. Andreas Donatus Eques

„ Ro-

„ Roma redux, coactusque fuit ad Imperatorem apud Con-
„ cilium Basileæ degentem se conferre ut gravissima nego-
„ tia tam Eugenii Pontificis quam Reipublicæ Venetæ cum
„ ipso tractaret.

Interea Basileensis Conventus Præsules in sua pertinacia obfirmati nova in dies adversum Pontificem pericula moliebantur, quorum conatus ut everteret Sigismundus Imperator Basileam se contulit, ubi & Andream Donatum invenit Venetæ Reipublicæ Legatum ad Patres Basileensis Concilii destinatum. " Et quidem, notat hoc loco Raynaldus ci-
„ tati anni num. 24, Sigismundum causam adversus seditio-
„ sos tuendam suscepisse ostendunt Eugenii litteræ quibus
„ ob navatam in ea re operam, grates ipsi egit; de Andrea
„ namque Donato Oratore Veneto locutus addit: Ipse re-
„ tulit, quamquam ea non incognita erant nobis, quanto
„ cum fervore & cura, quanta diligentia & charitate defen-
„ deris honorem ac dignitatem nostram, nullis laboribus par-
„ cendo pro conservatione status nostri, & dignitatis Apo-
„ stolicæ Sedis ". Cæterum quanto animi ardore & sollicitudinis studio egerit Senatus Venetus, *ut Pontificium honorem in Conventu Basileensi Oratorum suorum opera defenderet*, satis ostendunt Pontificiæ ipsius Eugenii Papæ litteræ tum a Raynaldo, tum a cæteris scriptoribus allatæ, in quibus non semel Andreæ Donati diligentia & meritum commendantur. Quum enim, uti diximus, Sigismundus Cæsar ut imminenti Schismatis malo opportune occurreret, *Basileam sollicito itinere* properasset; Andreas Donatus *illustris* Venetiarum *Communitatis* apud Conventum Basileensem *legatione fungens*, Imperiali lateri *continuo assistens*, *adeo* apud assertum *Sacrum Concilium pro tantis rebus fideliter laboravit*, *ut ab universo cœtu Patrum unus ex omnibus aptissimus judicatus fuerit*, qui & in publica *sessione* ejusdem asserti *Sacri Concilii decreta ad Summum Pontificem deferre suamque Sanctitatem ad petitam adhæsionem inducere posset*. Porro Andream Donatum Venetorum Oratorem instanter Eugenium Pontificem Cæsareo nomine exorasse, ut Basileensium Patrum decretum confirmaret, testatur Raynaldus ad annum 1434 num. 3, ubi & litteras ejusdem Eugenii Papæ refert ad Sigismundum Cæsarem *Pridie Idus Januarii* datas, in quibus hæc de Andrea Do-

Donato scribit: *Verum charissime fili diu ante venerat ad nos dilectus filius Nobilis vir Andreas Donato Miles Orator Venetorum etiam ex parte, & cum litteris tuæ Serenitatis super eadem materia, quem cum audivissemus, acceptavimus decretum illud:* & infra: *Misimus etiam post ipsum Andream cum eisdem litteris Venerabiles Fratres nostros Archiepiscopum Tarentinum, & Episcopum Cerviensem.*

Ardua, quæ pro concilianda Ecclesiæ pace Andreæ Veneto Oratori negotia Basileæ, & aliis in locis tractanda iniunxit Eugenius, aperiuntur in Pontificio diplomate, cui insertæ fuerunt instructiones datæ quidem *Romæ Kalendis Januarii anno Incarnationis Dominicæ* 1433 stylo Bullarum, æræ scilicet vulgaris 1434, at apertæ lectæque in civitate Basilea coram Cardinali Sanctæ Crucis aliisque, prout ex subjecto exemplo innotescit.

Hoc est exemplum, seu transumptum quarumdam litterarum Apostolicarum SS. ac B. DD. Eugenii P. IV. Bulla plumbea ad cordulam canapi munitarum, cujus ab uno latere impressa sunt capita Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli cum litteris nominum eorum desuper, & ab alio latere hæ litteræ *Eugenius P. IV.* cujus tenor per omnia hoc est.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Andreæ Donato militi Oratori Venetorum salutem & Apostolicam benedictionem.

De personæ tuæ probitate & prudentia agentes in Domino fidutiam spiritualem tibi nonnulla agenda Basileæ, & aliis in locis pro nobis tractanda, & agenda committimus, prout latius continetur in instructionibus præsentibus introductis.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1433. Calendis Januarii, Pontificatus nostri anno Tertio.

A tergo ipsarum litterarum ita scriptum est: dilecto filio Nob. Viro Andreæ Donato Militi Oratori Venetorum &c.

Poggius.

1434

1434. Die 25. Januarii.

Aperta fuit, & lecta præsens littera in præsentia Reverendiss. D. Cardinalis Sanctæ Crucis, & DD. Episcopi Paduæ, & Abbatis S. Justinæ, nec non omnibus tribus Oratoribus Dominii.

Hoc est exemplum sive transumptum instructionum, de quibus fit mentio in litteris suprascriptis notatis in quodam folio bombicino juxta consuetudinem Sedis Apostolicæ, quod folium sicut apparet per incisuras cordulę tenentis plumbeum bullum, dictis litteris inclusum erat, hujus per omnia continentiæ, & tenoris videlicet.

* Eugenius &c. Committimus primo tibi Andreæ Donato, quod sollicite debeas accedere Florentiam, & ex parte nostra referre illis Dominis, quod Comes Franciscus Sfortia cum magno armigerarum gentium numero pedestrium & equestrium in partibus tam Romandiolæ quam Marchiæ investigavit, & quotidie non destitit investigare aliquas novitates facere. Et quia putamus hoc fore & interesse Communitatis illius deliberavimus certam concordiam cum eorum Capitaneo facere, quæ Concordia salus maxima illarum partium erit. Rogamus Communitatem illam ut scribere vellit, & mandare prefato ejus Capitaneo ut cum omni solertia prosequatur secundum concordiam inter nos, & eum, quia ex hujusmodi concordia, ut diximus Communitas illa nec non Dominium Venetiarum fructum, & multimodam commoditatem sentiret.

Item post expeditionem tuam de Florentia accedere debeas ad Civitatem Venetiarum, & illi Dominio cum benedictione paterna regratiare de tot laboribus & curis acceptis pro conservatione status nostri, & Ecclesiæ Dei, & præfacto Dominio etiam enarrare, quod non obstante, quod nos summe ab illis de Concilio aggravatos sentiamus, nihilominus ad contemplationem ipsius Dominii deliberavimus ejus consiliis adhærere, & quod de Statu Nostro dictum Dominium disponat, prout de suo proprio & sollicites cum ipso Dominio, ut ea, quæ per Concilium nobis promissa sunt debite conserventur. Item pro parte nostra narrare præfato Do-

Dominio Venetorum de progreſſibus, & conditionibus Comitis Franciſci in partibus Marchiæ & ob multos labores in quibus ſumus perplexi non valemus ad preſens providere ad conſervationem illarum partium, & cognoſcentes quod hoc non minus tangit Statum præfacti Dominii, quam noſtrum, rogamus Dominium prælibatum, ut ſine mora ad hoc providere vellit, quoniam omnis ipſius Dominii demonſtratio erit cauſa conſervationis omnium illarum partium, & procures, ut habeamus pecunias noſtras pro menſibus Julii, & Auguſti, nam de menſe Aprilis, Maii, & Junii ſoluti ſumus

Item ex quo putamus quod a prefato Dominio ſubito expeditus fueris ad hoc ut citius te Baſileam transferas, idcirco cum Deo placuerit quod ad partes illas applicueris, eſſe debeas cum Præſidentibus noſtris & congregatis omnibus accedere debeatis ad præſentiam Imperatoris, & prout vobis videbitur parte noſtra majeſtati ſuæ regratiare de bonis ſuis operationibus & ne ſcandalum & ſciſma in Eccleſia vigeat, declaravimus petitionibus Concilii adherere, & bene advertatur quod priuſquam ..... volumus a Majeſtate ſua aliiſque principibus ſecundum ultimum capitulum inferius deſcriptum, quod incipit.; Promittit Sacra &c. quod in aliquo Sedi Apoſtolicæ non adherentes, noſtros ledere aliquo modo non permittat ſicut tu pro parte Majeſtatis ſuæ nobis dixiſti.

Item volumus quod certum facias Dom. Imperatorem quod Bulla illa tertia nunquam miſſa fuit, nec facta, &c... tot teſtes inducti pro .... fidei utentur in giuditio, & quæ eis detur debita punitio & etiam fiat debita examinatio nec non illorum, qui fuiſſent cauſa teſtificationis prædictæ.

Item ſis memor, quod a nobis duas bullas habuiſti aliquantulum variantes, una videlicet ab alia, in quarum preſentatione velis ſequi ordinem hunc, videlicet quod cum omni diligentia tibi poſſibile coneris primam præſentare, & quod illa acceptetur, & ſi hoc ſequi non poſſe dignoſceris, ad preſentationem ſecundæ devenias. Poſt quam preſentationem volumus omni bono reſpectu quod in ſeſſione publica declaretur nos ſatisfeciſſe eorum decreto, quod decretum revocatum ſit, & annullatum.

Item

Item quod Præsidentes nostri sint admissi prout nobis retulisti, & prout jus postulat, antequam litteræ presententur.

Item præsentimus, quod Cardinales in partibus illis existentes cupiunt a nobis veniam habere, volumus, quod nostri parte illis dicas quod nunquam intentionis nostræ fuit ulcisci de injuriis nobis illatis & ulterius si ipsi vel aliquis eorum debitum suum facere vellit, sicut illorum parte retulisti, contentamur valeas illos, & illorum quemlibet nostri parte assicurare de persona statu, & eorum beneficiis, & ad majorem cautelam scripsimus Dominio Venetorum, & facultatem dedimus, & libertatem, quod pro nobis promissionem præfactis Cardinalibus faciat.

Item cupimus & ad hoc tibi mandamus quod per Concilium ordinari debeant rationes sicut Constantiæ actum fuit & Senis & sic parte nostra Imperatori debeas dicere, & quod provideat dictas rationes ponere.

Item cum per aliquos tam armigerarum existentium Capitaneos, quam etiam diversos, de quibus ad plenum te informavimus ad petitionem, & sub nomine Concilii nonnullæ nostræ Terræ, & Ecclesiæ graviter molestantur, & vexantur, volumus quod Bullam in plena forma a Concilio impetres, & habeas, & per illam omnibus illis vexantibus, ut dictum est, & inquietantibus Statum nostrum, & terras prædictas mandetur expresse, quod penitus ab inquietatione & vexatione prædictis desistere debeant, aliter &c.

Promittit Sacra Imperialis Majestas quod cum jam SS. D. Noster Eugenius Pp. IV. adimpleverit effectualiter contenta in Decreto Concilii Basileensis publicato 7. die Mens. Sept. Anno Domini 1433. tenebit, & reputabit futurum, sicut de presenti tenet & reputat ipsum Dom. Eugenium pro vero & indubitato Romano Pontifice & unico Papa, & eum ut verum Christi Vicarium honorabit, & ad eum respiciet favoribus opportunis, Sanctitatique Suæ complacebit, obsequetur, & deservire conabitur pro omni honore & statu tam suæ Sanctitatis, quam omnium suorum adhærentium & sequentium cujuscumque gradus, status, dignitatis & conditionis existerent, defensabitque eumdem & omnes prædictos in statu & auctoritate suis, ipsumque & suos adhærentes ut supra non permittet in aliquo prædictorum impedi-

ri vel molestari a quibuscunque hominibus.......

Item volumus & injungimus tibi sub fide præstiti juramenti quod omnia in proximo præcedenti capitulo, contenta & omnia superius descripta plene adimpleantur antequam bullas nostras modo aliquo præsentes, aut tradas.

Ego Poggius Secretarius D. N. Papæ ejus speciali mandato me subscripsi ad præmissorum fidem.

Anno ab Incarn. Domini 1440. Indict. 3. Mens. Januarii die 22. Venetiis suprascriptum exemplum seu transumptum per me Victorem Poncino Notarium &c. coram Rev. in Christo Patre, & D. D. Thoma Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ep. Recanatensi, & Maceratensi ac Apostolico Visitatore in Provincia Aquilejensi cum potestate Vicarii Generalis in Diæcesi Aquilejensi insinuatum fuit, & coram ipso R. D. Episcopo pro Tribunali sedente in quadam Camera Monasterii Divi Salvatoris de Venetiis &c. * *

Quanta autem devotione & fide Romanum Pontificem prosequeretur Andreas, illustre ei testimonium perhibuit supralaudatus Ambrosius Camaldulensis in Epist. XI. Tom. III. Amplis. Collectionis Edmundi Martene ad Eugenium Papam IV. data, in qua rationem reddens Legationis suæ ad Conventum Basileensem, & ad Sigismundum Imperatorem hæc de Andrea Donato scribit die VIII. Decembris: „ Hodie nos videre voluit (Imperator) gratissimeque „ suscepit, & quantum ex verbis suæ serenitatis primo in „ congressu habitis, & ex relatione nobilis viri domini Andreæ Donati, Episcopique nostri Signiensis colligere potui, paratissimus est tuæ sanctitati morem gerere, non „ modo in materia illa pro qua venimus: verum & in terminatione Concilii......Presidentes Concilii viros judicio „ meo integros, & de tua sanctitate optime meritos, ex officio & affectu meo commendo sanctitati tuæ. Andreas „ Donatus multum ut se sanctitati tuæ commendarem oravit: qui, ut sum factus certior, fidelis est tuæ beatitudinis servus. Cras ille hinc proficiscitur commissione ab Imperatore ægre impetrata. „ Peractis itaque summa fide ac dexteritate apud Florentinam & Venetam Respublicas, tum apud Imperatorem & Patres Basileenses omnibus, quæ sibi ab Eugenio Papa mandata fuerant, Andreas Donatus Basileam

eam reversus est, quem paulo post Sigismundus Imperator, eo quod diligentia & prudentia *omnium expectationem facile superasset*, in totius Conventus conspectu muneribus privilegiisque amplissimis exornavit; ipsum enim, & universam Donatorum familiam *pro* Andreæ *meritis*, *& contemplatione etiam Venerabilis Patris Petri Donato* olim Archiepiscopi Cretensis, tunc autem *Episcopi Paduani*, & in ipso Basileensi Conventu Pontificio nomine *Præsidentis*, *privilegiis Imperialibus ornare* decrevit, quæ in posterorum etiam decus redundarent. Quot ergo qualibusque Cesareæ munificentiæ gratiis illustrem Donatorum familiam auxerit Sigismundus, late patet ex eo, quod subiicimus, diplomate dato Basileæ anno Domini MCCCCXXXIV. die IV. Februarii.

*In Nomine S. & Individuæ Trinitatis Amen. Sigismundus Divina favente Clementia Romanorum Imperatorsem. per Augustus, ac Ungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c: Rex ad perpetuam rei memoriam nobili Andreæ Donato de Venetiis militi Lateranensis Palatii, comiti, Consiliario, & Familiari nostro, & Imperii sacri Fideli dilecto gratiam Cesaream &c. & omne bonum &c. Si de plenitudine imperialis largitatis, deque nostra liberalitate, ac munificentia multos nos deceat amplecti, & nostro benefitio sacro Imperio obsequiosos & fideles reddere, tamen convenit nostræ Majestati illos perpetuis honoribus attollere, & donis præcipuis cumulare, qui opera sua ac meritis effecerunt ut nos ad exhibenda pro bene gestis in nos & sacrum Imperium condigna merita provocarent. Sane dum anno superiori ad partes Italiæ venissemus coronam sacri Imperii de manibus SS. Patris nostri Dom. Heugienii Papæ 4. summi Pontificis recepturi, nonnullæque, prout tempora illa ferebant, difficultates ingererentur, propter quas, coronatio nostra protrahi videbatur in longum, opera & industria sua actum esse cognovimus, ut sublatis impedimentis & plena & perfecta concordia inter prefatum Dom. Heugienium & nos subsequuta Romam intraremus, ubi honorifice suscepti, coronaque imperiali accepta tandem multa salubria pro statu S. Matris Ecclesiæ tam cum dicto summo Pontifice, quam cum nonnullis Italiæ Principibus, & communitatibus studio & sollicitudine tuis intervenientibus per nos gererentur, & præcipue cum Nobili

d 2 Fran-

Francisco Foscari Duce, & communitate Venetiarum illustri, cujus tunc tu Orator eras, unde ut aliquem fructum laborum tuorum pro Sancta Matre Ecclesia, ac sacro Imperio susceptorum de manibus nostris caperes, te in urbe Roma præsentibus summo Pontifice, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Principibus, & Prælatis in multitudine copiosa in militem creavimus, & sollemniter fecimus in Conciliarium, & Familiarem, Nobilem, & Militem Nostrum assumpsimus, & ex certa scientia cæterorum militum, Conciliariorum, & Familiarium Nostrorum cœtui, numero benignius agregavimns, aureos insuper sexcentos pro annuali salario de Camera, fiscoque nostro tibi assignavimus, & dari præcepimus, quousque viveres in humanis, prout hæc omnia in Bulla nostra aurea super hoc confecta plenius continentur. Cum autem tum procurante humani generis hoste graves exortæ forent discordiæ inter sacrum Basileense Concilium, & prædictum Dominum Heugienium, propter quas multa scandala in populo Christiano oriri timebantur, & ex illis aperiri via videbatur ad scisma suscitandum in Ecclesia Dei, pro quo tollendo in sacro Constantiensi Concilio nullis pepercimus laboribus & expensis, ut tot & tantis malis per præsentiam nostræ Cæsareæ Majestatis occurreretur, de Roma ad civitatem Basileam citissimo gressu & sollicito itinere properavimus; tu vero illustris communitatis tuæ legatione fungens imperiali lateri nostro continuo assistens ita apud sacrum Concilium pro tantis rebus fidelis laborasti ut ab universo cœtu Patrum, unus ex omnibus aptissimus judicareris, qui & publica sessione sacri Concilii decreta ad summum Pontificem deferre, suamque sanctitatem ad petitam adhæsionem inducere posses; in qua re nil a te per torporem, aut segnitiem actum est, sed spretis ita veloci cursu Romam venisti & ad sacrum Concilium rediisti, ut præclaro facto tuo, & pace per te procurante etiam Ecclesiæ reddita cunctorum expectationem facile superares. Pro hiis ergo omnibus non solum te, quem hodie in publica sessione & in totius Concilii facie iterum Militem fecimus, sed Donatorum familiam vetustate nobilem, moribus claram, a qua ducis originem, una tecum & pro tuis meritis & contemplatione etiam venerabilis Patris Petri Donato Episcopi Paduani, Conciliarii nostri ——

dile-

dilecti, nec non indicto Basileensi Concilio Presidentis pro sepe dicto Domino Heugienio Papa Quarto ornare privilegiis imperialibus stabiliter decrevimus. Te igitur Andream Militem, & Conciliarium, & Familiarem nostrum cum Filiis & descendentibus tuis, & ipsorum descendentibus in perpetuum, legitimis tantum una cum Natale Mapalico, Ludovico, Jacobo, & Hieronimo ejusdem familię Donatorum, eorumque descendentibus in perpetuum, legitimis tantum, nec non & majorem natu de domo & familia Donatorum per se tantum qui est & pro tempore erit legitimus tantum, & ex stipite quo natus est, .originem trahentes, plenitudine imperialis culminis animo deliberato & cum certa scientia, cum Concilio Principum, Baronum, & Procerum apud Celsitudinem nostram existentium, constituimus, facimus, creamus, & presenti indulto motu proprio insignimus nostri Sacri Palatii, aulęque nostræ comites Imperiales Palatinos, & te ac vestrum quemlibet, ut supra nuncupavi, ac realiter & cum effectu volumus perpotiri, & ex animo uti, frui, & gaudere universis & singulis Privilegiis, Juribus, Immunitatibus, Honoribus, Consuetudinibus, Favoribus, Preminentiis, quibus sacri Palatii Comites illustres & Conciliarii, ac Milites nostri de jure vel pro consuetudine quomodolibet freti, & usi sunt, vel utebuntur, & fruentur, & tibi ac ceteris de quibus superius in perpetuum ex certa scientia motu proprio & de plenitudine potestatis nostrę concedimus, largimur & volumus possitis ubique locorum & terrarum unusquisque vestrum & ex vobis quilibet, illustrium virorum, Principum, & Baronum filiis dumtaxat exceptis, legitimare, & ad patriam potestatem reducere quoscumque Spurios, naturales, incestuosos, ... Nothos & generaliter quoscumque illegitime natos sive mares sive fæminas quocumque nomine censeantur & quovis modo illegitime natos, & quemcumque alium deffectum natalium patientes etsi plures deffectus nativitatis in legitimanda persona concurrerint, & illos reducere ad pristinum statum naturę, quo omnes legitimi nascebantur, sive legitimandi presentes sint sive absentes & horum parentibus presentibus vel absentibus citatis vel non citatis, presentibus vel absentibus illis, ad quos hereditas spectare posset vel spectaret ex testamento vel ab intestato vel quoquo modo hereditate adi-

adiċta vel non adiċta bonis hęreditatis alienatis vel non alienatis bonorum possessione apręhensa vel non apręhensa & virtute cujusvis legis statuti vel constitutionis aut consuetudinis quęsita seu non quęsita ipsosque legitimandos ad legitima jura reducere valeatis, ac si ex vero & legitimo matrimonio nati & generati essent nulla juris vel facti obstante exceptione qui per vos legitimati semper alterum vestrum superius expressorum descendentes vestros in perpetuum ad omnes honores dignitates munera, vassalagia, pheuda Statutorum municipalium gratias & ad actus quoslibet, electiones, successiones bonorum paternorum, maternorum, agnatorum, cognatorum, & extraneorum, & ex testamento vel intestato succedere vel admitti valeant, possint, & debeant ex potestate imperiali ac si de legitimo matrimonio ut supra dictum est nati essent & procreati & cum filiis legitimis & naturalibus vel aliis venientibus ab intestato, si extarent, nisi vos, qui tales legitimaveritis in legitimatione minores forte partes sibi dandas vel eos aliter succedere decreveritis nulla lege communi vel speciali illis obstantibus etiam pheudali: Possitis insuper facere & creare notarios publicos, seu tabelliones judices ordinarios & delegatos, & per vos ipsos facere & exercere omnia ea, quę sunt jurisdictionis voluntarie ordinarie & delegate vel ex officio judicis competunt aut competere possunt ac si de verbo ad verbum hic esset expressa, ac universis & singulis personis, quę abiles & idoneę fuerint vestro judicio notariatus ac judicatus ordinarii, vel delegati officium concedere, & largiri ac ipsos & quemlibet ipsorum auctoritate imperiali pęna & pugilare pro ut moris est de hujusmodi officiis investire, dum tamen ab ipsis notariis tabellionibus & judicibus ordinariis seu delegatis per vos ut supra creandis, & quolibet illorum vice & nomine sacri Imperii, & pro ipso sacro Imperio debitę fidelitatis corporale prius recipiatis juramentum proprium in hunc modum, videlicet quod erunt nobis & sacro Romano Imperio & omnibus successoribus nostris Romanis Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus fideles neque unquam erunt in Consiliis, ubi nostrum periculum tractetur, sed bonum nostrum, & salutem nostram pro viribus defendent, & removebunt damna nostra pro sua possibilitate evitabunt & advertent: pręterea instrumenta tam pu-

publica quam privata, ultimas voluntates, codicilos, testamenta, & quęcumque alia scribenda ex officio & omnia judicorum acta, quę scribenda occurrerint juste, pure, fideliter & sine dolo, falsitate, & machinatione scribent, legent, & facient non attendendo odium, pecuniam, munera, vel alias possessiones, aut favores; scripturas vero per ipsos in publicam formam redigendas in membraneis non abrasis, nec in papyro scribent, causas hospitalium & miserabilium personarum, nec non pontes, stradas publicas pro juribus promovebunt, sententias & dicta testium, donec fuerint judicata secrete, & fideliter retinebunt, & omnia alia & singula recte & fideliter facient, quę ad ipsorum officia pertinebunt, qui quidem notarii & tabelliones ac judices ordinarii vel delegati per vos, & quemlibet vestrum creandi & creati possint, poteruntque per totum sacrum Romanum Imperium facere, publicare, & conscribere quoscumque contractus, instrumenta, judicia, testamenta, codicilos, & quascumque ultimas voluntates & decreta, auctoritates interponere auctoritate vestra & nostra, & quemadmodum vos interponere possetis volumus & cætera omnia exercere & facere, quæ ad dicta officia pertinere noscuntur. Possitis etiam infamibus dispensare, & illos ad famam restituere auctoritate imperiali, cum volueritis, & ex vobis quilibet ex descendentibus vestris saltem idoneus doctorari, vel militari, eligere possitis doctorem, vel militem, qui auctoritate nostra vobis insignia, vel stemmata conferat, quibus ex nunc talem delegamus specialiter potestatem, & similiter usque numerum ad duodecim pro quolibet ex supradictis, qui miles aut doctor non esset possit nomine nostro & successorum nostrorum militiæ & doctoratus insignia per quemcumque doctorem, quem ad hoc duxerit eligendum, tribuere, & fieri facere doctores scilicet duodecim, & milites duodecim, & non ultra; tu vero Andreas tantum quatuor militibus a te creandis, & octo scutiferis de nobili genere procreatis divitiam nostram serpentem videlicet cum Cruce & litteris insculptis: *O quam misericors* &c. cum cordula de serico auro vel argento contexta & pendulo volitante, auream militibus, & argenteam scutiferis auctoritate nostra dare possis nomine tantum nostro. Si doctores vel milites eritis quot volueritis creare possitis, qui tamen doctoran-

di

di sint in litteratura sufficientes examinati atque idonei, & militandi experti strenui & cingulo militari condigni. Cæterum cupientes vos & filios ac descendentes ut supra & quemlibet vestrum honorare & honoris speciali titulo insignire vos & singulos ex vobis supradictis in familiares nostros & successorum nostrorum comensales & domesticos Palatii nostri eligimus & assumimus aliorumque talium numero & cœtui præsentibus agregamus & ponimus volentes & decernentes, quatenus tam in curia nostra, quam extra ubique locorum omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, honoribus, gratiis, & præheminentiis, & exemptionibus, & indultis gaudere & perfrui debeatis unusquisque ex vobis suprascriptis quibus cæteri familiares imperiales & comensales nostræ imperialis aulæ & successorum nostrorum potiuntur & potientur quomodolibet de jure & de consuetudine. Mandamus igitur universis & singulis nostris & sacri Imperii subditis, Vicariis, & fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, uti ipsi vos, & quemlibet vestrum quoties ad ipsorum loca, dominia, vel quasi, perveneritis seu pervenerit veluti familiares & comensales condignos nostros & sacri Imperii tractent, & debitis honoribus recipiant, de salvo conductu, vel scorta, si fuerint requisiti debeant vobis omnes subditi imperii, & amici providere, nec aliquid a vobis vel ullo vestrum pro gabella, thaleonio, datio, pedagio, aut quocumque nomine nuncupentur, gravaminibus, solutionem recipiant, vel penitus exigant pro equis vel pro personis vestris vel bonis aut arnesiis vestris, & rebus de quibus in vestra vel vestræ sint dari volumus fidem & verbo simplici vestrò: tibi verò Andreæ & vobis omnibus & quibus supra in signum specialis gratiæ ultra insignia vestra antiqua videlicet tribus rosis rubeis in superiorì parte clypei, in campo albo cum quatuor listis subsequentibus vicissitudinaliter duabus rubeis, & duabus albis in campo azuro pro comitatu.... leonem aureum ranssantem & vectum cum corona similiter aurea in capite & lista azura ad collum ad quam pendeat mantellina, in qua sint depicta insignia vestra antiqua, supra quæ sit Aquila nigra in campo aureo in formam quæ ponitur in cimerio hic depicto. Concedimus insuper vobis omnibus ut supra clypeum, seu antiqua insignia domus vestræ uti possitis Aquila nigra cum dupli-

duplici capite in campo aureo more Romani Imperii, & quod ubicumque locorum sacri Imperii possitis titulo emptionis donationis seu quocumque alio justo titulo acquirere bona immobilia seu mobilia & de illis disponere pro libito voluntatis, hiisdemque privilegiis gaudere quoad illa, quibus cives sive habitatores locorum, ubi talia bona acquiretis gaudere noscuntur non obstantibus statutis quarumque terrarum & locorum in contrarium disponentibus, quibus specialiter & expresse derogamus; bona insuper vestra cum bonis colonorum vestrorum seu vobis servientium ab omni præstatione libera esse decernimus per præsentes confirmantes etiam vobis omnes dignitates, honores, jurisdictiones, prehemimentias privilegia tam in bonis qnam in personis, quæ a prædecessoribus nostris Romanis Imperatoribus seu Regibus, Vicariis sacri Imperii communitatibus universitatibus seu collegiis forte vos habere contingeret & quæ volumus in hiis litteris de verbo ad verbum pro sufficienter expressit. Volumus etiam ut tu Andreas tantum sex de non nobili statu & genere dummodo alias sint fortunis, moribus & virtutibus clari auctoritate imperiali quam tibi in hac parte concedimus possis nobilitare & de ignobili ac populari statu ad nobilitatem reducere, & privilegia quibus nobiles gaudere solent tribuere & eisdem insignia seu arma dare, in signum tamen & recognitionem prædictorum volumus, quod quandocumque contigerit nos vel successores nostros transitum facere per civitatem Venetiarum debeatis introitu nostro præsentare ensem vel spatam seu clavam varnitam seu varnitum pretii ducatorum triginta, quem vel quam donec ibi morabimur tamquam vassalus & comes Imperialis unus ex vobis de quibus supra portabit ante nos. Quæcumque igitur & singula in prædictis & circha prædicta feceritis prout nobis facta essent vel a successoribus nostris grata valida firma & perpetua esse volumus & censemus & cesaream obtinere roboris firmitatem nonobstante aliqua lege constitutione vel statuto aut consuetudine in contrarium loquentibus, aut decretis specialibus vel generalibus & specialiter legibus positis sub rubrica *quibus modis naturales effi: sui: & quibus modis natu: effi: legitimi* per totos titulos & C. *de naturalibus liber: L. prima* & per totum titulum & C. *de emancipat. lib. L. si:* per totum & qui-

bus omnibus & singulis auctoritate imperiali, & de nostræ potestatis plenitudine derogamus & derogatum esse volumus ac si de illis & illorum quolibet in hoc indulto facta esset mentio & derogatio de verbo ad verbum, & si expressio eorum de verbo ad verbum requireretur suplentes. In his concessis & in aliis per nos in futurum faciendis omnem defectum & sollemnitatem obmissam ex certa scientia & de nostra plenitudinis potestate nolentes hanc gratiam & dignitatem per aliquam revocationem similium privilegiorum generalem & specialem nostram vel successorum nostrorum revocatam intelligi, nisi vobis specialiter scriptum fuerit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ creationis largitionis concessionis & insignitionis exemptionis confirmationis derogationis & gratiæ paginam infringere aut ei quovis ausu temerario contradire: si quis autem attemptare præsumpserit nostram & Imperii indignationem gravissimam & pœnam quadraginta marcarum auri purissimi totiens quotiens contrafactum fuerit irremissibiliter se noverit incursurum, quarum medietatem imperialis nostri fisci sive ærarii reliquam vero partem injuriam passorum usibus decernimus aplicandam præsentium sub nostræ imperialis majestatis sigillo testimonio litterarum datum Basileæ anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto die quarto Februarii regnorum nostrorum anno Ungariæ &c. quadragesimo octavo, Romanorum vicesimo quarto, Boemiæ quartodecimo, Imperii vero primo.

Ad mandatum domini Imperatoris Gaspar Slith miles cantolarius.

Hoc est exemplum sive trasumptum unius privilegii sumptum & exemplatum per Michaelem Zampanum imperiali auctoritate Notarium, ab autentico privilegio sub nomine supranominati Gasparis Slith militis Cantolarii bulla cerea Imperatoria munito pendenti non vitiato, non cancellato, nec in aliqua sui parte suspecto insinuatoque Domino Jacobo Chiodo judice ordinario & coram eo & Notariis ac testibus infrascriptis cum autentico colationatum, & quia præsens transumptum cum dicto autentico privilegio in omnibus concordare & convenire inventus fuit idem præfatus Dominus judex ordinarius mandavit nobis Notariis quatenus cum apositio-

ſitione ſignorum noſtrorum ſubſcriberemus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Ego Nicolaus Moravius Presbiter Venetiarum Publicus imperiali ac Venetiarum auctoritatibus Notarius quia ſupraſcriptum exemplum & tranſumptum privilegii imperialis per ſupraſcriptum ſer Michaelem Zampanum Notarium coram ſupraſcripto Domino Jacobo Chiodo judice ordinario viſum lectum & collationatum una cum infraſcripto Barono de Grigis Notario cum ejus autentico concordare inveni ideo de mandato ipſius domini judicis me ſubſcripſi ſigno meo appoſito conſueto.

Ego Baronus de Grigis quondam Bartholomæi imperialis Notarius quia ſupraſcriptum tranſumptum factum & exemplatum per ſupraſcriptum & infraſcriptum ſer Michaelem Zampanum Notarium auſcultatum per me una cum ſupraſcriptis & infraſcriptis Notariis in præſentia divi Domini judicis cum ſuo originali & autentico inveni in omnibus & per omnia concordare ideo me ſubſcripſi de mandato dicti Domini judicis ſignoque meo conſueto ſignavi.

Ego Michael Zampanus quondam Blaſii publicus Imperiali auctoritate Notarius & judex ordinarius ſupraſcriptum exemplum & tranſumptum manu mea propria ſcripſi ipſumque coram ſupraſcripto Domino judice ordinario & Notariis auſcultavi & concordare inveni ideo de mandato præfati Domini judicis ordinarii me ſubſcripſi ſignumque meum conſuetum appoſui & hæc acta Venetiis fuerunt in Rivoalto ad ſtationem mei Notarii anno nativitatis Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo indictione quintadecima die vigeſimo ſeptimo menſis Auguſti præſentibus Domino Bartholomæo de Grigiis quondam Domini Baroni Notario, & Nicolao filio ſer Gabrielis Notario teſtibus ad præmiſſa vocatis & aliis &c.

Ego Joannes Franciſcus a Putheo Clericus Venetiarum publicus Imperiali & Venetiarum auctoritate Notarius & Reverendiſſimi Domini Patriarchæ Cancellarius, quia ſupraſcriptum exemplum tranſumptum ſcriptum & exemplatum aliena manu cum ſuo autentico tranſcripto auſcultavi, & collationavi ipſumque cum dicto ſuo autentico concordare inveni & nil additum vel diminutum quod ſenſum mutet vel intellectum variet & in fidem præmiſſorum rogatus me ſubſcripſi

 ſigno

signo meo apposito consueto una cum sigilli præfati Domini comitis apensione.*

Ex his diplomatis verbis satis nobis patet, Andream Donatum a Sigismundo Imperatore militem seu equitem creatum, & Draconis subversi ordini adscriptum fuisse, quem nuper Imperator ipse ad evertendas conterendasque Bohemorum & Hungarorum hæreses instituerat, de quo quidem ordine erudite agit in sua equestrium Ordinum Historia Abbas Justinianus de tempore differens institutionis ipsius.

Primum itaque Pontificis mandatum perfecturus Florentiam se contulit Andreas, ubi cum in agendis negotiis fidem, & singularem animi candorem ostendisset, viri virtutem admirati Florentini, ipsum civitate, & nobilitate donarunt. *A Andrea Donato Cavaliere* (ita Scipio Ammiratus Histor. Florent. lib. XX.) *e Ambasciadore Veneziano in riguardo della sincerità, e della fede, con la quale avea trattato le cose del popolo Fiorentino fu data la cittadinanza della Città*. Pari deinde studio, & celeritate, ea quæ sibi Venetiis agenda Eugenius Papa mandaverat, egregie perfecit Andreas, ut nobis innuit ms. quod supracitavimus, Chronicon, & clarius enuntiat aliud pariter ms. Chronicon, quod ex Nobilium, ad quos devenit, familiæ nomine, inscribitur *Chronica Veniera*, de qua erudite in libro *della Litterattura Vineziana* Clar. Vir. Marcus Fuscareno Procurator pag. 144. nota 114. Chronicon hoc ab Antonio Donato Equite Andreæ Equitis, de quo agimus, filio concinnatum fuisse autumat Vir eruditis. Apostolus Zenus in Proemio ad Venetam Marci Antonii Sabellici Historiam, eo præsertim inditio ductus, quod Chronici auctor Andreæ Equitis atque Antonii ejus filii illustria gesta accuratius præ cæteris recenseat. Ut ut autem de authore Chronici res se habeat, hæc sunt ipsius Chronici verba, quæ commissas Andreæ Legationes, & ab eo tractata negotia manifestant.

Adi 3. *Settembre* 1433 *Fu fatto Miss. Andrea Donato Cavalier Ambasciator al Concilio di Basilea con ducati dugento in due mesi, e continuando l'impiego con ducati quaranta al mese a spese della Signoria. Egli dal Concilio ritornò a Venezia adi* 18. *Novembre portando seco alcuni Capitoli, che furono esaminati, e dichiarati nel Pregadi, dopo di che esso Donato dovette ritor-*

ritornarsene al Concilio suddetto. Di là gli fu dato ordine di trasferirsi in Roma ad Eugenio IV, e in luogo di lui fu mandato al Concilio Federigo Contarini. Poco sì fermò in Roma il Donato, poichè in capo ad otto giorni verso il fine del Decembre dell' anno suddetto giunse in Venezia, dove nuovamente si portò in Basilea per essere mediatore d'accordo tra il Pontefice e l' Imperadore.

Nec Eugenius Pontifex, & Sigismundus Imperator tantum eximiam Andreæ sollicitudinem laudibus ornarunt, sed et ipsi Patres Basileensis Synodi datis Duci Francisco Foscaro litteris, quas exhibeo, labores & pericula, quibus se pro unione Ecclesiæ statuenda submisit Andreas, amplissimis verbis testati sunt. Hæc est Concilii epistola.

* Dilecto Ecclesiæ Filio Nobili viro Francisco Foscaro Duci Venetiarum Illustri. Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis Basileæ in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam representans Dilecto Ecclesiæ Filio Nobili Viro Francisco Foscaro Duci Venetiarum illustri salutem, & Omnipotentis Dei benedictionem. Ea, quæ tui Oratores in generali congregatione tuo nomine explicuerunt, lætis & jucundis animis audivimus. Ipsorum relatione, ac fama publica, & quod amplius est, operis evidentia cognovimus quam sincere ac diligenter unionem inter hanc Sacrosanctam Synodum, & Sanctissimum Dominum Eugenium Papam Quartum prosecutus es; pro qua sancta, & a nobis admodum desiderata re jam obtenta, proque ampla & liberali tui Ducalis Dominii oblatione huic Sancto Concilio per ipsos Oratores facta, nec non & pro multis laboribus & periculis quibus tuo jussu dilectus Ecclesiæ Filius Andreas Donato unus de tuis Oratoribus pro hac re exequenda se submisit, tuam Excellentiam plurimum in Domino commendamus, & omni laude dignam censemus, eidemque ingentes gratiarum actiones referimus, orantes Omnipotentem Deum, ut eandem celsitudinem pro tanta charitate & devotione, quam ad hanc Sanctam gerit Synodum, digna retributione remuneret, cui quidquid nobis possibile est, pro tui Ducalis Dominii honore & statu prompta mente offerimus. Ipsum vero Andream qui cum tanto honore & fide, sicque prudenter & sollicite pro hoc sancto negotio laboravit, ut amplius nec ipse, nec

quidem

quidem alius facere potuisset tuæ Excellentiæ toto ex corde recommissum merito facimus. Sic iste cujus opera tantum utilitatis universali Ecclesiæ, tantum honoris & famæ tuo Dominio attulit, dignus certe est, ut tam apud Ecclesiam, quam apud ipsum Dominium plurimum carus & acceptus omni tempore habeatur. Datum Basileæ VIII. Idus Februarij

B. de Batiferis

Post hæc anno 1434 cum in Æmilia prope Forum Cornelii civitatem, quam Imolam vocant, exercitus Venetorum suppetiis Florentinorum auctus adversus Philippi Mediolanensis Ducis copias sinistro tamen Marte conflixisset, Senatus nuntio cladis accepto, novum exercitum instruere, eique Franciscum Lauredanum, & Andream Donatum equitem præficere curavit. Virum bellicæ artis a juventute peritum, a politicis ad Castrenses curas iterum adductum agnoscimus ex citato Sanuti Chronico col 1036. *Adi 12. Agosto 1434 s'ebbe essere le genti della Lega e di Papa Eugenio IV. state rotte appresso Imola da Nicolò Picenino ...... Onde inteso per la Signoria questo fu preso di fare due Proveditori e di mandarli in Romagna per far gente di nuovo; e per mettere in punto quell' altra nostra gente che restava e furono eletti Francesco Loredano detto Iavarina, e Andrea Donato il Cavaliere, i quali portarono assai danari con loro per assoldar genti da pie e da cavallo, e in pochi giorni fu rimessa la nostra gente meglio in punto, ch'essa non era in prima*. Idipsum paribus ferme verbis enuntiant tum Venerium, tum aliud ms. Chronicon anonymi authoris. Addit deinde Sanutus Andream e bellico officio strenue, ut vidimus acto ad politica negotia revocatum fuisse; Senatus enim mandato, eodem anno mense Novembris, pro gravibus agendis negotiis Orator renuntiatus jussus est sollicito itinere Imperatorem adire. *Fu fatto Ambasciadore all'Imperatore Andrea Donato il Cavaliere per cose importanti, e che debba partire prestissimamente*. Alias atque alias deinde obtinuit Andreas in Republica dignitates; Tribunitium enim officium (Veneti, ut supra diximus, vocant Avogadori di Comun) & Sapientis Consilii (publicis hi negotiis in Senatu tractandis præsident) munus non semel administravit. Interea cum Venetæ rei interesset, ut Franciscus Sfortia e Lucensi ad Parmensem agrum se reciperet Mediolanensium exercitui

citui

citui molestias illaturus, ad eum Orator decernitur Andreas Donatus, qui rem sollicite egregieque perficit: Ita testatur Sanutus col. 1043: *Adì 29 di Settembre 1436 fu mandato Andrea Donato il Cavaliere al Conte Francesco Sforza, ch' era a Lucca acciocchè egli venisse subito in Parmigiana con tutta la sua gente per molestare il Duca di Milano. E furongli mandati assai danari acciocchè per danari non restasse di venir presto. E fu commesso al detto Andrea Donato che tenesse modo di ricondurre colla Signoria nostra Pietro Gianpaolo, il quale era su quel di Ravenna con 850 cavalli .... Adì 27 d' Ottobre s' ebbero lettere d' Andrea Dandolo* (ita ex Amanuensis vel Librarii errore, reponendusque erit Donato) *Cavaliere, il quale fu mandato al Conte Francesco, come avea subito quello fatto levare, e avea passato l'Alpi con cavalli 3600, e fanti 2000 molto bene in punto, e veniva alla volta di Parmigiana*. Multis deinde interpositis subdit: *Adì 29 del detto mese* (Septembris anni 1437) *furono Pregati*, (id est Conventus P. C. quem Veneti rogatos *Pregadi* vocant) *e fu scritto al nostro Oratore Andrea Donato che dovesse richiedere il Conte Francesco, s' egli voleva essere nostro Capitan Generale*. Paulo post Andream Venetias rediisse comperimus ex citato Sanuto col. 1050: *Adì 28* (Decembris) *fu posto pel Doge e Consiglieri e ser Andrea Donato* (fortasse munus Sapientis Consilii agebat) *che sieno fatte le spese all'Imperadore*, (Constantinopolitano Venetiis proximanti) *con tutta la sua compagnia. Non fu presa*.

Graviorem deinde apud Florentinam Rempublicam suscepisse legationem, ut eos ad ineundum cum Venetis foedus adduceret, affirmat Joannes Baptista Recanatus eximius bonarum artium cultor in notis ad Historiam Poggii Bracciolini Venet. Edit. ubi Flavii Blondi, ipsiusque Poggii assertioni adversatur, qui ad eam negotiationem missum fuisse Jacobum Donatum scriptis commendarunt. Rem, de qua inter illustres adeo viros controversia est, paulo diligentius inquiramus.

Bellum agebat Philippus Mediolanensium Dux adversus Venetos, qui comparandis copiis ad afflictas res restituendas intenti Florentiam miserunt Oratorem Virum Clarissimum Mediceis inter Florentinos potentissimis amicitia apprime conjunctum. Ita Blondus Flavius Hist. decade III. Lib. IX. „ Missus est Florentiam Orator Jacobus ex Donata Gente
„ Pa-

„ Patritius vir cum dives & qui nullis unquam usus magi-
„ stratibus ab omni fastus suspicione quam longe abesset,
„ tum quod in rem fore pervidit Senatus, Cosmo & Lau-
„ rentio Mediceis esset amicitia conjunctissimus. Cujus effe-
„ cit humanitas, ut quem primo irridentes pene viderant
„ Florentini, prope diem exaudituri fuerint. *Mox paulo infe-*
„ *rius:* Interea Eugenius Pontifex Romanus, quod pestis,
„ quæ autumno Ferrariam depopulari cœperat, per hyemem
„ continuaret, sibi, curiæ, & concilio, quod per annum il-
„ luc habuerat, consulturus per Januarium Florentiam com-
„ migravit. Quo etiam suadente Florentini Jacobum Dona-
„ tum exaudientes ad Nonas Februarias, prima cum Vene-
„ tis, & Sphortia in quinquennium redintegrarunt fœdera „
Concordat in Jacobi legatione statuenda Petrus Justinianus Hist. Ven. lib. VII. hæc scribens „ Adversis Venetorum rebus
„ fortuna benignior arrisit: nam Nicolai Estensis Principis
„ consilio, Florentinorum, & Sforciæ societas tentata est,
„ ad quam Veneti statim respicientes ad utrumque legatio-
„ nem decernunt, Joannes Piso in Picenum, & Jacobus Do-
„ natus Florentiam „. Et Foroliviensi & Veneto Historicis adhæret Florentinus Historicus Poggius qui Historiar. Florent. lib. VII. Jacobum Donatum Venetorum ad Florentinos Oratorem enuntiat his verbis „ Misso (*Veneti*) Florentiam Jacobo
„ Donato Oratore, qui Cosmo Laurentioque fratri (hi pri-
„ marii civitatis habebantur) summa familiaritate conjunctus
„ erat, mandant, ut ab eis ceterisque civibus, qui ad id op-
„ portuni viderentur, contendat, det operam, ut Franciscus
„ mature eis subsidio submittatur. „ Adversus concordes has clarissimorum historicorum assertiones stare nititur Recanatus in notis ad Historiam Poggii, ipsumque Poggium simul cum Petro Justiniano errasse in Oratoris nomine, & in errorem Blondi causa lapsos esse contendit, missumque, ait, Andream Donatum, quod Florentinis acceptus crederetur, quippe qui anno MCDXXXIII, ut superius ex Ammirato attulimus, apud eos Legatus cum esset, Florentina civitate donatus fuerat. Arridet hæc opinio etiam Clar. Viro Apostolo Zeno, qui Tomo XXIII. Diarii Litteratorum Italiæ Editioni Historiæ Poggii a Recanato Venetiis factæ jure plaudens, ipsum de detecto Blondi, Justiniani & Poggii errore commendat,

cum-

eundemque temporum collatione emendatum fuisse dicit. *Il Signor Recanati ne palesa lo sbaglio, e lo convince col riscontro de tempi, mostrando che il nome dell' Ambasciadore fu Andrea il Cavaliere prestantissimo Senatore.* Argumenta igitur præcipua, quibus adductus legitur Recanatus, ut Andream non autem Jacobum statuat ad Florentinos anno 1439. pro Venetis Oratorem, sunt, quod Andreas pridem *Florentina civitate donatus* fuerit, & quod *Blondus paulo infra non satis memor* dixerit: *Andream Donatum, qui Venetias interea reversus, Patavium Prætor advenerat.* Fidem deinde sibi adstruit ex Hieronymi Corte Hist. Veron. par. II lib. 14, ubi ait Andream Donatum Florentia reversum Patavii Prætorem designatum fuisse: *Andrea Donato, il quale essendo tornato da Fiorenza, era stato designato Podestà a Padoa.* Ne autem asserta hæc nominis variatio in vitium Blondo vertatur, ipse se Historicus tuetur iis verbis, quibus peculiarem Oratoris conditionem signat, virum nempe fuisse *nullis unquam usum magistratibus, & ab omni* propterea *fastus suspicione* immunem, quæ rerum circumstantia nullo modo Andreæ convenire potest, quippe qui plurima domi forisque gessisset Reipublicæ munia, illudque in primis celeberrimum, Legationem nempe ad Patres Basileæ congregatos, ubi ob egregie acta negotia virtutis nominisque sui famam quaqua versus diffudit. Nec obstat, quidem quod Blondus *paulo infra* dicat *Andream Donatum reversum Patavium* Prætorem advenisse, hoc enim ex Historiæ contextu intelligendum est de Andrea Venetias reverso non Florentia, sed ex Athesis fluvii ripis, quo eum *cum copiis tumultuarie coactis* Senatus sollicite delegaverat, ut Piccininum a transmittendo flumine prohiberet. Audiendus est Blondus sibi nullatenus contradicens.

„ Cum autem Piccininus Athesim vel vado. vel adhibitis
„ pontibus transmittere aliquando intentasset, jussi a Senatu
„ Andreas Donatus equestris ordinis, ac Hieronymus Con-
„ tarenus copiis freti tumultuarie coactis eum prohibuerunt.
Enarratis deinde Piccinini pro traiiciendo flumine conatibus subdit: „ Et ne hostes Athesim aliquando ingressi liberum tu-
„ tumque in continentem haberent aditum, Andream Donatum,
„ qui Venetias interea reversus Patavium Prætor advenerat,
„ cum accitis raptim Patavinorum copiis curare jusserunt;

„ cui Tibertum Brandolinum Foroliviensem impigrum adolescentem trecentos ducentem expeditissimos equites adiunxerunt. „ Habes itaque ex Blondo dictorum suorum memore, Andream cum Hieronymo Contareno ad ripas Athesis missum, ex qua expeditione Venetias reversus, & Patavii Prætor designatus iterum adversus Piccininum cum Tiberto Brandolino destinatur. Et Blondi quidem aliorumque, quos memoravimus, illustrium scriptorum authoritas pluris facienda est, quam unica Hieronymi Corte assertio, qui ab Andreæ Donati tempestate mage remotus, cum fortasse ipsum reversum absolute legisset, ipsum Florentia regressum scribere non dubitavit. Nec profecto illustre hoc Donati munus tacite prætermisisset author Chronici Venerii, qui res dignitatesque viri accurate adeo prosequutus est, ut arcta ei sanguinis cognatione junctus autumari (quod superius diximus) potuerit. Et Jacobi quidem Donati tamquam summi inter Venetos viri mentionem agit in suo Hædeporico ad annum 1434 Ambrosius Camaldulensis his verbis: „ Deduxerunt nos „ (dum Venetiis degeret) viri illi summi humanitate præcipua, nostramque humilitatem ultra merita summe venerati sunt. Et in primis Marcus ipse Dandulus facile civitatis Princeps, Jacobus Donatus, & Ursatus Justinianus „ meus. „ Sed & in mss. Codicibus, & præsertim in Veneti Sanctæ Mariæ Servorum Monasterii antiquis diariis invenitur memoria illustris civis Jacobi Donati, cujus Filius Antonius nomine, ut notant supracitata diaria, anno 1461 die 18 Junii Medoaci fluvii aquis absorptus misere occubuit. Dubium autem omne, si quod videretur superesse, repellit Francisci Barbari epistola Pridie Kal. Januarii anno 1438 ad Jacobum Donatum missa, qua ei de compositis ab ipso rebus cum Republica Florentina gratulatur: Initium epistolæ exhibemus, quæ num. LXI signata reperitur in collectione epistolarum ipsius Barbari a Clariss. Cardinali Quirino Brixiæ vulgata anno MDCCXLIII.

Franciscus Barbarus Jacobo Donato Legato S.

„ Nuper a te litteras accepi istic datas III Idus Septembris, quæ sicut debent & mihi & populo Brixiensi gratissimæ fuerunt: quia postquam Deo auctore Brixia de manibus hostium periculosissimo tempore liberata est cum sua „ ingen-

„ ingenti clade; compositis illis rebus quas jam cum populo „ Florentino conclusisti, & quas cum Comite Francisco Sfortia jam conclusas judicasti, jacta erunt, ut videre videor, „ fundamenta non solum defendendæ libertatis Italiæ, sed etiam conservandæ & amplificandæ dignitatis suæ.

Hac itaque rerum veritate explorata, ommissaque asserta hac Andreæ ad Florentinam Rempublicam legatione, ipsius potius bellica gesta ad cohibendos Piccinini conatus ex laudati Blondi Historia recenseamus. Quum igitur (statutis inter fœderatos Principes adversus Philippum Insubrum Ducem belli conditionibus) Piccininus Mediolanensis exercitus Imperator., „ Athesim vel vado vel adhibitis pontibus transmittere intentasset, jussi a Senatu Andreas Donatus equestris ordinis, ac Hieronymus Contarenus copiis freti tumultarie „ coactis eum prohibuerunt. *Nec multo post cum Piccininus* in „ Veronensem Paduanumve agrum *copias traducere cogitaret*, „ *Veneti*, ne *eorum* hostes Athesim aliquando ingressi liberum tutumque in continentem haberent aditum, Andream „ Donatum, qui Venetias interea reversus (*ex prima scilicet expeditione*) Patavium prætor advenerat, cum accitis „ raptim Patavinorum copiis curare jusserunt, cui Tibertum „ Brandolinum Foroliviensem impigrum adolescentem trecentos ducentem expeditissimos equites addiderunt. Nec tamen „ adeo prope potuit Andreas accedere, quin Philippenses „ opposita ad Castagnarium repagula evulsuri, classem *e Pado traductam* appulissent. Resistebant vero de Molinus Contarenusque *classis Venetæ præfecti*, audacissime; quamobrem „ Piccininus Gonzagaque visis Andreæ copiis quæ præsidio „ accesserunt, ... Athesim octo galeonibus ingressi mille armatos, in quibus sagittarii erant frequentissimi, exposuere. „ Tum Andreas eam hostium paucitatem .. ea ratione contempsit, quod sine equitatu, qui navibus illis adduci nequiret, nihil læsuri essent, & hostem si expectasset undique „ & a tergo & a fronte, & a sinistro latere invasurus pontem sub castro Baldo in eam, quæ paludes ab Athesi dividit, salictorum uliginisque potiusquam aggeris intercapedinem instituit .... Ponte Donati propemodum perfecto Philippensium ductores loco diffisi retrocessere. At Veneti quo „ tempore Philippenses in vada Maloperæ perruperant, clas-

„ sem destinantes Darium Maripetrum Imperatorem declaraverant, Gattamque accersiverant ... Impellebantur interea a Philippensibus nixu maximo per Panegum galeoni, quorum ingressum in Athesim expavescens Gatta copias omnes adduxit, equites octo pedites ad sex millia, quibus omnem aggeris marginem aliquot milia passuum complentibus, classim, Præfectis Maripetro & de Molino, ut in superiora ducerent ostium Panegi occupaturi, suadere conatus est; hortatus est etiam pariter, & Senatus authoritate jussit Andreas Donatus... Paruit autem dicto de Molinus, & movit loco licet hæsitans Maripetrus, quod cum in ea vicinitate pervidissent Mantuani milites, bombardas *ex Athesi ripis* in continentem retraxerunt . . . . . ad quarum crepitum Darius Maripetrus, qui prece victus & Gattæ minis prope accesserat, substitit, insidias sibi ab hoste structas affirmans. Tum datam tenentes occasionem Philippenses deductos ad Panegi ostium galeonos in Athesim præcipitavere, quorum ductores non prius jaciendo ponti vacare voluerunt, quam quinque Venetorum galeonos insecuti cœperunt a gubernatoribus & milite derelictos. *Quo tempore major ab equitatu* peditatuque Venetorum commissa est, quam a Dario ignavia, quandoquidem nullus e tanto exercitu tandiu expectavit, ut hostem trajecisset nec ne potuerit inspicere. Gattam multi, plures Donatum admissæ ea in fuga turpitudinis accusant: sed cum illum ab ea nota redimere videatur anteacta probitas; tum hujus factum damnat judicium de eo publice factum Venetiis ab tribunitiæ potestatis populi advocatis (*advocatoribus scilicet, ut vocant, Communis*) qui Senatu tunc amoto magistratuum gerendorumve publicorum munerum jus illi in annum ademere. „ Hanc ignaviæ notam nullus scriptorum, si unum Blondum excipias, Andreæ aperte infligit, eam tamen confuso modo, ut mos sibi est, innuere videtur Sanutus in Chron. col. 1074 his verbis. *Adi* 17 (Martii) *Gli Avvogadori andarono alla Signoria dicendo che tutta questa terra gridava contra di que', che aveano fatto disonore a questo stato, e massime contro il Malipiero, e il Navagero. Messer lo Doge disse loro, che per ora non ne facessero altro, perchè col tempo si provvederebbe. Si tiene che il Doge voglia, che la cosa vada*

sotto

sotto di se, intravenendo Andrea Donato il Cavaliere ...... a Padova suo parente, sicchè il fatto del detto scuserà quello d'altri, avvegnachè per Gattamelata sia stato scritto poco bene. Labem igitur socordiæ Donato illatam leviter attingit Sanutus, sed nullam de eo actam fuisse quæstionem memorat, quapropter autumo, haud inverisimile esse, Blondum Flavium pœnam alio tempore aliaque de caussa (ut mox dicemus) Donato statutam, ad indecorum hunc pugnæ exitum retraxisse. Et quidem nullum habitum fuisse de Andrea Tribunitium judicium ex ipso Sanuto arguimus, qui notat in Chron. col. 1077 Andream Donatum Equitem octo Patavinis Oratoribus sociatum circa diem XIV Junii ejusdem anni 1439 Francisco Sfortiæ supremo Veneti exercitus Imperatori Venetias proficiscenti obviam honoris causa processisse. Anno autem insequenti 1440 eidem Francisco Comiti Sfortiæ Venetias adventanti missum fuisse cum aliis tribus Oratorem Andream Donatum Equitem refert sæpe citatus Sanutus col. 1091 his verbis: *Adì 20* (Martii) *la Domenica dell'Ulivo venne qui Troillo* (hic erat militum Dux) *a nome del Conte Francesco e disse alla Signoria, come il detto Conte domane sarebbe a Padova. Onde pel Collegio furono mandati quattro Gentiluomini a Padova a visitarlo, Orsato Giustiniani Cavaliere, Andrea Donato il Cavaliere, Giovanni Pisani, e Orio Pasqualigo. Dio voglia che la sua venuta sia utile.*

Absolutis tum Patavina Prætura, tum brevi hac legatione, Andreas novo Senatus mandato ad Ægypti Regem (Califfum, & Soldanum vocant) Legatus mittitur, ut oppressum Venetorum commercium a gravissimo vectigalium onere liberari curaret. Id refert Sanutus, & anonymus scriptor in sæpe citato Venerio Chronico: *Andò poi Ambasciator al Soldano d'Egitto, e gionto che fu al Cairo quegli lo mandò ad incontrare da molti de principali della sua corte, e nel Castello della Città lo ricevette con molte dimostranze di stima. Il motivo dell'Ambasciata nasceva dai troppi gravami che i sudditi del Soldano imponevano ai mercanti Veneziani. Il che esposto dall'Ambasciatore, il Soldano ne mostrò molto risentimento, e diede risoluti ordini, che i Vasseli e gl'uomini della Republica non avessero a pagar alcuna imposta, e fossero amichevolmente trattati. Ricevè da esso i presenti mandatigli dalla Signoria consistenti in*

panni

panni Scarlati, Cristalli nobilmente lavorati, e guerniti d'argento, e altre cose preziose per materia e lavoro ascendenti al prezzo di 3 milla ducati doro. Nel licenziarsi dall' Ambasciata lo fece vestire d'un drappo d'oro nobilissimo, e mandò per esso a regalare la Signoria di Zebellini, balsami, porcellane, tapezzarie, & altre cose di molto valore. Per tutto'l tempo che stette'l Donato al Cairo, il Soldano lo fe spesare del suo, dandogli ducati dieci al giorno, e poi lò fe accompagnare alla sua Gallea, consegnandogli in oltre una sua graziosissima lettera per la Signoria piena d'espressioni di benevolenza, e di stima. Giunse il Donato a Venezia adi 21. Genaro 1442. M. V. Epistolæ ab Ægyptio Rege scriptæ affert titulum & chronicas notas Marinus Sanutus in Chronico pag. 1107. Addit deinde superius citatum Chronicon.

Nel 1443. fu Ambasciator a Genova, che s'era tolta dal Dominio del Duca di Milano, ed era ricorsa per agiuto alla Signoria. Il Donato s'interpose poi per la pace fra quella Città, e'l Duca avutane facoltà dal Senato, e con molta sua gloria ne maneggiò, e concluse l'accordo...

Hasce legationes recenset etiam aliud mſ. Chronicon, cujus fragmenta superius dedi, ejusque verba heic proferenda ideo censeo, quod in iis nonnullæ peculiares notentur circumstantiæ.

„ Adi 21. Zener 1442. Zonsero a Venezia le Gallie d' „ Alessandria, e con quelle „ venne Mis. Andrea Donado Cavalier tornado d'Ambasciador dal Soldan il qual „ referì esser sta ben visto & „ onorado. Et lamentandose „ detto Mis. Andrea delle Manzarie, & Garbugli che venivano fatti alla Nazion „ Veneziana, Lui Soldan fece „ chiamar l'Armiraglio commandandogli, che subito „ mandasse commandamento „ in Alessandria a quelli Si-

Die XXI. Januarii anno MCCCCXLII. Triremes Alexandria reduces Venetias appulerunt; cumque iis Andreas Donatus Eques, qui a legatione apud Califfum redibat & se egregie exceptum narravit, & honoribus cumulatum. Cum enim ipse conquestus esset de vexationibus & dolis, quibus Veneti Mercatores gravabantur, Ægyptius Rex Præfectum suæ classis accivit, jussitque vulgare tota urbe edictum, quo indiceretur Præsidibus Alexandrinis velle se Vene-

gno-

„ gnori, che Lui voleva che „ Veneziani fossero trattati „ come la sua propria perso- „ na, e facendo altramente „ li farà inganzir... e al suo „ partir detto Soldan gli do- „ nò una bella vesta doro, e „ mandò a donar alla Signo- „ ria due Zucche balsamo fin, „ trenta pezzi di lavori di Por- „ cellana, & Muschio, & Zi- „ beto in gran quantità. Il Fi- „ glio di deto Soldan mandò „ a donar due Tapedi gran- „ di, & assai Zebellini, & al- „ cuni panni di seta; appres- „ so detto Soldano fece dare „ ducati diese ogni zorno a „ Mis. Andrea per le spese, „ & scrisse una buona, & dol- „ ce lettera di questa sua volontà.

tos ita haberi, ut ipse habebatur; ab eo qui secus faceret suspensum iri. Discedenti Andreæ vestem auream pulcherrimam dono dedit, Venetoque Dominio phialas duas Balsami selectissimi misit, & triginta vascula ex portulaca, tum ingentem mosci & zibeti, ut vocant, quantitatem. Califfi filius duos amplos tapetes misit, pluresque murium ponticorum pelles & aliquot texta serica. Singulis etiam diebus Rex decem nummos argenteos dari jussit Veneto Legato pro quotidianis impensis, & amicam scripsit & comem epistolam de hac sua erga Legatum benevolentia.

Deinde ad annum insequentem 1443.

„ Adi 3. Marzo fu fatto „ Ambassador a Zenova Mis. „ Andrea Donado Cavalier „ Zenero de Mis. lo Dose.

Die III. Martii Designatus fuit Orator apud Januenses Dom. Andreas Donatus Eques Gener Domini Ducis.

Ex tot illustrium Legationum meritis maximam sibi conciliavit Andreas apud omnes famam, cujus celebritate non solum suis civibus, sed extraneis etiam innotuerat; de quo elogium eo gravius quo brevius scripsit in vita ms. Francisci Foscari Ducis Æneas Sylvius Piccolomineus: *Magnus vir apud eum* (Franciscum Foscarum) *est Andreas Donato, quem Veneti sæpe in Legationibus fatigant; illum enim Sigismundus militem creavit, apud quem sæpe fuit*. Andreæ itaque maximam in Republica authoritatem cum percepisset mox laudatus Æneas Sylvius, qui postea Pius II Pontifex Maximus fuit, eoque tempore in Laicali statu adhuc versabatur, virum quemdam illustrem Gasparem Schlick nomine Cesareæ Majestatis Cancellarium ei per epistolam commendavit, pro

re

re pecuniaria, quam cum Veneto Senatu se agendam habere asserebat. Æneæ litteras hasce dolemus deperditas; epistolam tamen, quam Andreas rescripsit, insertam legimus operibus ejusdem Æneæ Sylvii pag. 745, eamque typis licet vulgatam, cum unicum nobis supersit argumentum latinæ in Andrea litteraturæ comperiendæ, atque haud multis constet lineis, hic in lucem iterum efferre decrevi. Unicum autem dixi argumentum; *Vitæ enim ducum Venetiarum*, quarum authorem fuisse Andream Donatum effert Clar. Vir Apostolus Zenus in Diario Litteratorum Italiæ Tom. IX pag. 385 non ex ipsius calamo prodierunt, sed eas Antonius Eques ipsius filius concinnavit, ut testatur ipse laudatus Zenus in Præfatione ad Venetam Historiam Sabellici pag. X Edit. Ven. anni 1718. Hæc est igitur Andreæ epistola.

„ Andreas Donatus Eques Venetus Æneæ Sylvio Poetæ
„ doctissimo

S. P. D.

„ Nuperrimæ literæ tuæ mihi obsignatæ fuerunt, quas li-
„ benter perlegi, & eo libentius, quo clarius salutem Ma-
„ gnifici Gasparis (Schlick Cancellarii Imperialis) concepi,
„ quę mihi prope domum clarissima est; vidi prętera ex ip-
„ sis literis quid de re pecuniaria, quam cum hoç Senatu
„ agere habet, (*a*) ad me scribis, quidve nuntii vestri huc
„ profecti sapienter attulerint, luculentius percepi. Deus qui-
„ dem mihi testis est quem animum, quam diligentiam in
„ omnibus comodis ejus semper habuerim, habeam, & habi-
„ turus sim, cætera prætermittens modo satisfacere & inser-
„ vire possem suæ magnificentiæ, cui pro ejus summa in
„ me benevolentia, quam magni facio, obnoxius sum, nec me
„ ullus labor gravaret, aut ponderis quantitas, aut verbo-
„ rum prolatio, quę passim maxima est in Republica, ex
„ quibus quandoque aures alienę obtunduntur. Omnia nam
„ in

(*a*) Rem hanc pecuniariam, quam cum Veneto Senatu agere habebat Gaspar iste Sigismundi Cæsaris Cancellarius, memorat ipse Æneas Sylvius in vita M. Francisci Foscari Ducis, in qua hæc habentur: *Gaspari Cancellario adhuc quatuor millia debent Veneti, quem cum ego petivissem nuper in Senatu eorum, sic enim mihi Gaspar commiserat, risum magis quam pecuniam reportavi.*

„ in me concurrunt, ad rem ipsam bene & optime conficien-
„ dam, quia nisi a me ita magnum fieri possit, quo benevo-
„ lentiæ & dignitati suæ gerere morem mihi satis esset. Sed
„ sicuti scit ejus magnificentia, quæ novit mores hujus Rei-
„ publicæ, cujus voluntati Majores & minores succumbunt;
„ sum civis hujus civitatis, & quamquam & authoritatis &
„ dignitatis locum aliquem teneam, tamen deest mihi potestas
„ aliquid faciendi sine authoritate & mandato hujus Senatus,
„ qui regimini omnium præsidet; indulgeat ergo magnificen-
„ tia sua si ita sufficienter votis ejus non satisfit, cognoscit
„ enim rerum causas, quibus res ipsa differtur, quod tamen
„ differtur, non aufertur, semper autem in ea re & cæteris
„ me promptissimum habebit, qui omnem operam curam &
„ studium adhibere numquam desistam, quod reliquum quidem
„ est, a nuntiis vestris sententiam & opinionem meam clarius
„ vivæ vocis oraculo senties, quam ejus Magnificentiæ refer-
„ re poteris, cui me obnoxium commendatum facies. Vale
„ felix ex Venetiis die XII. Januarii anno 1444.

Postremam, qua apud exteros Principes pro Republica Veneta functus est, legationem enuntiat sæpe citatum Chronicon Venerium his verbis: *Nel 1445 adi 15 Aprile ritornò dalla sua Ambasciata al Pontefice* (erat hic Eugenius IV. ad quem tertio missus fuit Orator Andreas) *al quale s'era trasferito per far confermare da Sua Santità l'accomodamento fatto tra la Republica* (cujus documentum legitur in Codice diplomat. Italiæ Tom. IV.) *e il Patriarca Lodovico d'Aquileja*. Hanc etiam Legationem recenset alterum multoties enuntiatum mſ. Chronicon. In patriam redux Andreas cum regiminis Thomæ Duodo, qui Cretæ Ducha præerat, terminus instaret, eidem successor in Supremis Comitiis designatur anno 1446. Ad eam itaque Insulam eodem anno appulsus, cum supremam ejus administrationem ageret, improviso a longæva rerum prosperitate ad ærumnosam tristemque conditionem detrahitur; missa enim anno insequenti 1447. Venetiis publico decreto triremis Cretam appulit, ut Andream Venetias deduceret sese de illato crimine purgaturum. De quo autem crimine adductus fuerit in judicium Andreas diffident scriptores, quorum aliqui de mala publicæ pecuniæ administratione dum Patavium regeret, reum fuisse scribunt, alii vero Francisci Sfortiæ corruptum

fuisse muneribus asserunt, ut ejus eloquentiæ patrocinium in Senatu res suas tueretur. Integram rei seriem usque ad Andreæ obitum enarrat Chronicon Venerium hoc modo.

„ Adi 3. Aprile 1447. el so „ armado a Venezia una Galia per mandar a tuor Mis. „ Andrea Donado Cav. il qual „ era Duca in Candia per alcuni suoi mesfati in la città „ de Padoa in fato de denari „ de la Signoria chel haveva „ mal ministradi, il qual Mis. „ Andrea era Zenero de Mis. „ lo Doxe. Et a di 28. Mazo el „ zonze a Venetia el preditto „ Mis. Andrea Donado cum „ la dicta Galia, e subito fu „ messo in preson & datoli de „ la corda, e per quello che „ confessò fu condannato per „ il Conseglio de X. che subito el pagasse Duc. 1500, „ e a star due anni in preson „ & cusi fece, e fu bandizato „ del Consegio de Venetia, & „ compido la preson se ne andò a Roma, & il Papa lo „ fece Senator de Roma, dove andò del 1449. Et compido d'esser Senator ritornò „ a Venetia, dove el morite, „ e fu sepolto in la Giesia di Servi cum grande honor a modo de Cavalier.

Die III. Aprilis anno MCCCCXLVII. Instructa fuit Venetiis Triremis, ut adduceret Dom. Andream Donatum Ducam Cretæ & Ducis Venetiarum Generum ob pecuniam publici ærarii ab eo, dum Patavio præesset, male administratam. Venetias Andreas appulit die XXVIII. Maii ea Triremi devectus, statimque carceri addictus & fune tortus fuit, cumque crimen fassus esset, Xvirum sententia ad præsentem solutionem M & D. argenteorum, atque ad biennalem carcerem, nec non ad externum a Venetis Comitiis exilium damnatus fuit. Absoluta carceris pœna Romam petiit, ubi eum Summus Pontifex Urbis Senatorem instituit. Completa deinde muneris periodo Venetias rediit, ubi extremum diem clausit sepultusque fuit in Ecclesia Servorum solemni, ut equitem decet, honore.

Ipsam dissipati ærarii notam Donato infligit Andreas Cornelius in Cretensium rerum mss. Chronico scribens: *L'anno 1447. adi 3. Aprile fu in Venezia armata una Galera per andar a tuor Andrea Donato Cavalier Duca de Candia per alcuni suoi mancamenti commessi nella Città di Padova con l'haver male amministrato l'errario publico. Questo era Genero del Doge Foscari, e al-*

e alli 28 di Maggio capitò esso Donado a Venezia con la Galera sopradetta, e subito fu messo priggione, e datagli la corda per quello che confessò fu condannato dal Conseglio di Dieci a dover pagar ducati 1500, e star due anni in priggione, e poi fu bandito perpetuamente dal Conseglio. Così terminata del 1449 la priggionia si portò a Roma, e il Papa lo fece Senator di quella Città. Gravius imputant Donato crimen tum Sabellicus & Petrus Justinianus in Historia Venet. tum Æneas Sylvius Piccolomineus, arcta, ut supra diximus, Andreæ amicitia devinctus; quorum primus Histor. Venet. Decade III. lib. VI. „ Andreas Donatus, *ait*, Sforciæ largitionis reus ex Creta, quam insulam Ducaria potestate administrabat, jussu „ patrum advectus, ad Decemviros causam dixit: Eum quæstioni subjectum Decemviri mille ac quadringentis damnatum publica administratione privarunt; & quod pene gravius fuit per annum in vinculis esse voluerunt. „ Sabellico concors est Petrus Justinianus Venetæ Historiæ lib. VIII. sic scribens. „ Andreas Donatus qui tum Cretæ Dux erat, „ jussu Patrum ex Insula devectus publica administratione „ privatur; mille insuper & quadringentis nummis aureis damnatus est, & per annum in vinculis habitus ob largitionem, „ qua eum Sfortia corrupisse dicebatur, ut ejus patrocinio favoreque in Senatu uteretur. „ Nec absimili modo Donati culpam suppressa ejus pœna enuntiat Æneas Sylvius in oratione coram Friderico Romanorum Rege habita de morte Eugenii IV, & coronatione Nicolai V. in qua de Andrea Donato, qui circa id tempus damnatus fuerat, hæc profert, ut legitur in Tom. VII. Miscell. Stephani Baluzii. „ Nullum de proditione licet arguere, qui pacta servavit; sed „ aperiendi sunt in conventionibus oculi. Licere Francisco „ Sforciæ sine violatione fœderum ducem repetere rumor erat; „ jamque conclusum ferebant, dum captus est apud Venetos unus ex Cancellariis ejus, qui tormentis adactus secreta Comitis pandere quamplures cives Senatorios fassus est „ pecunia Francisci corruptos; atque inter hos Andreas Donatus Dux Candiæ nominatus est; ad quem intercipiendum missum retinere ferebat nonnullos alios salutem fuga „ quæsisse. „

Et quidem verisimile est Æneam Sylvium virum gravissi-

mum certam de vera culpa habuisse notionem, siquidem ipse recentem rem peculiari notatam circumstantia eo ipso capti damnatique Andreæ anno coram Maximo Principe haud ambiguus exposuit.

Dissentiunt igitur a vulgatis gravissimis Historicis non solum in statuenda criminis ratione, sed etiam in recensenda utriusque pœnæ gravitate, ambo quos enuntiavimus, scriptores in suis chronicis mss., dum Andream Donatum de male administrato ærario reum M. & D. argenteis mulctatum biennali carcere addictum asserunt, adversantibus omnino Sabellico & Justiniano qui Andream Sfortiæ Principis male accepta pecunia corruptum, ad solutionem M. & CCCC. aureorum, & ad carceris pœnam per annum subeundam damnatum fuisse scripserunt; quibus etiam concordat ms. anonymi authoris sæpe citatum Chronicon, in quo Donatus fœda corruptæ fidei culpa notatur.

„ Adi 14 Aprile 1447 per co-
„ mandamento del Conseglio
„ de X fu armado una Galia
„ Patron di quella s. Benetto
„ da Lezze, e fu mandada a
„ tuor Mis. Andrea Donato
„ il qual era Duca di Can-
„ dia, & adi 27. Mazo zonze
„ a Venezia e menò il detto
„ Mis. Andrea e subito fu mes-
„ so in preson in camera del
„ Tormento, e datagli più
„ fiate la corda per modo chel
„ confessò secondo che l'ave-
„ va habuto danari dal Conte
„ Francesco Sforza per provi-
„ sion & altre cose fatte per
„ modo tale, che adi V. Zu-
„ gno fu condannato il sudet-
„ to Mis. Andrea Donado per
„ il Conseglio di X. con la
„ Zonta di star un anno in
„ preson nuova, e pagar du-

Die XIV Aprilis anno MCCCCXLVII Decreto Decemviralis Consilii instructa fuit Triremis, cui præerat Benedictus Legius, ut Creta abduceret Dom. Andream Donatum tunc in Cretam Ducham; qui ea triremi vectus Venetias appulit die XXVII Maii, addictusque fuit carceri in cubiculo tormentorum. Fune itaque pluries tortus fuit, ita ut fassus sit se a Comite Francisco Sfortia recepisse pecuniam provisionis titulo aliasque res; quapropter die V. Junii Xvirum aliorumque Judicum additorum sententia in carcerem novum damnatus fuit ad annum, mulcta etiam pecuniaria indicta M. & DCCC. aureorum, insuper æterno exilio a majoribus Comitiis atque ab

„ cati

„ cati 1800 d'oro, e ſempre
„ bandio dal Conſegio de Ve-
„ netia e da offizj e beneficj
„ dentro e di fuori sì da mar
„ come da terra.

omnibus tam internis quam
externis Reipublicæ muneribus
& officiis terra marique ex-
pulſus.

Quid in adeo diverſis ſcriptorum aſſertis ſtatuendum ſit, quorumve authoritati adhærendum, quiſque ex libito ſententiam ferat.

Id autem præ cæteris in illuſtris hujus ac tam benemeriti civis judicio notandum eſt, nihil antiquius majores noſtros habuiſſe, quam ut imperii ſui durationem conſtanti legum obſervantia tuerentur, neque enim facilius interna Principatuum felicitas corruit, quam ſi ad emendanda flagitia juſtitiæ rigor deſpicatui habeatur.

Ad hæc etiam addere oportet, quæ ad Andream jam a *Cretenſi adminiſtratione* ſubmotum ſpectantia refert Joannes Palatius in Faſtis Ducalibus geſta Franciſci Foſcari Ducis exponens; adventu enim Federici Imperatoris in urbem Venetam enarrato, ſubjungit. „ Dux Foſcarus Imperatorem epulo excepit „ lautiſſimo. Plura intercedenti Imperatori Foſcarus autho- „ ritate Senatus non diſſenſit, duobus exceptis; ordine ſci- „ licet patritio in gratiam Auguſtini Ciera vulgo *dal Banco*, „ & reſtitutione Andreæ Donati Cretenſi adminiſtratione ſub- „ moti ob ſuſpicionem amicitiæ cum Sfortia Inſubrum V. „ Comite. Utrumque negavit juſtiſſimus Princeps, quamvis „ Donato arctiſſimo ſanguinis nexu junctus, cum ei filiam „ nuptui dediſſet. Laudavit Cæſar legum obſervantiam & ze- „ lum Principis. „ Joanni Palatio concordant Paulus Maurocenus Hiſt. Venet. lib. XXVII qui id in publicis regeſtis aſſervari teſtatur, quamvis ex æquivoco ſcribat, exilio Andream Donatum ob male adminiſtratam Cretenſem Præfecturam affectum fuiſſe, & Alexander Maria Vianolus Ven. Hiſt. lib. XVIII aſſerens, Senatum ſe prudenti reſponſo ab utriuſque gratiæ conceſſione ſubtraxiſſe.

Andream itaque poſt ſtatutam ſibi carceris periodum Romam, ubi tot illuſtria ſuæ virtutis monimenta reliquerat, ſe ſe privatum contuliſſe referunt concordes, author Chronici Venerii & Andreas Cornelius in Cretenſi Chronico, quorum aſſertione addiſcimus, Andream ipſum a Pontifice Maximo Ni-

colao

colao V humanissime acceptum Senatoria Almæ urbis dignitate (quod munus præcipuis, & aliquando Principibus viris deferebatur) decoratum fuisse. Nulla delati hujusce muneris apud Venetos scriptores mentio est, quæ tamen frequens reperitur in regestis Romani Capitolii; in codice enim signato numero 55, in quo series habetur Senatorum Romæ hæc notata leguntur pag. 47.

„ 1450 Andreas Donatus Venetus

„ 1457 Galferanus de Rides Catalanus

In eodem etiam regesto pag. 103 descriptus visitur hic titulus „ Senatores & Conservatores descripti in Statuto Artis „ Lanæ

Deinde pag. 130 tergo hæc sequuntur

„ 1450 Andreas de Donato Senator de anno 1450 tem„ pore dicti Nicolai

„ 1457 Galferanus de Rides Senator anno 1457 tempore „ Calixti III

In alio autem regesto ejusdem Archivii notatum legitur pag. 102

„ *Andrea Donati Cavaliere Veneziano fu Senatore di Roma* „ *l'anno* 1449 *nel Pontificato di Nicolò V*, *confermò li Statuti* „ *dell'arte della Lana come siegue*

„ Nos Andreas Donatus Miles Venetus Almæ Urbis Se„ nator Illustris confirmamus die 13 Decembris 1449 tem„ pore Nicolai Quinti &c. Per Marianum Scalibastri Notarium.

Et die 5. Februarii 1450. confirmavit etiam statuta artis lanæ. Etiam opificibus laguncularum sua statuta confirmavit.

„ Nos Andreas Donatus Miles Venetus Almæ Urbis Se„ nator Illustris anno 1450 die 24 Martii confirmavimus „ tempore Nicolai V &c. Per Joannem Mathiam Prothono„ tarium.

Statuta quoque mercatorum qui laneos pannos vendunt, sua confirmatione roborasse legimus.

„ Anno Domini 1450 Indictione XIII die XI Augusti.

„ Magnificus Vir Dominus Andreas de Donato Miles „ Venetus Almæ Urbis Senator Illustris confirmavit &c. Per „ Joannem Mathiam Prothonotarium.

Sed & aliæ quoque artis, quam *de Bancherotti* vocant, approbasse statuta, noscitur ex ipsius artis codice ms.

„ Anno

„ Anno Domini 1451 Pontificatus Sanctissimi Domini no-
„ stri Nicolai Quinti Indictione XIV Mensis Januarii die
„ VII confirmata per Magnificum Virum Dominum Andream
„ Donatum militem Venetum Almæ Urbis Senatorem Illu-
„ strem dummodo non patiantur &c. Per Antonium de Si-
„ nibaldis Prothonotarium.

In *Tabula* etiam *Chronologica Senatorum Urbis*, quam *a Romulo Fundatore ad annum æra Christianæ MDCCLI* contexuit Joannes Franciscus Cecconus Romanus, inter *Boncambium Boncambii Perusinum*, *& Nicolaum Porcinati Aquilanum* legitur grandioribus litteris notatus ANDREAS DONATI VENETUS; qui in ea dignitate prædecessores habuit, ut ex eadem Tabula Chronologica patet, alios duos ex Veneta Nobilitate viros majusculis pariter characteribus enuntiatos, Zaccariam Trivisani Venetum, atque Eustachium Gritti Venetum. Quod autem ejusmodi litteris recenseantur hi tres Veneti, hoc ad ipsorum decus refertur, siquidem eo modo scripti visuntur viri illustres, qui hoc munus obtinuerunt, cujusmodi sunt *Carolus Rex utriusque Siciliæ: Enricus Infans Regis Hispaniarum, Ludovicus Dux Bavariæ; Jo: de Savigni a Burgundia Dux*; *Robertus Rex Neapolis*, *Ludovicus Bavarus Imperator*, *Ugo Lusignanus Rex Cypri*, *Petrus Combelforti Cardinalis postea Gregorius XI. Petrus Stephaneschi Cardinalis*, *& Ladislaus Rex utriusque Siciliæ*. Interea dum illustre hoc munus administrat Andreas, Romam accessit Imperiali diademate a Summo Pontifice coronandus Fridericus hujus nominis III Romanorum electus Imperator, is nempe, quem superius notavimus pro restituendo in patriam Andrea exule apud Venetum Dominium, irrito tamen, egisse. Cæsari honorifice suscipiendo cum obviam processissent XIII S. R. E. Cardinales plurimis tum Episcopis tum Prælatis stipati, Andreas etiam Senator Ministris Curiæ, & Civibus Romanis comitantibus in occursum ejus venit aureo habitu, & pelliceis ornamentis inductus; quem cum ex Interpretis relatu agnovisset Fridericus, detracto sibi pileo humanissime amplexum salutavit, mirantibus universis, Imperatorem qui Cardinalibus ipsum salutantibus vix caput flexerat, Andreæ Senatori pileum detraxisse, ipsumque adeo dignanter apertis ulnis amplexasse. Rem notatu apprime dignam exaravit in suo Diario Romano (taci-

to

to tamen Senatoris nomine) Stephanus Infeffura; quem quidem diarium inferuerunt Joannes Georgius Eccardus in corpore Hiftor. Medii Ævi, Tom. II, & Ludovicus Muratorius in Rerum Italicarum collectione Tom. III. Parte II.

Del 1452. lo Imperadore Federico venne a Roma a coronarsi, ... e la prima posata fece in Casa di Tomaso Spinelli fuor di Porta Viridaria alla Croce di Monte Mario, & accompagnatolo tredeci Cardinali, e molti Vescovi, & Prelati, e lo Senatore con tutti li Officiali Romani, li quali li giro incontro lui, si fermò nel suo Cavallo, e recepe la salutazione di tutti coloro, che lo vennero a visitare, e quando li Cardinali se li partavano, a pena che lui inchinava un poco la testa, e così, e non tanto faceva alli Vesc ovi, e doppo venne lo Senatore Romano con gl' altri Officiali e Cittadini Romani, e lo Senatore stava vestito in broccato con quella beretta e con maniche, & ornamenti di pelle, con le quali va allo Testaccio, e Nagoni, e quando salì poco inanti, & salutolo, lo detto Imperatore addomandò lo suo Interprete, che era questo, e lui li disse; lo Senator di Roma, allhora lo Imperatore se li cavò lo Capello, & abbracciolo, e feceli molto honore, & ogn' uno si maravigliò, che alli Cardinali appena haveva inchinato lo Capo, & allo Senatore si cavò lo Capello.

Memoratur etiam Andreas Donatus fub titulo Illuftris Senatoris in fupplicatione, quæ nomine *Illustrissimi Ducis Venetiarum ac Illustrissimæ Ducissæ ejus uxoris, & Dominæ Camillæ ejus filiæ & Illustris Senatoris uxoris* Nicolao Papæ V. porrecta fuit, quamque ad illuftrandas Francifci Fofcari Ducis memorias alibi ex integro in lucem adduxi.

Abfoluto deinde officio Andreas in patriam reverfus eft, ubi Soceri fui Francifci Fofcari Ducis Venetiarum depofitionem, & paulo poft fubfequutam mortem doluit, cujus quidem jacturæ nuntium, ut fcribit Marinus Sanutus in Chronico col. 1165, Pafcali Maripetro electo nuper Duci Venetiarum in Ducali Bafilica Sancti Marci pro folemniis adftanti detulit. *Adi primo di Novembre* (ita Sanutus) *il giorno d' Ogni Santi essendo il Doge nuovo nella Chiesa di S. Maria* (irrepfit Sancta Maria pro Sancto Marco; & enim Dux Senatu fociante in Ecclefiam Sancti Marci convenit ad Divina Officia, nullamque invifit Ecclefiam Sanctæ Mariæ dedicatam) *alla Messa, venne a lui Ser Andrea Donato il Cavaliere*

Gene-

Genero del detto Foscari Doge, e disse a Messer lo Doge la morte del Suocero, che parve a tutti gran cosa. Certum itaque cum habeamus Andreæ Donati in patriam regressum, nihil tamen constat de emortuali ipsius die; quamvis enim ex sæpe citato Venerio Chronico teneamus in Ecclesia Sanctæ Mariæ Servorum magnifico funere, ut equitem auratum decebat, elatum sepulturam familiæ suæ pridem constitutam habuisse, attamen neque in Necrologiis, neque in diariis ejusdem Monasterii aliquam accurate requirenti invenire datum est mentionem de obitu aut sepultura Andreæ Donati Equitis; & quidem ii regestuum libri accuratissime exarati memorias exhibent & Bartholomæi Donati Procuratoris Patris Andreæ, qui obiit die VII. Junii anno 1431, & Claræ Matris die 25. Augusti anno 1429. defunctæ. Pari quoque diligentia Antonii Equitis Andreæ filii, cæterorumque ex nobilissima familia virorum dies obitus, & depositionis (unico excepto Andrea Equite) in iisdem diariis exarantur, quippe qui omnes de Sacro Servorum Ordine meriti ejusdem Cœnobii procuratorium munus (quod nunc mihi est honori) religiose exercuerunt; sibique in sacra æde emortualem requiem statuerunt, habita in sepulcrali epigraphe tum Bartholomæi Procuratoris Patris, tum Andreæ Equitis filii peculiari mentione:

„ Clarissimo V. Bartholomæo Donato Sancti Marci Pro-
„ curatori, ac ejus Filio Andreæ Ordinis Equestris V. Mul-
„ tis Domi Foris Ac Diversorum Locorum Dignitatibus In-
„ signi Posterisque Omnibus Sepulcrum P.

Nova deinde gloriæ incrementa Andreæ Genitoris nomini attulit Antonius ejus filius, vir equestri dignitate multo minus quam doctrinæ, rerumque bene actarum laude spectabilis; eam autem avi gloriam mirum in modum auxit Hieronymus nepos, vir in liberalibus & severioribus disciplinis æque doctissimus, inque publicis gravissimis muneribus, sed in Romana præsertim ad Julium Papam II. legatione de patriæ suæ salute, & dignitate restitutis optime meritus, cujus decoram mentionem attuli in Creta Sacra inter ejusdem Insulæ Duces.

DE CULTU
SANCTI
SIMONIS PUERI
TRIDENTINI, ET MARTYRIS
APUD VENETOS.



DE CULTU
SANCTI
SIMONIS PUERI
TRIDENTINI, ET MARTYRIS APUD VENETOS.



Ivino plane consilio, atque admirabili superni Numinis providentia contigit, ut Sanctus Puer Simon Martyrio Tridenti coronatus, quemadmodum in acerba morte Christo Reparatori simillimus fuit, ita in primis gloriæ cultusque exordiis contra insurgentes conatus, atque interposita obstacula, similitudinem quamdam quæ haberi potest, quodammodo præseferret, nimirum ut triumphi ejus conspicua veritas eo clarior splendesceret, quo callidius, & pervicacius tenebris obvolvebatur. Neque enim vaferrimi Judæi malis artibus multaque pecunia usi, immane scelus admissum cognitioni hominum subducere potuerunt, siquidem vigil D. O. M. providentia sævissimos tenero Infanti cruciatus clam intra privatos parietes, atque in tenebris nocturnis inflictos in apertam lucem adduxit, ut condigna sontibus pœna, & meritus Sancto Martyri honos obveniret.

Sciendum igitur in primis est, Judæos vesanis furiis actos barbaram hanc necem per noctem diei XXIII. Martii patrasse, sacrumque cadaver triduo tantum post fuisse deprehensum. Quæstionem tamen in foro contra Carnifices ob interpositas appellationes, & insertas dolis nummisque moras adeo pro-

protractam fuisse, ut inter scelus, & illatam sceleri pœnam (quæ in diem XXI. Junii incidit) Trimestre vix non integrum intercesserit.

Comperto itaque palam crimine, & vulgato, quod jam subierant, Judæorum supplicio, fama rei gestæ illico apud populos omnes longe lateque manavit, cumque dextera Domini prodigiis neque paucis, neque obscuris Martirii veritatem in dies magis comprobaret, ipsique Martyri insignem gloriam conciliaret, sollicitum in Christianis Provinciis studium certatim exarsit Judaicam perfidiam execrandi, & Puerum Martyrem rite colendi.

Inter cæteras autem gentes, quæ vel confestim, vel annis proxime insequentibus honorem hunc Sancto Martyri tribuerunt, veniunt in primis Veneti, qui triennio nondum elapso, (ut ostendam quamprimum) Sacellum illi dicatum erexerunt, & pium hominum Sodalitium sub ejus nuncupatione, & tutela instituerunt.

Quamquam porro hujus Martyrii Veritas jamdudum fuerit ab omni vel levissima falsitatis suspicione vindicata; siquidem magni nominis Authores vel Sinchroni vel suppares amplissima de sævissimo Pueri agone testimonia protulerunt, & ipse adeo Sebastianus Munsterus (vir cæteroquin acatholicus, & apostata tum severissimæ Critices scriptor, cujus propterea authoritas utcumque posterioris ævi hac in re plurimi est facienda) aperte consensit. Interea tamen nostra hac propemodum ætate non defuit in Germania scriptor clari in litteraria Republica nominis Joannes Christophorus Wagenseilius, qui non solum in dubium vocare, sed præterea impugnare non dubitavit & hoc, & quotquot passim feruntur patrata a Judæis in Christiani nominis odium Infanticidia. Extat typis edita Lipsiæ, & vernaculo Germanico scripta elucubratio anno 1705. Sed quemadmodum ipso, quo accidit Martyrium, tempore Judæi causæ suæ patrocinari inani prorsus conatu adorti sunt, & contextæ pro illis Apologiæ irritæ ceciderunt, nec reos debitis tanto sceleri pœnis subtrahere valuerunt, ita nostro hoc ævo hæretici hominis conamen repressit validissime, ac diluit Vir Clarissimus Benedictus de Cavalesio ex Minorum, quos Reformatos vocant, familia, qui solida eruditione, & argumentis firmissimis in medium adductis, & rebus

rebus

bus gestis, & scriptorum testimoniis solertissime inter se collatis veritatem hujus Martyrii apertissime demonstravit. Opus numquam satis laudabile, cui titulus: *Dissertazione Apologetica sul Martirio del Beato Simone da Trento* in lucem editum fuit anno 1747. Tridenti, in quo tamen Clarissimi Authoris nomen ob insitam animi modestiam supprimitur. Actum igitur agerem, si martyrii veritatem, & martyris gloriam vindicare vellem, quod abunde præstitit laudatus author in Apologetica illa dissertatione, cui nihil roboris denuo potest accedere. Quapropter superest, ut authenticis tantummodo documentis ostendam, quam propere ad Venetos certa patrati facinoris notitia pervenerit & interfecti pueri cultus ab ipso statim passionis tempore in hac Venetiarum Civitate vigere cœperit.

Inter cætera argumenta, quibus, ut dubiam passionem Tridentini pueri faciat, utitur Wagenseilius, illud in primis est, quod Petrus Mocenico Venetiarum Dux datis anno MCCCCLXXV. die XXII. Aprilis Indictione VIII. ad Antonium Ericium Prætorem (Potestatem Veneti vocant) & Bertuccium Contarenum Capitaneum Paduæ publicis epistolis assertam pueri necem commentum esse putaverit ad pravos quidem fines confictum; eo enim rumore concitati in Judæos populi illos nec paucis nec levibus affligebant injuriis, ad quas justo decreto coercendas eas sub Ducis nomine epistolas scripsit Senatus, ne in pejus illatę Hebręis offensę progrederentur. *Ad nostram* (ita Ducales epistolę) *pervenit notitiam, inventum fuisse quemdam puerum necatum a Judæis illius loci*, (Tridentinę scilicet Civitatis) *credimus certe rumorem ipsum de Puero necato commentum esse, & artem, ad quam finem viderint, & interpretentur alii*. Epistolas Patavinis Rectoribus missas, quarum fragmentum affert Wagenseilius, nequaquam vidimus, similes autem iis alię Ducales litterę leguntur in publicis regestis, quas die XXVIII. ejusdem mensis Aprilis Marino Maripetro Locumtenenti Patrię Forojulii misit Senatus, de quarum summa profecto sibi plauderent Wagenseilius, & alii, qui Clarissimi Martyris triumpho adversantur.

„ Petrus Mocenico Dei gratia Dux Venetiarum &c. No-
„ bilibus & Sapientibus Viris Marino Maripetro de suo Man-
„ dato Locumtenenti Patrię Forijulii, & successoribus suis
„ fide-

„ fidelibus dilectis Salutem, & dilectionis affectum. Ad no-
„ titiam nostram pervenit, quod ex causa cujusdam rumoris
„ dissipati, scilicet in Tridento inventum fuisse quemdam Pue-
„ rum a Judęis illius loci necatum, molestantur & verberan-
„ tur Judęi habitantes in Terris & locis nostris; & quod ab-
„ surdius etiam, facto impetu a Christianis subditis nostris
„ aggredi illos & prędari sursum deorsum comeantes queri-
„ tur, usque adeo ut transire de loco ad locum dubitent,
„ ne cedantur, & despolientur. Cujus quidem temeritatis
„ Auctores & impostores etiam dicuntur, & etiam ipsi Za-
„ ratani concionem de his habentes in Populo: quæ res quod
„ nobis displiceat, quod molesta & ingrata sit, optime intel-
„ ligere pro vestra prudentia potestis. Credimus certe rumo-
„ rem ipsum de puero necato commentum esse & artem,
„ ad quem finem viderint, & interpretentur alii: Nos vero
„ semper voluimus, ut in terris & locis nostris Judęi secure
„ & impune habitarent, & omnis vis & injuria absit ab il-
„ lis, non secus quod fit erga cæteros fidęles & subditos
„ nostros; Et si quis est, qui aliter pręsumat vel cogitet ma-
„ le, nos, & indignationem nostram novit. Et licet non du-
„ bitemus quin pro vestra circumspectione probe intelligatis
„ ista non convenire, & pręsertim hoc tempore, providea-
„ tisque provisurique sitis, ne in ista Civitate, & Territorio
„ nostro contra Judęos innovetur quicquid dicta de causa,
„ tamen volumus, & vobis mandamus, ut sub severissimis
„ pœnis providere debeatis, & talem operam dare, quod se-
„ cure & tute inhabitare valeant, & sursum deorsum ire, &
„ redire Judęi omnes istic habitantes procedendo contra ino-
„ bedientes, & obviando, ne a Prædicatoribus, aut aliis ex-
„ citetur Populus ad tales insultus, quo nihil displicentius
„ audire, & intelligere possemus. Has autem nostras ad fu-
„ turorum memoriam registrari faciatis, & registratas pręsen-
„ tanti restitui.

Datum in nostro Ducali Palatio die 28. Aprilis Ind. oct. 1475.

Ex hoc aliove Veneti Senatus in eosdem sensus documento Wagenseilius, Basnagius & alii arma sibi sumpserunt, quibus celeberrimum Sancti Simonis Martirium impeterent, & illi quidem dum Venetorum prudentiam extollunt, interim con-

contra certissimam veritatem oculos dolose claudunt. Quonam pacto (inquiunt confidenter) fieri potuit, ut in errorem turpiter laberetur cœtus ille hominum, qui exquisitæ prudentiæ, & integerrimæ justitiæ laude merito commendantur? Incredibile enimvero est proscripsisse Venetos tamquam fabulosum commentum vulgi id, quod per easdem dies communis fama contigisse ferebat re prorsus incomperta, & non explorata. Sed quam male fidant Venetis documentis, quibus ad hoc Martyrium negandum abutuntur, constabit quamprimum, cum consequuta deinceps alia Veneti Senatus documenta in medium proferam.

Hoc antequam præstem, non erit abs re tantisper immorari in Chronologica rerum animadversione, & attentius tempora contemplari, quæ inter immanem Sancti pueri necem, & pœnam Iudæis sontibus illatam effluxere. Hinc conficietur, quam prudenter, quam religiose se gesserit Venetorum Senatus, dum mutata sententia ejus Martyris publicationem permisit, quam paulo ante tanta cum severitate vetaverat. En igitur angustis spatiis contractam Martyrii hujus enarrationem appositis chronicis notis, ut cum Venetis documentis conferri possint; & inde Veritas eruatur.

Ex parentibus morum magis probitate, quam opum affluentia commendandis Andrea Viendorben, & Maria ejus conjuge ortum habuerat Tridenti Sanctus Puer Simon anno MCCCCLXXII. littera dominicali ED, consignato die Novembris XXVII. quæ fuit Feria VI. seu ut vocant dies Veneris. Necdum mensem quintum supra biennium expleverat, cum Judæus quidam Tobias nomine clam eum surripit haud procul paterna domo in vico, cui a præterlabente rivulo vulgus nomen fecerat *Fossato*. Contigit hoc Feria V. in Cœna domini, quæ anno illo MCCCCLXXV. coincidit cum die XXIII. Martii. Confestim in ædes Samuelis pariter Judæi propere deportatur, ubi aliis, aliisque ex perfida natione convocatis, per summam immanitatem tenerum corpus sævissimis cruciatibus afficitur, laniatis atque direptis undequaque lento Martyrio carnibus, donec post exantlatos per integram semihoram quotquot dolores vesana Carnificum rabies invenire potuit, Bethleemitarum infantium gloriosus æmulator animam innocentem inter tormenta truculentissima Deo reddidit

didit circa secundam ab occasu Solis horam, nimirum ea nocte, quæ Feriam VI. in Parasceve præcedebat.

Interea parentes, amisso puero, supra modum dolentes vicatim illum quæritant per triduum vix non integrum; sed frustra, cum nullibi elucerent indicia, quorum ductu progredi possent. Tamdem inclinante ad Vesperas Dominicæ Resurrectionis die nuntiatur illis jacere in proximo ædibus suis rivulo cadaver Filii, quod antea incassum ibidem quæsierant. Sub idem tempus hora Italis XXIII. re jam vulgata Judæi sponte sua Episcopum Principem Tridentinum adeunt, eique enuntiant se repente, nec sine ingenti admiratione deprehendisse in aqua proxime præterfluente cadaver pueri, quod Simonis frustra quæsiti probabiliter esse suspicentur.

Itaque Prætor domum Samuelis mittitur, quam rivulus ille alluebat, eductoque ab aquis cadavere deprehenditur puer, toto livens corpore, multisque confossus vulneribus, quorum duo vivo adhuc sanguine manabant. Indiciis hisce magnam suspicionem moventibus adductus Judex multiplici, & inconnexa interrogatione modo hunc, modo illum ex Judæis explorat, cumque eos incoherenter suismet responsis sibi adversari deprehendisset, quod esset criminis argumentum, septemdecim ex illis comprehendi jubet, & severam juxta legum & fori consuetudinem contra illos quęstionem adoritur.

Quibus conatibus omnem lapidem moverint, quomodo se in omnes partes converterint contribules reorum sive ad subornandam Judicum integritatem largis muneribus oblatis & amplioribus superadditis promissionibus, sive ad insidiosa scelera intentanda, quibus addictos carceri debitæ pœnę subducerent, accuratissime describit Author superius laudatę dissertationis, qui narrationis suę veritate ab integerrimis fontibus hausta ostendit incorruptos Judicum animos, non sine indignatione, oblata munera respuisse, Deoque vindice insidias perfidę nationis, & structos dolos dissipante, fuisse tandem rescissas interpositas moras, & sublata, quę exsurgebant passim, obstacula. Tunc enimvero vindex Justitia scelestissimos hominum suppliciis meritis destinavit, quę subire cœperunt die XXI. Junii eodem anno MCCCCLXXV. aliique deinceps ex aliis pœnas tanto pro scelere luerunt.

Interea temporis dum in Judęos quæstio Tridenti instituitur,

tur, patrati sceleris fama per propinquas regiones quaquaversus diffunditur, ex quo universa Judęorum natio adeo in odium omnium incurrit, ut vix a furenti populorum impetu aliquando se præservare potuerint, multique etiam in Veneta ditione per falsam religionis speciem non solum injuriis, & molestiis eos afficere, sed & in itinere positos aggredi, & prędari pręsumerent. Hoc cum Senatui nuntiatum esset, adeo illi evasit molestum, ut ad coercendas furentium iras Pretoribus, quos ditionis suę locis pręfecerat, datis epistolis die XXVIII. Aprilis mense scilicet a detecto facinore vix elapso, districte mandaverit, ut indictis sevissimis pœnis providere deberent, ne Hebręi in Veneta ditione novas paterentur molestias, neque *a Prædicatoribus*, *aut aliis* excitaretur populus ad injiciendas in Judęos seditiose manus. Quum autem inter ceteros, qui rei Tridenti actę historiam vulgabant, etiam circulatores aliqui ad captandam vulgi auram, & ad blandiendam hominum curiositatem in Tridentinę Synagogę viros inveherentur, jure dubitavit Veneti Senatus prudentia *rumorem* de puero interfecto commentum esse ad movendos in infensam nationem populorum animos dolose confictum.

Ast ubi adducta in lucem patrati sceleris veritas liquido apparuit, compertumque ex ipsa reorum confessione fuit, innocentem puerum Dominicę Passionis cruciatus in odium Christi Redemptoris sustinuisse, Senatus Venetus, ad cujus notitiam non solum infanticidii crimen, & sontium supplicia, sed & mirabilia, quibus Martyr effulgebat, ex plurium testimonio devenerant, datis ad Vitalem Lando in patrię Forijulii regimine Marini Maripetri successorem publicis epistolis mandavit, ut *permittere* deberet *Prædicatoribus omnibus*; *& aliis concionatoribus prædicari & concionari publice posse de puero ipso*, *de nece ejus*, *de signis*, *& aliis quibuscunque*, *liceatque volentibus Imaginem*, *& Picturam Martyris dicti pueri appendere*, *& affigere in parietibus*, *& aliis locis*, *ita ut gloria Dei manifestior*, *& pravitas admissi sceleris execrabilior fiat*. Ne tamen ex bono opere mala exorirentur & scandala, cavit eodem Decreto Senatus, ne Prędicatores in suis concionibus populum contra Judęos concitarent, hoc enim rectis P. C. animis *ingratum foret*, *& minime tolerandum*. Ducales epistolas, quales Vitali Lando datę fuerunt, afferimus.

i 2 „ Pe-

„ Petrus Mocenico Dei gratia Dux &c. Nobilibus & Sa-
„ pientibus Viris Vitali Lando Doctori, & Militi de suo
„ mandato Locumtenenti Patriæ Forijulii, & successoribus
„ suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Pro-
„ ximo mense Aprili emanarunt Litteræ nostræ ad Vos de
„ puero illo Tridenti atrociter necato, & de Judæis subditis
„ nostris, ut scilicet provideres, ne Populus concitaretur in
„ eos per Prædicatores, & ipsis nostris litteris interposita fuis-
„ se hæc verba: Credimus rumorem ipsum de Puero ipso
„ necato commentum esse & artem: quod ideo accidit, quo-
„ niam tunc, & nex pueri, & alia omnia, quæ subsecuta
„ sunt, sicuti incerta, ita incredibilia videbantur. Nunc ve-
„ ro cum in dies magis increbescat necem hujusmodi Mar-
„ tyrio dignam esse, multaque, & memorabilia ferantur de Pue-
„ ro ipso ad Fidei nostræ Christianæ verificationem, & ro-
„ bur, cujus pro Christianissimo, & Orthodoxo more studio-
„ sissimi semper assertores fuimus & sumus, scribendum de
„ integro Vobis duximus volentes, & mandantes, ut non
„ obstantibus dictis nostris Litteris permittere debeatis Præ-
„ dicatoribus omnibus, & aliis Concionatoribus prædicari,
„ & concionari publice posse de Puero ipso, de nece ejus, de
„ signis, & aliis quibuscumque ad fidei nostræ gloriam, in-
„ crementum & robur pertinentibus. Liceatque volentibus
„ Imaginem & picturam Martyris dicti Pueri appendere, &
„ affigere in Parietibus, & aliis locis prout libuerit; ita ut
„ gloria Dei manifestior, & pravitas admissi sceleris exacra-
„ bilior fiat. Hoc autem volumus, & vobis expresse manda-
„ mus ut comonefaciatis dictos Prædicatores, & alios con-
„ cionem habere volentes de prædictis, ut nullo modo in
„ in concionibus & prædicationibus concitent, aut aliter im-
„ pellant populum contra Judæos, quod nobis ingratum, &
„ minime tolerandum foret; Quoniam quidem expertes sce-
„ leris expertes Pœnæ esse jure debent. Has vero ad succes-
„ sorum vestrorum memoriam in Actis Cancellariæ Vestræ
„ registrari faciatis.

„ Datum in Nostro Ducali Palatio die 12. Augusti In-
„ dict. oct. 1475.

Ducalem hanc epistolam enunciat, licet ex integro non proferat, in sua Dissertatione superius laudatus Benedictus de Cava-

Cavalesio pag 18. eique deinde hanc addit adnotationem.

(*a*) „ Questa si è la seconda celebre Ducale lodata dall'
„ Hinderbachio (Joannes Hinderbachius Episcopus & Prin-
„ ceps Tridentinus; cujus potissimum studio & pietate Judei
„ justo supplicio addicti fuerunt, & Martyris pueri cultus
„ apud Sixtum IV. promotus) nella sua epistola al Gioven-
„ zonio (Raphael Giovenzonius Tergestinus Poeta) indirit-
„ ta sotto il dì 1. Ottobre 1475. e perchè i fautori de' Giu-
„ dei in Roveredo congregati con frodi, e menzogne cerca-
„ van di farla ritrattare, onde sussistesse la prima, quindi es-
„ so Hinderbachio rese di ciò avvisato il detto Giovenzo-
„ nio, e così lo pregò: Interea te rogamus velis nostra ex
„ parte esse cum Secretariis Ducalibus Illustrissimi Principis
„ Venetiarum, & aliquibus senioribus ac Patritiis, & eos ex
„ parte nostra rogare, & hortari, ut nihil temere credant ;
„ aut parte nostra non audita ad instantiam præfatorum Le-
„ gati, vel Doctorum Patavinorum, aut potestatis Roveredi,
„ quidquam in ea re statuatur, qui totis viribus illos flagi-
„ tiosos juvare, & de tanto tamque nefario crimine excusa-
„ tos facere moliuntur, & dietim cum illis in Consilio (ut
„ accepimus) illic Roveredi existunt, timentes ne forte Le-
„ gatum illum, quamvis Religiosum & bonum, uti puta-
„ mus, mendaciis, & fictionibus suis ac etiam muneribus
„ Deum, & homines placantibus contaminent. Si quid ad
„ eumdem Illustrissimum Principem, aut ejus Senatum per-
„ scriberent, & præsertim, sicut a nonnullis accepimus, si
„ pro revocatione illarum Christianissimarum, ac Orthodo-
„ xarum litterarum penitus instarent, quas pridem Illustrissi-
„ mus Princeps ad Rectores Urbium suarum descripsit, ut
„ omnes libere de Martyrio, & Miraculis hujus Sancti Inno-
„ centis prædicare possent, & imagines affigere, quod illi per-
„ fidi omnino tamquam viperæ, & angues minime æquanimi-
„ ter pati posse videntur, in suam universalem perniciem,
„ & interitum tendere pertimescunt, & omni, qua possunt,
„ nequitia, mendaciisque, corruptela & ingenio pervertere,
„ ac per principes impedire, & revocari student ..... Con-
„ fidimus quod Illustrissimus Princeps, & alii Consulares, &
„ seniores ac saniores Urbis Patritii hoc nequaquam fieri pa-
„ tiantur. Quare Secretarios & alios virtutis, & Fidei Ca-

„ tho-

„ tholicæ fautores nostra parte roga, & deprecare, ut nihil „ circa hanc rem innovetur; quin propediem scribemus illu„ strissimo Principi, aut forte mittemus aliquem gravem, & „ maturum virum, qui suam Celsitudinem de hac re clarius „ informet, & Processum Judiciarium cum confessionibus, „ & indiciis de hac re habitis, si opus fuerit, secum defe„ rat, ut de plena, & integra hujus rei veritate informen„ tur, & certiores fiant, & omnia illorum mendacia con„ futet, & patefaciat.

Quæ hactenus diximus de permisso a Senatu Veneto Tridentini Martyris cultu, solidissime innituntur publicis documentis, quæ seriem rerum Venetiis gestarum, cum de novi Martyris cultu ageretur, satis ostendunt. Age igitur; varios eventus, & varium Veneti Senatus consilium inter se comparemus. Post patratum Tridenti infanticidium, & deprehensos teterrimi sceleris authores illico tantæ rei fama in omnes se partes effudit, prodigia etiam deprædicans, quibus Deus innocenti victimæ sibi immolatæ gloriam adjungebat. Hinc incredibile apud omnes ferbuit studium colendi Sanctum Martyrem, & atrox ubique gentium contra Judæos procella insurrexit. At Venetus Senatus sua prudentia usus populari voci inconsulto adhærere renuit, utpote quæ nullas adhuc veræ certitudinis notas præseferret, decretumque tulit quo cavebatur, ne intra ditionis Venetæ fines Judæi molestiis seu injuriis afficerentur, neve Martyris cultus ex arbitrio vulgi cuiquam tribueretur.

Simul ac vero argumenta Martyrium contestantia prodierunt, & de pœna reis inflicta constitit, tum patrata apud Martyris sepulcrum miracula bene multa certa esse cœperunt, continuo Senatus, quæ decreverat, retractavit, & quantum Laico Judici fas est, hominum devotioni libertatem restituit, facultatemque indulsit, ut Sanctum Puerum colerent, ejusque apud Deum patrocinia votis precibusque sollicitarent. Quanam autem ratione, & patratæ cædis argumenta, & prodigiorum, quæ deinde insequuta sunt, ad aures Veneti Senatus devenerint, incompertum est; id autem pro certo existimandum puto, P. C. multis validisque rationibus adductos fuisse, ut ab ea sententia, quam publicis litteris consignaverant, tam cito & sponte discederent. Nec fortasse a vero aber-

aberrabit, qui credat graves ab urbe Tridenti a viris omni exceptione majoribus missas fuisse ad Venetiarum Proceres epistolas, quibus de universa rei veritate certiores redderentur. Speciem hujusmodi litterarum in Veneto Sancti Francisci de Vinea Archivo forte datum est invenire, dum schedas, & documenta Monasterii illius, illustrandi gratia, perscrutaremur; exemplum enim epistolæ vidimus, quam die XXIV. Septembris anno MCCCCLXXV. ad eximium quemdam Doctorem miserunt Consules, & Provisores Civitatis Tridentinæ, cujus Doctoris, licet nomen ignoretur, jure tamen putamus Venetum virum, vel saltem Venetiis commorantem, & inter Franciscanæ familiæ alumnos non vulgaris meriti fuisse, præsertim cum ea tempestate multi Venetiis fuerint ex Minorum cœtu Religiosi viri scientia, & doctrina præstantes. Utcumque tamen de Viro, ad quem missa fuit epistola, res se habeat, attamen quia, (quantum scire licuit) nondum typis vulgata est, placuit eam in lucem proferre.

„ Eximie Doctor, ac Frater honorande: nulla te teneat „ admiratio, si tardius quam sperabas, tuis elegantissimis litteris responsum accepisti. Non eas enim indignas responsione duximus, nec elati sumus adeo, ut tibi Doctori, atque Oratori Clarissimo nostras tales, quales aspicis, denegemus: Sed amplissima negotia, quibus qui Reipublicæ consulunt, magis ac magis vexantur in dies, & Judæorum casus, qui nos summopere vigiles facit, maximæ admirationis & molestiæ nos tibi forte reddiderunt. Verum animus noster qui tecum facilis, & benignus est, qui te semper pro tua in nos observantia, ac devotione non modo diliget, verum etiam amabit, ingratam moram nostram sincera voluntate prævenit, & pro cordis affectu jamdudum in his tibi satisfecimus, quæ in præsentiarum per has nostras breviter intelliges plurimos esse, qui religionem Christianam profitentur, compertum habemus qui vel nullam penitus innocenti puero Simoni nostro fidem adhibent: vel si Christiana pietate commoti aliquantulum sibi venerationis impendunt, nos veluti complices accusare, nobis illudunt, & impie afflictis afflictionem accumulant, non advertentes quo luctu, quo dolore, qua sollicitudine cædem

„ istam

„ istam tam impiam nostra Civitas nosterque in primis clementissimus Pontifex acceperit. Erat enim Simon infans formosus, cujus lacteum redolebant ora saporem: erat unicus matri suæ; erat humillimis ortus parentibus: erat solus inter Christicolas sine invidia pauper, egenus, inops; erat insuper miserabile visu infortunatos parentes intueri aperto gemitu, inundantibus lachrimis una cum cohorte Prætoria, filium totam quæritare per Urbem. Profecto non fuit ita ferreum pectus, nec ita durus animus qui secum non collachrimaret. Restricti ergo sunt labentes in urbem rivuli: Quæsitæ Judæorum latebræ, nusquam ea luce inventus est puer. Jam tertia dies effulserat, in qua Dominus Noster Victor ab Inferis resurrexit. Judæi juxta vesperam divino nutu tam grande scelus occulere non valentes, emisso Tobia proditore repertum esse infantem illum Hermano (a) Pontificis Aulico retexerunt; inclytus Antistes noster, ut intellexit inventum esse puerum extinctum in Judęorum tabernaculis maximo dolore perculsus sacra pectora, Præfectum cum Prætore demisit: Quibus Judæorum sedes ingressis, detecta est ingens specus, & umbrosæ penitus patuere cavernæ. Hic exanime Judæi corpus ostendunt, deductumque referunt, subter labenti rivo in domos suas. Quæ res nec parum fidei præbuisset, si superiore domo, per quam aqua in illa subterfluit, non extarent retinacula quædam lignea, quæ exigua etiam ne præterlaberentur, continebant, & nisi per geminos dies antefuissent viri, qui sicco rivo cum multo lumine puerum quærentes fluvioli alveum penitus explorassent. Capti ergo Iudęi in flagranti crimine, subito meritis carceribus mancipati sunt. Nos qui summopere necem pueri ægre tulimus, nec ignorantes Judæorum invidiam, mendacia, fraudes, astus, odia intestina in Ecclesia Christi & quoniam hac tempestate favoris habent nummi, quodque auro corrumpunt omnes animos, adeo mature, adeo graviter, adeo benigne secum egimus, ut qui processus seriem perlustraverit „ ni-

(a) Hermanus memoratur in Dissertatione Apologetica nota C. pag. 10. quem ex hac epistola addiscimus Aulicum Episcopi Tridentini fuisse.

„ nimia nos clementia, nimia mansuetudine in canes hebræos „ usos fuisse dijudicabit. Benedicis nobis, & rebus nostris „ quia præclare fecimus in Judæos, & nos tibi Christiano „ optimo maximoque benedicimus semper. Det tibi Deus de „ rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam vini & „ olei &c.

„ Nos pro virili nostra parte Urbi diligenter invigilavi- „ mus, & de viperarum faucibus tandem extorsimus verita- „ tem ad laudem & gloriam Nominis D. N. J. C. cui omnis „ honor, & imperium, & gratiarum actio debentur in secu- „ la. Obloquantur nunc quantum velint Judæi, & quod vi „ suppliciorum infectum scelus ediderunt: Thobias proditor „ in supplicio ter vix elevatus primus evomuit horrendum „ crimen: Et paulatim omnes nefandæ rei seriem de loco, „ tempore, modo, quibus præsentibus, uno ore retexerunt. „ Purgant se, quod eorum in lege scriptum est: non occi- „ des. Majores tamen eorum Christi fidem magis, ac magis, „ videntes in dies crescere; congregatis ex Judæis, omnibus, „ qui sub cœlo sunt, pleno concilio statuerunt ut agni pas- „ chalis loco, cum sanguine domorum suarum limen asperge- „ retur, Christianus puer masculus haberetur qui VII. an- „ num omnino non excederet: Cui in contemptum D. N. „ J. C. sanguinem haurirent, inferrentque mortem crudeli „ supplicio; præterea cum vino cruorem miscerent, & illo „ in Paschate mensam aspergentes imprecarentur super Chri- „ sticolas X. illas plagas, quas Pharaoni Deus contulit in „ Ægypto: Demumque ex eo biberent omnes. Jamque octin- „ genti anni dilabuntur, quod in improperium Christi ita sæ- „ viunt Judæi, qui hunc horrendum morem mira cum devo- „ tione diligenter observant. Vendunt commutantque inter „ se Christianum sanguinem, & tanquam rerum venalium „ singularissimum ingentis pretii ad exactiones illas dumta- „ xat existimant. Nec est ut dicant ipsi novas, & inauditas „ res falsoque Judæis, ob facultates impositas, cum isti exi- „ guas fortunas possiderent, semperque fuissent a nobis & ha- „ biti, & cogniti pauperes. Diebus & nostris in Germania „ apud Spiram Civitatem nobilissimam juxta Rhenum idem „ perpetrarunt. Fecerunt similiter & in Westfalia in urbe „ Dorpmundem. Iidem apud Trajectum in Ducatu Galeriæ

„ in Villa Dutsch, quæ inter Coloniam, & Aquisgranum si-
„ ta est, duos pueros eodem genere mortis consumpsere. In
„ Svevia in Civitate Pemigen similiter duos, in Bavaria su-
„ periore in urbe Amberch unum. Sub Palatino in Alezeja
„ unum, in Marchia Badensi in civitate Endigen duos in-
„ fantes eodem funere perdiderunt, patribus eorum crudeliter
„ trucidatis. In Bavaria superiore juxta Danubium in civi-
„ tate Delrendorf emerunt ab ancilla Corpus Christi, & ne-
„ fanda omnia fecerunt in illud. In urbe Batherach, quæ
„ inter Moguntiam, & Confluentiam jacet juxta Rhenum
„ eodem funere, quo etiam Tridenti usi sunt, Warnerum
„ puerum consumpserunt, qui maximis illic miraculis ful-
„ get. Ad cujus perennem memoriam sibi nobilis Ecclesia
„ condita frequentatur. Nuper etiam (a) in Sicilia quod ad-
„ miserint, totus pene Christianus orbis intellexit. Faciunt,
„ & istud profecto in Italia quotannis, (b) sed adeo callidi
„ sunt, adeo sagaces, adeo maligni, ut cum pessulum spe-
„ lun-

(a) Licet in hac epistola data anno 1475. dicatur infanticidii scelus in Sicilia nuper commissum fuisse, attamen illud circa annum 1347. patratum fuisse asserit Rochus Pirrhus in Sicilia Sacra Not. Eccl. Messan. ad an. 1347. Horrendam hanc innocentis pueri cædem referunt Samper. Iconol. B. V. Mariæ lib 4. Cap. 1. pag. 469. Franciscus April. Cronol. Scicil. par. 1. lib. 2. cap. 8. pag. 251. Hyppolitus Maracci Heroid. Marian. §. 15. pag. 153. Steph. Maurus in sua Messana pag. 204. & Joannes de Joanne Canon. Panormitanus in libro, cui titulus *L'Ebraismo della Sicilia* pag. 76. qui homicidas Judæos extremo damnatos fuisse supplicio, eorumque capita in ipso delicti loco exposita asserit, ad cujus rei memoriam ibidem affixa fuit marmorea epigraphe hæc verba exhibens:

SIGNUM PERFIDORUM JUDÆORUM.

(b) Multa, quæ in Italiæ regionibus commissa fuerunt, hujusmodi delicta Dei voluntate patefacta in gravem nos suspicionem adducunt de plurimis aliis; quæ occulte patrata oculos, & cognitionem hominum effugerunt. Unum a nullo (quod sciam) scriptore detectum hujuscemodi scelus nobis aperuit in epistola ad Antonium Gradonicum data Ludovicus Fuscarenus Senator Venetus, cui quidem epistolæ ms. hæc legitur præfixa inscriptio. *Pugnandum contra nefandum Judæorum genus, qui homines & agnos cruci figunt.* In ipsius autem epi-
stolæ

„ Judæis suis oppofuerint, ftatim inftar contractæ teftudinis „ turpia illorum extremæ delitefcunt. Omnia enim mala de „ Judæis credenda funt, qui ufuras inter ipfos peccatum exi- „ ftimant, inter Chriftianos vero minime. Licere fibi di- „ cunt fine peccato omnes imprecationes, omnia mala, om- „ nia polluta verba, omnia fcelera, omnes fraudes, omnes „ dolos, omnes deceptiones in chriftianos exercere, creden- „ tes apud Omnipotentem Deum tanto majorem felicitatem, „ & gloriam consequi, quanto crudelius fævierint in Chri- „ ftianos. Negant Chriftum Crucifixum, fufpenfum illum la- „ queo referunt fub Helena Regina, & feptuaginta rectori- „ bus Hierufalem. Annam, & Caipham, & Pilatum he- „ fciunt. Fabulis Sacrofancta Evangelia noftra comparant, ne- „ gant omnia, omnia implicant, omnibus fcripturis noftris illu- „ dunt, omnibus nobis maledicunt femper etiam ex ftat uto. „ Qui fi refurrectionem D. N. J. C. cuftodibus auro corru- „ ptis occulere annixi funt, non ne conabuntur etiam, ut „ fe innocuos cædis gloriofi Simonis noftri Tridentini Prin- „ cipibus Chriftianis perfuadeant? Credimus multos terrarum „ Dominos effe, qui Judæorum tributis mendaciifque corru- „ pti Martyrium beati Simonis inficiantur. Credimus non „ paucos nomine, fed non re Chrifticolas propter aurum con- „ fulere Judæis, & omni ingenio, atque omni arte niti, ut no- „ men D. N. J. C. extinguatur in Martyre, ut Catholicam „ fidem pervertant, modo improbe eorum guttur repleatur „ argento. Nos vero conftituimus Jefum Chriftum prote- „ ctorem noftrum, & quamvis exigui numero, pro veritate „ tamen, ac pro fide tuenda cunctis adverfantibus refifte- „ mus intrepidi. Luce meridiana clarior ifta res eft. Cæci

k 2. „ vi-

ftolæ curfu dum plurima & varia Judæorum fcelera indignatus enuntiat Clariff. Senator, hoc etiam addit: *In Ponto fervum a pyratis emptum facratiffima baptifmatis aqua lotum crucifixerunt.... hæc feveriffime vindicaffem fi ad Turchos fceleftiffimi homines non confugiffent.* Scripta fuit hæc epiftola circa annum Domini 1450. eo fcilicet tempore, quo delatum eft Venetias nuntium alterius [illegible]ffimi facinoris a Judæis in Creta Infula patrati, qui teneros agnos in Chrifti Domini contumeliam crucibus affixerant, cujus rei feries latius affertur in Creta Sacra Tom. II. pag. 382. & feq.

„ vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi incedunt, „ mortui reviviscunt. Veniat totus orbis, veniant increduli „ omnes, veniant & ipsi Judæi: videbunt enim in quem „ transfixerunt. Manifestissima ista sunt, omnia clara sunt, „ sine fraude, sine dolo. Consultant rebus suis qui hanc Il„ lustrissimam Civitatem suis student ambagibus involvere. „ De novissimis tacemus. Illos Conradi Saye (*a*) terribilis „ casus edoceat, qui salvum conductum ab Illustrissimo Au„ striæ duce Judæis impetravit, dum Rovereti apud ignes „ consideret, a sede in flammas divino judicio præcipitatus „ est. Nec Christicolas hæc loca incolentes sibi unquam po„ tuit conciliare, nec sanitatem consequi, nisi prius illum sce„ leris pœniteret, & nudis pedibus ad sacrum corpusculum „ accedens veniam precaretur. Habes, eximie Doctor, ex mul„ tis pauca quædam. Nos cum tempus maturum nacti eri„ mus, processus ipsos, qui novem sunt super novem Judæo„ rum capita, & re vera prolixi, ad te libenti animo trans„ mittemus, ut intelligas Epistolam tuam apud nos non fuis„ se Vulgarem. Vale.

„ Tridenti VIII. Kalendas Octobris 1475.

Con-

(*a*) Terribilis Conradi Saye casus, licet tacito nomine, variatoque cognomine legitur in Epigramate vitæ S. Simonis inter acta Sanctorum Tom. III. Martii pag. 428. hoc modo.

MIRACULUM

Sait Hebræorum caussam protector adorsus,
Dum sedet infelix, hic sibi somnus adest:
Hunc locus impatiens miserum deturbat in ignem;
Auxilium quærens, carpit ahena manu;
Tempora confestim ferventibus obruit undis,
Et cute consumpta, lumine cæcus eget.
Terra Roveredi, miracula maxima lustrans,
Hanc sedem merito dat tibi, Sancte puer.

Allatam epistolam cum ignorarent Hagiographi Antverpienses, *Sait* pro *Seth* accipientes putaverunt virum hebræum genere; quem modo ex nomine, veroque agnomine noscimus Christianum fuisse religione, sed nimium Judæis addictum, unde Cœlestem in se concitavit ultionem.

Consules & Provisores Civitatis Tridentinæ.

CUm igitur Veneta Respublica, quantum in se erat, cultum Sancti Simonis in tota late sua ditione permisisset, simulque prodigia, & concessæ cælitus gratiæ ex invocatione, & meritis innocentis Martyris in dies magis augerentur, incredibile dictu est, quam brevi pia omnium Ordinum veneratio erga eumdem excreverit. Hinc, uti diximus, multi sive mentis errore, sive prava animi voluntate iterum ansam arripuerunt sæviendi in omnes indiscriminatim Judæos non sine bonorum indignatione, qui ægre ferebant ob peculiare quorumdam scelus Judæos omnes veluti reos affligi.

Hæc cum ad aures pervenissent Sixti IV. Pontificis Maximi, (ad quem provocaverant a judicio Tridentino Judæi) non permisit jus tribuendi nuncupationem, & cultum Martyris Romanæ Sedis proprium ab imperita multitudine usurpari, & cæteros Judæos culpæ omnis expertes misere profligari. Itaque lato decreto, sive encyclica epistola *Dominis, & judicibus per Italiæ partes* scripta anno illo ipso 1475. sub die x. Octobris cavit ne Martyri, qui vulgo ferebatur, cultus ille tribueretur, quem sola Apostolica Sedes rebus rite perspectis, & accurato examine instituto potest adjudicare, neve Hebræis insontibus, quos Ecclesia tolerabat, quidquam molestiæ, ac detrimenti inferretur.

Dum igitur ubique passim, atque adeo in Veneta ditione, & Urbe ex prodigiorum frequentia Sancti innocentis cultus in dies augeretur, ejusque nomini & sepulcro titulus, & honores Martyris deferrentur, repente Roma nuntiatur Christi Vicarium Sixtum IV. hujusce Martyris nomen & venerationem eo usque inhibuisse, dum ipse causam cognosceret, & in ea rite, & pro dignitate pronuntiaret; ad Petri enim Cathedram id genus judicia sunt deferenda. Confestim religio Veneti Senatus morem Pontificis decreto gessit, omnemque venerationis actum privatim, & publice erga assertum Martyrem interdixit, donec Oracula Vaticani loquerentur.

Pontificium diploma retulit in amplissima collectione veterum Scriptorum, & monumentorum Clar. Vir Edmundus Martene Tom. 2. col. 1516. ex quo illud in aureum opus suum

de

de Servorum Dei Beatificatione & beatorum Canonizatione transtulit Amplissimus S. R. E. Cardinalis Prosper Lambertinus, nunc in Petri Sede Benedictus XIV. aliqua ex sua eruditione addens verba, quibus diplomatis emanati causa significatur. Illud exhibemus, quale legitur in citati operis Tom. I. cap. XIV. num. IV. pag. 112. Romanæ editionis.

„ Statim post obitum publicus cultus eidem (*Simoni Pue-*
„ *ro Tridenti a Judæis necato*) cœpit exhiberi tamquam Mar-
„ tyri, & miracula quædam vulgata sunt ejus intercessione
„ a Deo facta. Sed anno 1475. (*qui fuit annus triumphalis*
„ *passionis Sancti Pueri*) Summus Pontifex Sixtus IV. per
„ Epistolam Dominos, & Officiales per Italiæ partes consti-
„ tutos, ne hæc fierent, admonuit, & omnia prohibuit us-
„ quequo certior factus esset de veritate factorum per Com-
„ missarium, quem legerat; uti colligitur ex ejus diplomate
„ impresso Tom. 2. amplissimæ collectionis veter. script. &
„ monument. & historic. opera celeberrimi P. Edmundi
„ Martene editæ column. 1516. En verba Epistolæ. Dilecti
„ Filii salutem &c. Licet inter causas majores Apostolico sit
„ duntaxat judicio reservatum, quempiam inter Sanctos re-
„ ferre, & miracula approbare, nihilque adhuc certum, com-
„ pertumve nostro judicio, aut approbatum sit de quodam
„ puero Simone Tridentino per Judæos, ut dicitur, interfe-
„ cto, de quo noviter fieri mandavimus, & recipi plenariam
„ informationem: tamen accepimus, nonnullos publice etiam
„ in prædicationibus affirmare ipsum Simonem, quem Bea-
„ tum appellant, per dictos Judæos in dicta civitate Tridenti-
„ na post multa tormentorum genera Cruci affixum, & oc-
„ cisum, & Martyrem esse, & plurimis miraculis clarescere
„ & alios desuper imagines depingere, chartas in modum hi-
„ storiarum conscribere, & publice vendere, & venditioni ex-
„ ponere, & propterea Christifideles contra Judæos omnes,
„ eorumque bona incitare; adeo etiam, quod multi eorum
„ plura exinde sint passi pericula. Attendentes itaque hæc,
„ & similia pessimæ fore præsumptionis, talia per bandimen-
„ tum publicum in hac nostra Urbe alma fieri amodo pro-
„ hibuimus, & idcirco vobis tenore præsentium, motu pro-
„ prio, & ex Pastoralis officii debito committimus, & distri-
„ cte etiam sub pœna excommunicationis mandamus, quate-

„ nus

„ nus & vos in locis Dominiorum vestrorum, ac alias re-
„ gimini vestro commissis eadem fieri sub pœnis, de quibus
„ vobis videbitur, publice, & omnino interdicatis, inobedien-
„ tes pœna condigna plectendo, & nihilominus Judæis ipsis,
„ quos Ecclesia in testimonium mortis Christi tolerat, firmo
„ defensionis subsidio propter hoc assistatis, donec aliud a
„ nobis receperitis in mandatis; cum intendamus, habita ex
„ Commissario nostro, quem propterea ad partes illas desti-
„ namus, rei veritate, in præmissis opportune, & plenarie,
„ ut justum fuerit, providere: contrariis non obstantibus
„ quibuscumque. Datum Romæ die x. Octobris anno 1475.
„ anno V. Comprobatis subinde probandis, & adimpletis ad-
„ implendis, facta est Apostolica auctoritate cultus approba-
„ tio. „ Addita porro a Venerabili Authore verba non ob-
scure innuunt ipsius Sixti IV. judicio delatos fuisse Triden-
tino puero cum Martyris titulo etiam honores.

Pontificiis itaque Sixti mandatis Senatus Venetus, simul ac ad sui notitiam devenerunt, celerem plenamque præstitit obedientiam, jussitque, ut in Civitate Venetiarum *per Patriarcham*, *quantum ad Clericos*, & per sæculares Magistratus, *quantum ad Laicos voluntati*, *& jussui Summi Pontificis* obtemperaretur. Ut vero *in cæteris omnibus Civitatibus*, *& locis Venetæ ditionis obedienter* servarentur Pontificia jussa, Rectoribus locorum *exemplum* transmissum fuit *Apostolici Brevis*, atque eisdem mandatum, ut per Ecclesiasticos Judices *quoad Clericos*, *& per proclamationes*, *& edicta* Rectorum *quoad Laicos Breve supradictum in omnibus suis partibus diligenter observari* curarent. Voluntatem hanc Veneti Senatus compertam habemus ex publicis epistolis Vitali Lando Doctori, & Militi de Reipublicæ mandato Locumtenenti Patriæ Forijulii datis die V. insequentis mensis Novembris, quibus præter alia ipsi Locumtenenti injungitur, ut Publica Decreta omnibus Prætoribus, & Officialibus locorum, quæ intra suæ jurisdictionis fines continebantur, indiceret, illisque exemplum transmitteret Pontificii Diplomatis, cui obtemperare tenebantur. Hæc sunt Ducalis epistolæ verba.

„ Petrus Mocenico Dei Gratia Dux Venetiarum &c. No-
„ bilibus, & Sapientibus Viris Vitali Lando Doctori & Mi-
„ liti de suo mandato Locumtenenti Patriæ Forijulii & suc-
„ ces-

„ cessoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affe-
„ ctum. Scripsit Summus Pontifex omnibus Dominis, & Po-
„ tentatibus Breve, per quod declarat, & jubet sub pœna
„ excommunicationis, ut Puer ille, qui Tridenti a Judæis
„ interfectus dicitur, pingi non sinatur, neque illa res a Scri-
„ ptoribus imprimi, aut a Prædicatoribus diffamari, instiga-
„ rique vulgus contra Judæos ab Ecclesia toleratos in testi-
„ monium veritatis Dominicæ Passionis, donec Sanctitas Sua
„ eruta, & investigata veritate, deliberet, quantum sibi, ad
„ quem hæc unice spectant, videantur, & delato ad nos hu-
„ jusmodi Brevi una cum Litteris Pontificii Commissarii
„ veritatem ipsam in partibus Tridentinis vestigantis, & per-
„ quirentis, curavimus, ut per Rev. D. Patriarcham nostrum
„ quantum ad Claricos attinet, & per nostros Dominos de
„ Nocte, & Capita Sexteriorum quantum ad Laicos volun-
„ tati, & jussui Summi Pontificis obtemperetur in hac no-
„ stra Civitate, & volentes id etiam in ceteris omnibus Ci-
„ vitatibus, & locis nostris obedienter servari, mittimus vo-
„ bis exemplum Brevis Apostolici supradicti, volentes, &
„ vobis mandantes, ut per Gubernatorem istius Patriarcha-
„ tus quoad Clericos, & per proclamationes, & edicta vestra
„ quoad laicos pertinet, Breve supradictum in omnibus suis
„ partibus vos observari diligenter faciatis, & contra Fauto-
„ res non solum minis, sed etiam animadversione in pœna
„ convenienti ad obediendum compellatis. Ne autem negli-
„ gentia, aut forte pertinacia aliquando impunita periculum
„ alterius illaqueationis inducat, hanc nostram voluntatem,
„ ut præstetur Pontifici obedientia, notam facite omnibus
„ Potestatibus, Rectoribus, & Officialibus locorum istius Pa-
„ triæ vobis commissæ, & exemplum mittite Brevis, ut re-
„ giminibus suis subjectos obedire faciant, & compellant.
„ Has autem litteras, & copiam dicti Brevis registrari facia-
„ tis. Datum in nostro Ducali Palatio die V. Mensis No-
„ vembris Indictione IX. anno 1475.

Ex hoc autem Ducali Petri Mocenici Diplomate in Apostolici Brevis obedientiam lato animos plus justo elatiores sumpserunt Judæi, atque in vulgus disseminare passim cœperunt, se a Dominio Veneto litteras impetrasse, queis silentium indictum fuerat Michaeli de Mediolano Ordinis Minorum

rum Obſervantium Viro ſpectatiſſimo, tunc Venetiis apud Sanctum Franciſcum de Vinea degenti, ne Venetiis aliiſve Venetæ ditionis locis in concionem prodiret, quippe qui de Martyrio Sancti Pueri Simonis, cui erat addictiſſimus, palam verba feciſſet. Egerunt quidem pro viribus Judæi, ut id a Veneto Senatu impetrarent, non tamen (ut teſtatur in ſua ad Joannem Epiſcopum Tridentinum epiſtola ſuperius laudatus Michael) *effectui demandare potuerunt*, *quod corde nequam cogitaverant*.

Itaque (quod indubium, compertumque eſt) in utrinſque poteſtatis obſequium ſeſe deinde a quocumque publico Beati Infantis cultu abſtinuerunt Veneti, cumque Concionatoribus de laude Martyris in publicis concionibus indictum fuiſſet ſilentium, privatis tantum colloquiis *mirabilia*, quæ in dies patrabantur, *nota faciebant*, ne populorum fervor repente tepeſceret. Hæc nobis innuit fragmentum epiſtolæ, quam ex Veneto Sancti Franciſci de Vinea Conventu ſcripſit die XXV. Septembris anno MCCCCLXXVI. Franciſcus Raymundus Venetæ Sancti Antonii Provinciæ Vicarius. Fragmentum in laudata Diſſertatione allatum, nos quoque utpote ad Venetos Viros apprime ſpectans exhibemus. „ In hac civitate Venetiarum cum nonnullis primariis, & clariſſimis Viris ſerio „ de hac ipſa re verba feci, qui omnes facile veritati aſſentiuntur. Verum quoniam negotium eſt ad Summi Pontificis recognitionem deductum, & propterea Illuſtriſſimum „ hoc Dominium præſtolatur exinde definitionem, omnes „ ſuſpenſis animis expectant, & cupiunt veritatis ſeriem auctoritate Pontificis approbari. Tum demum & nos, non „ ſolum privatis colloquiis, ut nunc; ſed in publicis ad populum prædicationibus, prout cuique Deus præſtiterit gratiam, libera voce proclamabimus, ac pro Dei gloria ejus „ mirabilia nota faciemus. „ & paulo poſt hæc adiicit „ Audivi prodigia magna, quæ non ceſſat multiplicare Altiſſimus obtentu felicis illius Innocentis, & Martyris Beati „ Simonis, & quidem de gloria Dei, & delucidatione veritatis, ut debeo, læta, & quantum tibi opportune poſſum „ pro virili mea ad id dare operam non deſiſto. Nam & „ Feltri, & Tarviſii atque aliis in locis pluribus, quod rei „ veritas exigit, perſuaſi, oſtendique cyathum illum, in quo

l „ ab

„ ab impiis libatus fuit sanguis innoxius, quem apud me re-
„ servo pro magnis divitiis, & ipso munere, & muneris au-
„ thore dives.

Idipsum apud Venetiarum Ducem, & reliquos Senatores se egisse fatetur Joannes Petrus Seraphicæ Observantium Familiæ, quam Sancti Antonii vocant, Minister Provincialis, qui in Epistola ad Joannem Hinderbachium Tridentinum Antistitem missa die VI. Decembris an. MCCCCLXXVI. hæc de actis a se scribit. „ Posteaquam a Reverendissima D. V. „ recedens huc applicui, Reverendissimis D. Episcopo Paduano, & nostro P. Generali una cum innocentissimi Martyris Simonis Reliquiis litteras D. V. R. detuli. Utriusque „ tam litteræ, quam Reliquiæ pergartissimæ fuere. Cum his „ etiam cuncta, quæ de B. Simone & audivi, & vidi, serio, „ & devotissime pertractavi: unde actum est: ut qui Simonis Martyrio forte non crediderant, meis verbis sibi deditissimi facti sint, præcipue R. P. noster Generalis, qui hac „ fide digna informatione notus, hanc rem non solum in „ nostra Religione ab omnibus Prædicatoribus magnificari curabit, verum etiam apud Pontificis Maximi pedes illam „ in medium adducere pollicitus est. Ego vero Venetiis, non „ solum apud Serenissimum Principem, sed etiam apud reliquos Senatores, quid de Beato Simone dixerim, fecerimque, Deum ipsum adduco in testem. Et per totam hanc „ Provinciam mihi creditam (quam vestram esse ultra offero) illum prædicavi, & in summa haberi reverentia non „ cessabo. „ Ex iis epistolarum fragmentis manifeste evincitur, Cœnobitas Sancti Francisci alumnos præ cæteris omnibus majori studio conatos fuisse cum apud Pontificem, tum apud Venetos, ut qua possent ope, causam ipsam Sancti Martyris felici cursu ad optatum finem adducerent.

Sed & laici viri *tum in Senatu Veneto*, *quam in aliis locis* Martyris gloriæ, & Judæorum perfidiæ testimonia luculentissima perhibuerunt, inter quos eminet Franciscus Trono Ripæ Tridentinæ tunc temporis pro Veneta Republica Provisor, *quamquam alias huic rei contrarius* fuisset, ut refert in sua Epistola *Patri Fratri Michaeli de Mediolano Ordinis Sancti Francisci de Observantia Verbi Divini Prædicatori famosissimo* data die IV. Novembris an. MCCCCLXXVI. Joannes Hin-

Hinderbachius Episcopus Tridentinus, cujus quidem epistolæ fragmentum ad Franciscum Tronum spectans hoc est: „ Fuit „ hic nobiscum Dominus Franciscus Tronus, olim Reipubli„ cæ Provisor cum multis aliis Nobilibus Venetis, qui se ma„ xime devotum ostendit B. Simonis nostri, & pollicitus est „ nobis, se deinceps velle esse prædicatorem nominis ejus, „ & testem hujus rei contra perfidos illos, tum in Se„ natu Veneto, quam aliis locis publice, & privatim, „ quamquam alias huic rei, ut fatetur, contrarius fue„ rit, seque, uti B. Paulum quondam Saulum, primo „ persecutorem, sed modo propugnatorem hujus piæ ac „ sanctissimæ causæ futurum, quem Deus in bono pro„ posito suo confirmet, & feliciter. „ Nec tamen (quamvis tot stimulis ad Beati Pueri venerationem excitata) ab instituto obedientiæ proposito recessit Respublica, a quo numquam se avelli passa est, nisi prius (ut mox enuntiabimus) ex Apostolica authoritate in hujusce Martyrii causa aliquid actum agnovisset.

Ea igitur, qua par erat animi submissione, sanctiones Apostolicas, & Principis decreta venerati sunt Veneti. At Tridentini, quos & præsens Beati Civis corpus, & quæ in dies elucescebant, miracula ad fervorem impellabant, non adeo in pleno obedientiæ officio contineri valuerunt, quin & laudes ejus celebrarent, & sepulchrum, in quo sacræ exuviæ condebantur, votis frequentarent, quod etiam exteris, ut pro devotione agerent, permittebant. Exemplum habemus in Veneto viro; Ambrosius enim Contarenus ex Persica legatione, quam pro patria sua ad Ussuncassanum Persarum Regem anno MCCCCLXXIII. susceperat, in patriam redux, cum die IV. Aprilis anni MCCCCLXXVII. Tridentum devenisset, fama novi Martyris commotus ad ejus sepulchrum opem imploraturus accessit, atque ibidem paschalia sacramenta suscepit. Ita ipse in suo Itinerario, quod Venetis typis vulgatum fuit anno MDXXIV.

„ Adi IV. april da mattina „ che fu il dì del Vener San„ to, che zonsi a Trento, do„ ve intesi il miracolo de lo „ Beato Simone, parseme mio

Die IV. Aprilis (anno MCCCCLXXVII.) mane in die Sancto Parasceves Tridentum adveni, ubi audivi miraculum Beati Simonis, atque

 debi-

„ debito de voler honorar il
„ Sanctissimo corpo il giorno
„ de Pasqua: & far etiam lo
„ debito confessarmi, e co-
„ municarmi. Adi VI. detto
„ che fu il dì della Santa Pas-
„ qua io con la fameglia fes-
„ simo il debito nostro de la
„ Santa Comunion: e per
„ honorar la Santissima Fe-
„ sta stessemo in quello gior-
„ no in ditto luoco de Tren-
„ to.

officii mei esse censui Sanctissimum Corpus in die Paschatis venerari, simulque Ecclesiasticum debitum confessionis, & communionis implere. Die VI. dicti mensis mane, ego & omnis comitatus mei familia Paschalem Communionem percepimus, atque in Sanctissimæ solemnitatis honorem diem illam Tridenti constitimus.

Anno deinde insequenti MCCCCLXXVIII. Sixtus Pontifex, qui criminales processus adversus sontes Judæos Tridenti actos ad Apostolicæ Sedis examen, & judicium evocaverat, eo præsertim intuitu, ut asserti Martyrii veritas *canonice* indagaretur *per Reverendissimos Dominos Cardinales, & alios Prælatos, & Officiales Curiæ ad hoc specialiter deputatos*, & vera series facti *ad omnem suspicionem confictionis submovendam* rite perpenderetur, aliud diploma edidit die xx. Junii, quo *processum* per Prætorem Tridentinum contra Hebræos infanticidas habitum, & *a nonnullis S. R. E. Cardinalibus Archiepiscopis Referendariis, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus in singulis ipsius processus partibus accurate* inspectum, *tamquam rite, & recte factum* approbavit. Jussit nihilominus prudenter agens Pontifex, & laudato *ob studium & diligentiam* Episcopo Tridentino commisit, *ut in hac pia fidelium* erga puerum Martyrem *incboata devotione* non permitteret juxta Innocentii III. Constitutiones *aliquid illicitum attentari*, quod *contra canonicas sanctiones factum fore* deprehenderetur.

Etsi vero in eo Sixti diplomate nihil circa Beati Simonis cultum innovatum fuerit, neque ulla in ipso legatur de ipsius approbatione Martyrii mentio, attamen non multo post aliquid pro ipsius Martyris veneratione a Sixto IV. statutum fuisse arguimus tum ex probatissimis argumentis in laudata Dissertatione allatis pag. 180. & 186. in annotationibus, tum ex iis, quæ Venetiis acta fuerunt in ipsis anni insequentis primordiis; cum enim nonnulli pii viri *ob devotionem, quam* habe-

habebant ad Beatum Simonem de Tridento exoptassent Sodalitium sub ipsius Martyris titulo, & protectione in Ecclesia Sanctæ Mariæ Servorum de Venetiis instituere, Xvirale Consilium, cujus muneris est hujusmodi Confraternitatum facultates elargiri, amplo decreto concessit, ut & Sodalitium erigere, & Sacellum ad Sancti Pueri honorem ædificare possent, quod si in ipsa Servorum Ecclesia locum construendi Sacelli non invenirent, illud in alio Venetæ Urbis loco excitare valerent. Decretum latum die XVI. Januarii anno MCCCCLXXVIII. ad Venetum morem computato æræ scilicet vulgaris anno MCCCCLXXIX. ad plenam veritatis confirmationem exhibemus.

MCCCCLXXVIII. die XIV. *Januarii in Consilio X.*

Quod Aloysio Georgii giojelerio & sociis, qui ob devotionem, quam habent ad Beatum Simonem de Tridento, cupiunt elevare unam scholam ad honorem nominis sui, concedatur, quod possint elevare scholam ipsam sub titulo, & vocabulo præfati Beati Simonis in Ecclesia S. Mariæ Servorum hujus Urbis, & non habentibus locum in ipsa Ecclesia construendi unam Capellam: possint eam elevare in alio loco hujus Urbis habita prius licentia a Capitibus hujus Consilii.

Nec validius, quantum arbitror, argumentum afferri potest, ut comprobetur Sixtum IV. Pontificem Maximum Tridentino puero honorem & titulum Martyrii aliquo modo detulisse, siquidem omnem fidem excederet, quod Veneta Respublica, quæ prompte adeo, & celeriter permissa sua revocaverat, ut Pontificis jussa in ditionis suæ locis implerentur, ipsa deinde nec multo post, Apostolica contempserit mandata inhibitum deferri permittens cultum, & quidem tanto cum majori decoris augmento, quanto concionibus, & appensioni imaginum præstat Sacelli erectio, & Sodalitii institutio.

Fatetur ultro P. Benedictus a Cavalesio in erudita sua dissertatione illud ipsum, quod sponte mea ego profiteor, numquam scilicet inveniri potuisse nullum aut Romanum, aut Venetum diploma, quod decreta Sixti IV. die x. Octo-

bris,

bris, & Senatus Veneti die v. Novembris, quæ cultum Martyris prohibebant, rescinderet, & revocaret. Attamen laudatus Author multa habet argumenta (ut superius diximus) eaque non parvi facienda, ex quibus eruat Bullam Romanam postea prodiisse, quæ necem, & Martyrium Sancti Pueri declararet, & comprobaret, Cultum Beati Simonis ab eodem Sixto IV. indultum fuisse, qui *vovit se Beato Simoni pro liberatione infirmitatis, quam sua Sanctitas patiebatur in uno brachio*, ut constat ex documentis a P. Benedicto allatis pag. 186.

Porro circa ea tempora, in quibus institutum fuit ex publica permissione Venetum Beati Simonis sodalitium, advenerunt opportunæ ad augendam erga Sanctum Puerum populi venerationem reliquiæ aliquæ vestium, quibus demortuum Simonis corpus indutum fuerat. Eas Tridenti Venetis Sanctæ Mariæ Servorum Fratribus dono misit Jacobus Seba Canonicus Tridentinus, ad cujus manus pridem devenerant iis ferme diebus, quibus felix Martyr inter Judæorum manus palmam obtinuit. Id testatur antiqua epigraphe tabernaculo Reliquiarum olim apposita, quæ ex characterum figura videtur ad seculum XV. pertinere. Hæc sunt epigraphes verba.

„ In questo Tabernacolo „ del Beado Simoneto de „ Trento ge xe doi pezi di „ doi soe gonelle lui portava: & etiam un pezzetto „ della soa camexa; & un „ pezeto de una sua scharpa, „ & etiam un suo cavelo „ del dito Beado Simoneto, „ & tutte queste cose se hano habude da Missier Pre „ Jachomo Seba Chanonicho „ de Trento, che lui le avè „ in quel tempo chel dito „ Beado Simoneto da li Judei fu morto, chome mostra la Instoria.

In hoc Tabernaculo Beati Simonis Pueri Tridentini sunt duo frustula duarum tunicarum, quas ipse deferebat, & etiam frustulum ipsius subuculæ, atque frustulum unius ex suis calceamentis, & etiam unus capillus dicti Beati Simonis pueri, hasque omnes res habuimus munere Domini Presb. Jacobi Seba Canonici Tridentini, qui eas obtinuit eo tempore, quo dictus Beatus Simon puer manibus Judæorum occubuit, ut ostendit ejus historia.

Clauduntur autem omnia hæc æneo inaurato tabernaculo, cujus

cujus formam calcographi opera in ære incidi curavi: Opus tabernaculi, quod manifeste antiquitatem ostendit, ad sæculum xv. ex peritorum judicio refertur, quorum aliqui magis accurate basim ipsius tabernaculi considerantes, imaginesque in nobili maltha ibidem in trunco impressas intuentes, ex ipsarum imaginum vestibus in ea opinione firmati sunt, nempe quod sæculo xv. tabernaculum illud elaboratum fuerit. Certum enim compertumque est usque ad Titiani Vecelii ætatem, antiquos Pictores in Tabulis a se descriptis eam vestimentorum formam servasse, quæ, dum ipsi viverent, in vulgari usu erant. Exiguæ itaquæ tabulæ ex divite maltha compactæ, quæ tabernaculum in sex trunci loculis circumornant, licet temporum injuria, & hominum negligentia non parum attritæ, attamen adhuc manifeste passionem infantis & reorum supplicium exhibent.

Harum prima, in qua vix aliquid antiqui operis superest, quid olim significaverit, vix ostendit.

Secunda Tobiam Judæum habet, qui apprehensum Simonem puerum abducit.

Tertia Judæos offert, dum pueri corpus cruciant, & aculeis confodiunt.

In quarta Judæi visuntur, qui corpus occisi Martyris in preterfluentem aquam projiciunt.

Quinta vero tres virorum figuras, & quamdam arcis portam exhibet, qua significari puto Judæos in die Paschatis ad Episcopum Tridentinum properantes, ut ei inventum in aquis pueri corpus denuntient.

In sexta sontes Judæi exprimuntur a satellitibus ad supplicium ducti.

Ex non spernendo tabernaculi hujus artificio confirmatur antiqua Venetorum religio erga Beatum Martyrem, in cujus honorem institutum sodalitium diu perduravit, ut habetur ex autographo documento anni MVD. quo Fr. Gasparinus Boro Veneti Sanctæ Mariæ Servorum Monasterii Prior fatetur Confratres Sodalitii *Beati Simoneti in Ecclesia servorum* assecutos fuisse eas Indulgentias, quas Innocentius Papa VIII. omnibus Ecclesiam ipsam Sanctæ Mariæ Servorum visitantibus, & ad ejus reparationem adjutrices manus porrigentibus Apostolico diplomate concesserat.

Do-

Documentum hoc licet in Venetis Ecclesiis illustratis Tom. II. pag. 33. allatum legatur, attamen utpote ad Cultum Venetorum erga Beatum Simonem apprime spectans, hic quoque exhibere opportunum censeo.

„ Frater Gasparinus Boro Venetus Ordinis Servorum Regularis Observantiæ Sacræ Theologiæ humilis professor, „ Conventusque Sanctæ Mariæ Servorum Venetiarum Prior „ licet indignus. Dilectis nobis in Christo filiis, & fratribus „ Confraternitatis Beati Simoneti in Ecclesia Servorum „ salutem, & pacem in Domino sempiternam. Cum pro instauratione, & reparatione Ecclesiæ, atque Monasterii Sanctæ Mariæ Venetiarum Sanctissimus Dominus D. Innocentius Papa VIII. Ecclesiam ipsam visitantibus, ac manus „ adjutrices porrigentibus concesserit plenariam suorum peccatorum indulgentiam, nec non & confraternitatibus singulis Clericorum, vel laicorum prædictam Ecclesiam collegialiter visitantibus ultra prædictam indulgentiam facultatem eligendi idoneum confessorem secularem, vel regularem cujusvis ordinis, a quo absolvi possint ab omnibus, & „ singulis casibus, præterquam in cœna Domini, reservatis, „ qui continentur in bulla annuntiationis semel duntaxat in „ vita, & in mortis articulo plenariam remissionem. In aliis „ vero toties quoties opus fuerit præmissa satisfactione, concesseritque dictis confraternitatibus in diebus suarum festivitatum septem annos, & totidem quadragenas de vera „ indulgentia. Et quoniam Vos confratres prædictam Ecclesiam S. Mariæ Servorum juxta prædictum tenorem visitastis, ideo fatemur Vos & omnia supradicta assecutos fuisse. In quorum fidem has præsentes fieri fecimus, & sigillo Conventus S. Mariæ Servorum roboravimus. Anno Domini MCCCCLXXXXV. die xxv. Martii. „

Nec me radarguat quisquam, quod nullum nostris hisce temporibus nec erecti Sacelli, nec instituti Sodalitii vestigium superfit; siquidem ea est rerum humanarum vicissitudo, a qua nec ipsæ aliquando sacræ res subtrahi possunt, ut novitatis ratione remotiores res a recentibus excludantur, cumque per singula sæcula Dei disponente Providentia, novi semper superveniant ad Catholicam Ecclesiam illustrandam sanctimonia, & prodigiis illustres viri, populi ad horum venera-

ratio-

rationem accurrentes antiquorum Sanctorum cultum illaudabiliter negligunt, unde ipsorum honor, & memoria sensim minuuntur & pereunt. Gemina hujusce veritatis testimonia in ipso Veneto Sanctæ Mariæ Servorum Templo habemus, in quo olim Sanctus Sebastianus Martyr, & Sancta Apolonia Martyr pariter, & Virgo solemni adeo veneratione celebrantur, ut & aras obtinerent sibi dedicatas, & a piis viris in sodalitia congregatis peculiari devotionis fervore honorarentur. Hoc testatur Xviralis Consilii decretum, quo indultum fuit, ut sub titulo S. Apolloniæ, quæ erat *in maxima devotione habitantium in illis contratis*, erigi posset Sodalitium cum elevatione vexilli. Quo autem loco sacræ horum Martyrum aræ exsurgerent, quove tempore erecta in ipsorum honorem Sodalitia desierint, modo ex ea, quam superius diximus, causa ignoratur.

Nec in Veneta tantum Metropoli, sed & in aliis etiam Venetæ ditionis Urbibus, & locis Beati Simonis cultus sese diffudit, cujus quidem rei testes sunt tres antiquæ Beati Simonis Pueri imagines a laudato Benedicto memoratæ in sua dissertatione pag. 187. Prima earum Brixiæ in sacra Fratrum Carmelitarum æde adhuc visitur, de qua Elias Cauriolus, qui circa B. Simonis tempora floruit, hæc refert lib. 2. Historiæ Brixiensis. „ L'anno poi MCCCCLXXV. i Giudei, „ che stavano in Trento, preso ascostamente un certo putto „ chiamato Simone a vinticinque di Marzo giorno della Passione di nostro Signore l'uccisero. Qual fatto saputosi da „ Giovan Sala Dottore nostro Gentiluomo, allora Podestà „ di Trento, comandò, che fossero con varj, & atroci, ma „ però meritati supplicj morti. L'anno seguente ancora quasi tutto il raccolto del nostro Contado fu rovinato dalla „ Grandine grossa quanto un ovo di gallina. E fu vista l'immagine del Beato Simone Trentino dipinta nella Chiesa „ di S. Maria de Carmini a gettar lagrime dagli occhi. Onde, la Città nostra vi concorreva anco di notte con lumi „ accesi a veder tal miracolo. „ Altera vero Palatii (Palazzuolo) quod est agri Brixiensis oppidum, in pariete cujusdam domunculæ depicta Beatum Simonem exhibet, ad cujus caput antiquis notis scriptum legitur 1488. *die* 17. *Maii* ad pedes vero apposita sunt hæc tria verba *Beatus Simon Martyr*.

Tertia demum Clarii (Chiari) quod est pariter agri Brixiensis oppidum, in Conventu Fratrum Minorum de Observantia olim visebatur, circa quam depicta erant acta passionis Sancti Pueri Simonis, quæ cum ad nostra ferme tempora perdurassent, tandem in restaurando Ecclesiæ labentis ædificio attrita perierunt.

In Vicentina quoque, & Patavina diœcesibus Sancti Infantis veneratio ob præstantiam miraculorum sese diffudit, ex quibus ea, quæ sub sui Episcopatus jurisdictione patrata fuerant, rite examinari decrevit Jacobus Zeno Episcopus Patavinus, ut ipse in suis epistolis fatetur ad Joannem Hinderbachium Præsulem Tridentinum, datis die XXII. Junii anno MCCCCLXXX.

Quum autem ea inter miracula, quæ Patavii acciderunt, sanitas recenseatur intercessione Beati Simonis ægrotanti puero restituta anno MCCCCLXXIX, pater ipsius in religiosum grati animi testimonium Altare ad Innocentis Martyris gloriam in Ecclesia Sanctæ Mariæ Servorum Patavii erigi curavit, in quo Sacræ Beati Pueri Reliquiæ, quas a Joanne Hinderbachio supralaudato Episcopo Tridentino obtinuerat, conditæ decenter asservarentur. Ut autem erectum altare sacris decoraretur ornamentis, & festivis frequentaretur solemniis, unde Venerabilis Infantis cultus augeretur, Prior & Vicarius totius Conventus nomine Quæstorem instituerunt, qui vicinas circumiens civitates, eleemosinas a Christifidelibus ornandi Altaris intuitu peteret, oblatasque colligeret, quæ postea Patavium delatæ ad Dei suique martyris cultum insumerentur. Instrumentum Electionis viri hujusmodi ad coacervandas fidelium oblationes destinati, ideo hic afferendum censeo, ut ex eo cultus Beatissimi pueri non in Metropoli solum, sed in reliqua etiam Venetorum ditione antiquissimus comprobetur.

„ Anno nuper elapso quidam civis Patavus, cum natus ejus
„ gravi opprimeretur infirmitate, emissis precibus ad Domi-
„ num meruit intercessione Beati Symonis a perfidis Judæis
„ in contemptum Religionis Christianæ crudeliter, & severe
„ lacerati, necatique in civitate Tridentina, salutem pristi-
„ namque valetudinem ejus filii ab Omnipotenti Deo beni-
„ gne obtinere, in cujus tamen beneficii, & ut verius lo-

„ quar,

„ quar, gratiæ sibi impartitæ remunerationem compensationem-
„ que animo cogitavit non nihil ad laudem Omnipotentis Dei
„ ejusdemque Beatissimi pueri Simonis martyris propalatio-
„ nem & gloriam efficere: curavit Altare quoddam in Ec-
„ clesia Sanctæ Mariæ Virginis Servorum Paduanæ civitatis
„ construere, & ut devotio in mortalium mentibus firmiter
„ imprimeret, benignitate, & charitate in omnes Christifide-
„ les Reverendissimi in Christo Patris & Domini Domini
„ Joannis Dei gratia Episcopi Tridentini, deprecationibus
„ suis multiplicibus mediantibus, ab eodem Reliquias scilicet
„ linguæ, epatis, pulmonis, sanguinis vestimentorum, & ca-
„ misciæ ejusdem corpusculi Beati Symonis Pueri Martyris
„ Tridentini obtinuit in præsentem Ecclesiam & domum San-
„ ctæ Mariæ Servorum Paduanæ civitatis deponendas, ibique
„ collocandas, ut ex ipsius Reverendissimi Domini Episcopi
„ Tridentini literis datis sub anno Domini 1480. mensis
„ Aprilis clare constitit, quarum quidem Reliquiarum intui-
„ tu major extat, in diesque magis augetur in hac ampla ur-
„ be devotio, quo fit ut altaris illius ornamentis necessariis
„ ad cultum Divinum, & honorem ipsius Beatissimi Martyris
„ maxime providere debeamus, quæ quidem ob paupertatem
„ Conventus & Monasterii prædicti, eleemosinis, largitioni-
„ bus, suffragiisque devotorum fidelium fieri necesse est.
„ Quocirca nos Magister Georgius Prior, & Magister Joan-
„ nes Paulus Vicarius nomine & vice præfati Conventus,
„ & Monasterii Sanctæ Mariæ Servorum cupientes devotio-
„ nem fidelium mortalium in ipsum Beatum Symonem au-
„ geri, & ubique propalari, & ad majus decus divinum, ut
„ tenemur, augendum incumbere cum eleemosinis & suffra-
„ gationibus fidelium Christianorum; harum serie universis,
„ & singulis præsentes nostras inspecturis attestamur, & signi-
„ ficamus, quatenus elegimus, deputavimus, decrevimusque,
„ & per præsentes facimus & constituimus nuntium procura-
„ torem, & publicum prædicti Altaris Beati Symonis Quæ-
„ storem, prudentem virum Joannem qu. ser Petri de plebe
„ Sancti Victoris diœcesis Mediolanensis præsentium ostenso-
„ rem & delatorem ad eleemosinas & suffragia a quibuscum-
„ que fidelibus & devotis Christi, & Beati Symonis porrige-
„ re volentibus flagitandum, petendum, & lucritandum, &

„ tam in territorio Tarvisino Vicentino Veronensi Brixiensi
„ & Bergomensi, quam in quocumque alio loco, civitate &
„ Villa, seu Vico ubivis positis pro construendis ornamentis
„ & rebus cæteris ad Divinum cultum opportunis, rogantes
„ hortantesque singulos Christianos ad quos præsens nuntius
„ & procurator noster applicuerit, velint & dignentur tum
„ intuitu Omnipotentis Dei, ejusque piæ Genetricis Virginis
„ Mariæ tum etiam ob merita Beati Symonis Pueri Marty-
„ ris, suis eleemosinis suffragiisque adjuvare, ut intercessio-
„ ne ejusdem Martyris Christi omnium sacrificiorum, ora-
„ tionum, & devotionum, bonarum denique omnium ope-
„ rationum in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ Servorum cele-
„ brandarum participes esse possint. Insuper facultatem conce-
„ dimus & damus prædicto Joanni substituendi subjungendi ac
„ ordinandi unum duos, ac plures procuratores & quæstores loco
„ sui, præsente tamen firmo manente, quos etiam subrogatos
„ possit deinde, si voluerit, revocare, promittentes, offerentes-
„ que nos omnesque nostros Omnipotentem Deum, ejusque
„ gloriosam Genitricem ac Beatum Symonem, omnesque
„ Sanctos & Sanctas pro omnibus eleemosinas porrigentibus
„ præsenti nuntio, vel ab eo constituendis, continue orare.
„ In quorum omnium & singulorum fidem præsentes nostras
„ fieri jussimus, & nostri soliti sigilli impressione muniri.
„ Datum Paduæ in Conventu Monasterii Sanctæ Mariæ Ser-
„ vorum sub anno Domini MCCCCLXXX. Indictione XIII.
„ Die Mercurii V. Mensis Septembris præsentibus ser Anto-
„ nio qu. Joannis Coquo Conventus prædictorum Fratrum.
„ Sanctæ Mariæ Servorum, & Magistro Dominico Pioncha
„ qu. Marci testibus, habitis vocatis & rogatis, & aliis.

„ Ego Augustinus de Curtino filius qu. Joannis Civis Pa-
„ duæ publicus Imperiali authoritate Notarius literas paten-
„ tes, & omnia in eis contenta jussu & mandato præfatorum
„ Magistrorum Prioris & Vicarii scripsi. Ideo meo nomine,
„ signoque mei tabellionatus solito subscripsi in majus robur
„ præmissorum.

„ Ego Joannes Paulus Vicarius Conventus Sanctæ Mariæ
„ Servorum Paduæ in fidem & robur omnium suprascripto-
„ rum me subscripsi, & sigillo dicti Conventus sigillavi.

Nec multo post *ad* ejusdem *devotionis augmentum*, *& glo-*
riam

riam congregata fuit *ad* idem *devotissimum Altare quædam devota Civium Confraternitas*; *altare* enim illud *in maxima populi devotione habebatur propter varia miracula*, *& Reliquias Beati Symonis ibi existentes*. Quamvis autem in dies augeretur ad Sancti Martyris venerationem populorum frequentia, attamen tenues ad Altaris & Ecclesiæ inopiam suppeditabantur eleemosinæ, ad quas propterea erogandas, ut excitarentur fideles, Joannes de Roma Canonicus Patavinus & pro Cathedrali Capitulo Sede Episcopali vacante Vicarius Generalis omnibus Christifidelibus per civitatem & diœcesim Paduanam commorantibus, qui pia *charitatis subsidia pro dicto Altari* contulissent, *quadraginta dies indulgentiæ de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit*, ut constat ex eo, quod modo vulgatur, documento.

„ Joannes de Roma artium, & decretorum doctor Canonicus Paduanus Reverendi Capituli Ecclesiæ Paduanæ Episcopali Sede vacante Vicarius generalis universis & singulis Christi fidelibus per civitatem & diocesim Paduanam constitutis salutem in domino, & gaudia consequi sempiterna: Particeps mercedis efficitur, qui bonorum operum constituit se largitorem, & ut ait Apostolus, qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cum itaque sicut accepimus erectum sit a paucis annis citra devotissimum altare seu capella in Ecclesia Sanctæ Mariæ Servorum Civitatis Paduæ sub vocabulo beati Symonis de Tridento ad cujus devotionis augmentum & gloriam congregata sit quædam devota civium Confraternitas, quæ modo est unita & conjuncta cum altera Confraternitate prædictæ Sanctæ Mariæ Servorum, & quod altare ipsum in maxima populi devotione habeatur propter varia miracula, & reliquias prædicti beati Symonis ibi existentes, & pro ornamentis, calicibus, paramentis, & aliis necessariis ad cultum divinum, eleemosynis, & suffragiis vestris plurimum indigere noscatur; Universitatem vestram requirimus, & hortamur in domino in remissionem peccatorum vestrorum vobis injungentes, quatenus cum Fratres Bertonus, & Bartholamæus de Plebe Sancti Victoris nuntii pro dicto altari præsentium exhibitores ad vos & vestra loca declinaverint pias eleemo-

„ synas

„ synas petituri, ipsos benigne recipiatis, & charitative tra-
„ ctetis, eisque de bonis vobis a summo Deo collatis grata
„ charitatis subsidia erogetis, ut per hæc & alia bona ope-
„ ra quæ Domino inspirante feceritis ad æterna felicitatis
„ gaudia pervenire valeatis. Vobis autem Ecclesiarum re-
„ ctoribus nostræ jurisdictioni subjectis præcipimus, & man-
„ damus, quatenus in virtute obedientiæ prædictos nuntios in
„ Ecclesiis & parochiis vestris indulgentias suas publicare &
„ eleemosynas petere permittatis, populumque vobis commis-
„ sum quantum in vobis est ad eleemosinas .... faciendum
„ inducatis. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia,
„ ejusque gloriosæ genitricis clementia ac beatorum Aposto-
„ lorum ejus Petri & Pauli precibus & intercessione confisi
„ omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui prædictis nun-
„ tiis manus porrexerint adjutrices quadraginta dies indulgen-
„ tiæ de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino
„ relaxamus. In quorum fidem has litteras fieri jussimus
„ præsenti anno tantum valituras, & nostri sigilli impressio-
„ ne muniri. Datum Paduæ in Episcopali Palatio. Anno
„ Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto die
„ Jovis menses Febuarii Pontificatus Sanctissimi Domini no-
„ stri D. Innocentii divina providentia Papæ octavi anno se-
„ cundo.

„ Jacobus Bono Cancell. Episcop. Paduæ
„ mand. &c.

„ MCCCCLXXXVII. die Mercurii septimo Maii.
„ Confirmatæ fuerunt suprascriptæ litteræ per suprascriptum
„ R. D. Joannem de Roma Vicarium per annum proximum
„ futurum cum omnibus & per omnia ut supra.

„ Idem Jacobus Bono Cancell. de mand. &c.

Sed & Utinensibus etiam nota fuisse comperimus Beati Simonis merita, & ea, quæ ad ipsius sepulcrum deferebantur oblationum vota. Etenim anno 1491. cum Bacius de Palmulis decretorum doctor Vicarius Aquilejensis Sede Patriarchali vacante inhibuisset sub interdicti, & excomunicationis pœna, ne Christi fideles ad Fr. Bonaventuræ Ordinis Servorum nuper defuncti tumulum accederent, neve ipsi viro venerationis officium ullum exhiberent, Urbs Utinensis de severo, quo gravabatur, edicto Sedem Apostolicam appella-

vit.

vit. Inter ea autem, quæ contra Vicarii decretum adduxit, id præcipue ad suæ devotionis defensam attulit, *Sanctam nempe Sedem solitam esse talia admittere de personis exemplaris vitæ quæ in Ecclesiis sepelliuntur, & ut Beati, succedentibus miraculis, publice venerantur, ... Similia facta fuerunt Beato Bernardino ante Canonizationem, Beato Simoni de quo non minus est dubitationis propter infantiam.* Documentum integrum videre est in Ecclesiis Venetis Illustratis Tom. II. pag. 43.

Porro ad inducendam inter Venetorum populos erga infantem Martyrem cultus religionem, haud modicum profuit, quod a Sixto Papa IV. ad inquirendum de occisi pueri martyrio, vulgatisque prodigiis duo delegati fuerunt Venetæ Ditionis Præsules, Angelus nempe Fasolus Feltrensis, & Petrus de Brutis Catharensis Episcopi, qui Tridentum appulsi, post accurate absolutum rerum & testium examen, veritatis seriem rite probatam Pontifici Maximo per epistolam anno MCCCCLXXXI. die XII. Maii detulerunt.

Sed & florentem erga innocentem Martyrem Venetorum venerationem plurimum crevisse reor ex hortatione etiam & exemplo Pauli Mauroceni pii æque ac docti Senatoris, qui cum insita animi pietate *de æternitate temporalique Christi generatione in Judaicæ improbationem perfidiæ* libellum Paulo II. Pontifici Maximo inscriptum pridem vulgasset Patavii anno 1473. postea ad acriorem ejusdem perfidiæ execrationem odiumque gravi Joannis Inderbrachii Episcopi Tridentini impulsus est. Hæc addiscimus ex ipsa Inderbrachii epistola; quæ data legitur die XIII. Septembris anno MCCCCLXXVI. *Allatus est nuper Libellus, sive Tractatus tuus ad Paulum Summum Pontificem inscriptus in quo multa ad comprobandam Fidem Catholicam atque execrandam perfidiam Judaicam ex authoritatibus veteris, & novi Testamenti in unam concordiam te collegisse comperimus ita ut nihil sit, quod illi deesse videatur. Laudavimus & miram in modum extulimus hunc laborem tuum Orthodoxæ Fidei hoc profecto tempore summe necessarium.* Pergit deinde enarrare de martyrio & prodigiis Beati Pueri, rerumque testem profert Michaelem Mediolanensem, Ordinis Minorum de Observantia qui non diu antea Venetiis magno cum auditorum fructu & plausu prædicaverat: *Cujus officio*

ita

ita subdit Hinderbachins, *hæc ipsa nostra exhortatio & admonitio, ac ad Populum & Senatum Venetum exclamatio & correctio magis conveniens erit, quem vestra quoque magnificentia super his (si tibi videbitur) admonitum avvisatumque facere poterit. Et speramus, & credimus, absque aliquo terrore ac formidine, idque pro honore Dei, & exaltatione Fidei nostræ Orthodoxæ, & hujus nostri novelli Martyris, non solum illic Venetiis, sed & Romæ, & ubique terrarum, & locorum non cessabit propalare.* Quanto autem fervoris studio pro Sanctissimi infantis gloria laboraverint tum prædicationis officio tum authoritatis merito piissimi viri, manifeste ex eo potissimum arguitur, quod brevi tempore per Veneti Dominii loca mirum ejusdem martyris cultus incrementum susceperit.

Ex hac porro in Veneti Dominii locis diffusa veneratione factum est, & ut Veneti qui negotiorum, vel itinerum suorum causa Tridentum accederent ad venerandas Beati Martyris sacras exuvias in Ecclesia Sancti Petri quiescentes se se conferrent. Exemplo nobis sit superius laudatus Ambrosius Contarenus, qui (ut diximus) ex Persica Legatione reversus sacrum Beati Simonis corpus veneratus est; id pariter novimus egisse Georgium Contarenum Comitem, & Paulum Pisanum Venetos Senatores, qui cum ad Fridericum III. Romanorum Imperatorem Legati pro Veneta Republica progrederentur anno MCCCCLXXXXII. iter per Tridenti urbem aggressi, ad visendum Beati Simonis corpus die XVIII. Julii accesserunt, ut notat in suo, quod ex eadem Legatione confecit, itinerario mſ. Andreas de Franciscis, qui se Georgii de Federicis Legatorum a secretis coadiutorem appellat.

Illud etiam nec leve argumentum ad comprobandam Venetorum erga Sanctum Martyrem Simonem venerationem sit, quod libros & encomia tum Venetiis tum in Dominii urbibus typis edi annuerint, anno enim MCCCCLXXX. die XIV. Julii Tarvisii Clar. Ludovico Vendrameno Prætore, atque Præfecto pro Serenissimo Venetorum Imperio, Duce inclyto Joanne Mocenico prodiit liber, cui titulus: *Generosi viri Georgii Summaripa Veronensis de Martyrio Beati Simonis Tridentini a perfidis Judæis trucidati e latino Processu in vernaculum sermonem traducto. Ad Amplissimum ac sapientissimum D. Joannem Michaelem P. Venetum S. Marcelli Presbyterum*

Car-

Cardinalem S. Angeli nuncupatum Episcopum Veronensem & Comitem. Anno deinde MCCCCLXXXI. Venetiis typis editus fuit liber cui titulus: *Carmen Joannis Calfurnii Poetæ Clarissimi ad Joannem Hinderbachium Pontificem Tridentinum de laudibus ejus, & de interitu Beati Simonis Innocentis a Judæis mactati*. Quanto autem hominum plausu, quantaque aviditate exceptum fuerit carmen hoc, ex eo arguitur, quod anni curriculo vix transacto iterum vulgatum fuit cum novis additionibus Tridenti studio potissimum & opera Francisci Troni Patritii Veneti, & Ripæ Tridentinæ Prætoris, ut refert Poeta ipse in decursu sui Operis, ubi hæc leguntur carmina:

„ Sed sat erit Sacer Antistes si nostra probabis
„ Franciscusque Tronæ celeberrima gloria gentis
„ Finibus Extremis qui nunc dat jura Tridenti
„ Et mihi Mecœnas omni virtute probandus
„ Quique tuas vero laudes narraverit ore
„ Impulit hæc cartis mandarem &c.

Sed & anno 1483. Idibus Septembris *Erhardus Ratdolt Augustensis solerti vir ingenio Eusebii libros Chronicos ac reliquas in eo volumine de temporibus additiones impressit Venetiis Duce inclito Joanne Mocenico, in quibus de temporibus* additionibus ad annum Christi 1475. hanc inseruit. *Judæi qui Tridenti degebant, furtim quodam puero arrepto, cui Simon nomen fuit, 8. Calend. Aprilis, qui dies passionis Domini fuit, in eo omnia passionis mysteria operati sunt, quo divinitus cognito, Judæi qui id egerant, variis suppliciis crudeliter necati meritas pœnas luerunt: Corpori vero ipsius pueri ob maxima incredibiliaque miracula Basilica erecta est*.

Eo autem ipso anno MCCCCLXXXIII; *die XIII. Augusti per Bernardinum de Benaliis Bergomensem impressum fuit in inclita Venetiarum civitate opus*, cui titulus *Supplementum Chronicarum quod Frater Jacobus Philippus* Forestus agnomine *Bergomensis Ordinis Fratrum eremitarum divi Augustini* perfecerat III. Kalend. Julii eodem anno 1483. ætatis suæ quadragesimo nono; ex quo colligitur ipso tempore passionis Beati Pueri Simonis annum ætatis suæ numerasse quadragesimum primum. In ipso igitur Chronicarum supplemento ad annum 1475. hæc habentur? „ *Simon Beatus* Tridentinus parvulus,

„ quem ob miraculorum frequentiam beatum appellant, hoc
„ anno in Tridentina Civitate a Judeis necatus; martyr Chri-
„ sti effectus est. Judei enim ea in urbe pasca suo more ce-
„ lebraturi cum Chistianum non haberent imolandum, cujus
„ sanguine in azimis uti possent; Puerum hunc hoc modo
„ in Samuelis cujusdam Judei honorati domum furtim de-
„ portaverunt, in cujus collo primum ne vagire posset suda-
„ riolum apponentes nocte illa ante altare eorum Synagogæ
„ extensis in cruce brachiis imposuerunt. Et primo priapu-
„ lum forcicibus; mox genam dextram precidentes; sudibus
„ deinde preacutis hymnos eorum more canentes, usque ad
„ mortem pupugere, quo mortuo statim ejus cadaver in pro-
„ pinquum domus eorum flumen projecerunt: querentes de-
„ inde anxii parentes gnatum parvulum, tandem in fluvio
„ invenerunt, visoque parvulo statim Urbis prætori scelus
„ retulerunt. Erat tunc pretor ea in urbe Johannes de Sa-
„ lis Brixiensis legum doctor. At ipse sua usus prudentia,
„ omnes statim Judeos comprehensos equuleo imposuit, qui
„ tormentis astricti eo ordine crimen confessi sunt: Quo co-
„ gnito ingenti zelo fidei succenus, omnes Judeos aut ceci-
„ dit, aut urbe exterminavit. Simon vero collectus postmo-
„ dum multis miraculis clarus effulsit adeo ut tantus ad eam
„ urbem ex omni christiano orbe populorum concursus ad
„ sancti hujus parvuli sepulchrum miraculaque visendo est
„ factus, ut etiam urbs cum miraculis opibus multis sit au-
„ cta: & hoc non sine Judeorum infamia & confusione di-
„ ctum sit.

Quum vero idem supplementi Chronicarum opus ab actore suo ætatis annum agente quadragesimum secundum *denuo castigatum atque auctum* fuisset *in civitate Bergomi anno a Natali Christiano* 1486, Venetis iterum typis *impressum* prodiit *per Magistrum Bernardinum* Rizium de Novaria anno a Nativitate Domini MCCCCXCII. die XV. Februarii, in qua quidem editione hæc addita leguntur pag. 249: *Corpori vero ipsius pueri Tridentini cives Basilicam* (magnificum nempe Sacellum) *pulchram erexere. Consimile etiam scelus apud Motam oppidum quod est in finibus agri Forijulii post quinquennium Judæi peregerunt. Nam etiam alium puerum simili modo mactaverunt,*

runt, pro quo & eorum Venetiis captivi missi fuerunt, & atroci supplicio concremati sunt. Porro hæc citata verba, quæ in prima editione desiderantur, iterum pariter expressa leguntur in tertia *supplementi Chronicarum* editione, quam Venetiis *Albertinus de Lissona Vercellensis* vulgavit die 4. Maii anno a Nativ. Christi 1563. quum prius ipsum opus eodem anno IX. Kalend. Aprilis per supralaudatum authorem suum *in Conventu S. Augustini Bergomi castigatius repercussum* fuisset anno ætatis suæ sexagesimo nono.

Chronicarum supplementum Venetiis secundo editum anno 1486. ad Idioma Italicum ex Latino Florentiæ transtulit Franciscus C. anno 1488, ipsumque suo prælo in lucem detulit anno 1491. superius citatus Bernardinus Rizius Novariensis. In ea traductione Judaicum scelus ita exponitur: „ Simone Beato fanciullino anchora piccolo nato nella Città di „ Trento fu morto questo anno nella prefata Città da „ Giudei: gli quali havendo a celebrare secondo il loro co- „ stume la pasqua, presono questo fanciullo, & occultamen- „ te el portorono in una degna casa de un loro Hebreo chia- „ mato Samuello, & perchè el non fusse sentito cridare gli „ messono uno pannicello ala bocha, in tal modo chel non „ fosse sentito, & la nocte seguente che era el venere di sancto „ spogliandolo nudo lo messono in croce nella loro sinagoga: „ & primamente con un paro di forfice gli tagliorono el te- „ nerino anchora membro virile, dapoi la guanzia overo go- „ ta destra del viso, & con accutissimi chiodi cantando loro „ hymni lo ferirono tanto che mori, & come fu morto git- „ torono quel corpicello in uno fiume appresso a quella ca- „ sa dove lo havevano martorizato, & con quel sangue fe- „ cero la loro pasqua: in quel mezo il padre & la madre „ di quel fanciulletto affanati cercando del loro figliuolino „ dopo tre giorni, come piacque al omnipotente Idio, tro- „ vorono el suo corpicello tutto quanto forato, & anchora „ morto sotto uno certo ponte de quel fiume appresso a quel- „ la casa nella quale fu afflicto & morto, & dapoi trovato „ che lo hebbero con grandissimi pianti, lagrime & cridi lo „ portorono al offitiale de quella Città, el quale era in quel „ tempo Missier Joanne de li Sali di Brescia Doctore cele-

n 2 „ ber-

„ berrimo & degno in legge, el quale subitamente con la
„ summa prudenzia mando per tutti quanti gli Giudei che
„ habitavano in la prefata Città de Trento, & ad uno ad
„ uno gli fece tormentare in modo tale, che per ordine
„ gli narrorono tutto quanto el caso, & lui acceso de zelo
„ de la sancta Fede Christiana, & ancora per observare la
„ justitia, tutti gli fece con varii tormenti e supplicii mori-
„ re, & similmente ogni loro substantia fece mettere a sa-
„ cho. Quello corpicello martirizato essendo stato dapoi por-
„ tato in Chiesia, fece molti miracoli in modo tale che ad
„ questa Città per vederlo andarono molti & infiniti popu-
„ li. Gli cittadini di Trento fecero edificare in suo honore
„ & reverentia una belissima chiesia, & Papa Sixto in quel
„ tempo per certificarsi della perfidia e malignità di quegli
„ peximi Hebrei, & degli miracoli grandi che faceva quel
„ corpo vi mandò il Vescovo di Ventimiglia, & trovo che
„ secondo la fama che era sparsa era il vero. „ *Un altro caso simile al predicto fu facto da Giudei in uno luogo chiamato Modatia confine del Territorio di Forli passati cinque anni, per la qual cosa ne furono menati pregioni tre de quegli a Venetia e con varii tormenti & supplitii furono morti.* In hac quidem translatione nullus profecto ambiget *Motatia confine del Territorio di Forli* ex errore irrepsisse, cum melius translatum videretur *Mota confine del Territorio di Friuli*, at æquivocatio in enuntiatione loci haud valde cogniti facile remittenda est viro ab ipso patrati sceleris loco plurimum distante, qui agrum Forijulii pro Forilivii legens civitatem posuit pro Provincia. Verum in agri assignatione & Forestus ipse emendandus est, neque enim in Mota oppido, sed in portu Buffoletto ejusdem Provinciæ Forijulii moderati ambitus & nominis oppido Sebastianus Novellus puer in Bergomensi districtu ortus a perfidis Judæis trucidatus occubuit, ut plurimi tum synchroni tum suppares scriptores testantur, quos nominatim enuntiat superius laudatus Benedictus de Cavalesio in citato Apologiæ opere. Eos tamen inter recensendus cum peculiari laude est Georgius Summaripa Veronensis, qui Italico rythmico poemate *Martyrium Sebastiani Novelli trucidati a perfidis Judæis* concinnavit, atque Antonio Donato Equiti aurato

rato Prætori, Philippo Throno Præfecto, & Francisco Aurio Quæstori pro Venetorum Dominio in civitate Veronensi inscripsit, quod deinde ipso peractæ cædis *anno MCCCCLXXX. die XII Maii Tervisii impressum fuit diligentia Bernardini Celerii de Luere*. Sed & enarrationem *sententiæ latæ a Venetorum Dominio in infidos Hebræos patratores atque participes Martyrii Beati Sebastiani Novelli in Porto Buffoleto Trivisano* (oppidum enim inter agros Tarvisinum & Forojuliensem jacet, unde ab aliis Tervisano, ab aliis vero Forojuliensi districtui adjudicatur) *trucidati* in altera Poematis parte laudatus Summaripa descripsit, atque Jacobo Zeno Patavino Episcopo misit *ex civitate Tarvisii apud fluvium Sylerem*, ubi ipsa enarratio mense Septembris ejusdem anni impressa fuit.

Omne tandem de patrati sceleris veritate dubium, (si quid esset) amollitur extremi supplicii Venetiis executa sententia, qua P. C. præhabito culparum accurato examine tres ex nefariis innocentis pueri occisoribus (cæteris fuga lapsis) flammis publice concremandos devoverunt. Sententiæ ipsius tenorem ex antiquis actuum codicibus depromptam, atque ab erudit. Patritio Petro Gradenico Jacobi filio nobis exhibitam proferimus.

MCCCCLXXX. die IV. Julii.

„ Servadeus habitator in Portubuffaleto
„ Moyses filius David de Tarvisio fœnerator in dicto loco
„ Jacob qu. Simonis de Colonia Alemanus
„ Lazarus frater supradicti Moysis.
„ Cervus Theutonicus cognatus supradictorum Moysis & Lazari:
„ Omnes impiissimi & perfidissimi Judæi inimicissimi Orthodo-
„ xæ Fidei Christianæ contra quos partim confessos eorum
„ culpam, & partim naturaliter obstinatos processum fuit,
„ & est: quia dum de anno presenti certo tempore ante fe-
„ stum pascale Judæorum, predicti Servadeus & Moyses, qui
„ in eorum futuro pascate juxta ritum & consuetudinem
„ suam affectantes habere sanguinem pueri Christiani pro eo-
„ rum infrascripto impiissimo sacrificio peragendo habito col-
„ loquio in Portubuffaleto cum suprascripto Jacob de Colo-

„ nia,

„ nia, & etiam Jacobo Barbato Hebreo infrascripto rogassent
„ ambos ipsos Jacob, ut providerent aliquo pacto ad eos con-
„ ducendum pro dicto eorum pascate futuro aliquem puerum
„ Christianum, sicque acceptantibus ambobus ipsis Judeis
„ hujuscemodi horribilem provinciam, dum postea appropin-
„ quante pascate in ebdomada sancta proxima prædictus Ja-
„ cob de Colonia qui ex castro Plebis Sacci ad civitatem
„ Tarvisii declinaverat studio & dedita opera tota die per-
„ quisivisset per civitatem ipsam pro inveniendo puerum ali-
„ quem Christianum ad talem miserrimam immolationem
„ aptum; tandem perveniens in foro vidit puerum infortu-
„ natum calamitosum pulcræ tamen indolis ætatis annorum
„ sex in septem bene nutritum & rubicundum in facie ca-
„ pillis flavis & oblongis lacerata veste inductum grisi albi
„ usque ad genua. Sitibundus Judeus sanguinem illi adherens
„ ait . . . . postea a mulieribus illis poma, & mal-
„ luerit sibi dare . . veni mecum tibi dabo & panem & vi-
„ num ad comedendum. Hoc dicto statim poma emit uno
„ soldo seque posuit in itinere domum versus Michaelis
„ filii Fricel Hebrei ibidem Tarvisii habitantis, ubi aderat
„ alter Jacob ille Barbatus suprascriptus, qui Veronam per
„ diem ante alterum Jacob Tarvisii applicuerat puero infeli-
„ cissimo subsequente, jussitque prope illam domum puerum
„ ad quemdam angulum expectare. Vocato altero Jacob Bar-
„ bato suprascripto se in itinere posuerunt versus Portum
„ Buffoletum per partem qua itur Coneglanum versus, ju-
„ bente Jacob ipso de Colonia puero, ut eos a longe seque-
„ retur, & hoc ne aliquis se perpenderet in Tervisio, sicque
„ itinerantibus omnibus tribus superventa nocte secrete supra
„ quadam tegete summaque mane surrexerunt, circaque meri-
„ diem ad pontem plavis pervenerunt. Jacob Barbatus declina-
„ vit domum Moysis alter vero Jacob cum puero intravit domum
„ Servadei suprascripti, & ingressus primo fuit in stufa ubi inve-
„ nit Servadeum cum pueris suis ac suo magistro facientes fugaci-
„ nas suas azimas, cui Servadeo ipse Jacob dixit quemadmodum
„ ducerent puerum, qui respondens quod bene fecerat, jussit
„ ut conducerent puerum in coquina, sicque ex illa coqui-
„ na conduxit in quadam alia camereta secreta, ubi ipse
„ Ja-

„ Jacob continue stetit ad gubernationem pueri cum quo
„ edebat, & dormiebat in sero usque diei Jovis Sancti pro-
„ ximi, & interim Judæi ipsi in eorum sinagoga in domo
„ suprascripti Moysis tractaverunt, & invicem consultarunt
„ de futura tractatione pueri, tandem concluserunt quod in
„ predicta nocte Jovis Sancti ipsum pauperculum perimerent,
„ sicque in dicta nocte omnes prædicti Judæi, ac Franzonus
„ infrascriptus exequtioni diabolicam eorum sententiam contra
„ dictum innocentissimum agnum reducti in domo Servadei in
„ conquina prædicta, ubi clauso ostio dimissoque ad custo-
„ diam Donato olim Hebreo, nunc facto Christiano post ca-
„ sum sententiæ nuncupato Sebastiano famulo dicti Servadei
„ ad explorandum & invigilandum ne quis Christianus veni-
„ ret ad subauscultandum, introducto puero ex loco custo-
„ diæ in dicta coquina, & primo ne turbaretur tot Judæorum
„ aspectu blanditi sunt datis sibi pomis & fugacinis, mox inadver-
„ tente puero injecto sibi faciolo ad faciem obturarunt pariter &
„ oculos & os ne posset exclamare, & tamen illo actu bis
„ seu ter rauce lamentabiles emisit voces oyme, oyme, adeo
„ quod a vicinis aliquibus fuit exauditus, & subito enuda-
„ tum vestimentis extensum super quodam scanno posuerunt,
„ ubi Barbatus suprascriptus primus cum uno puntarolo il-
„ lum ad viam cordis inter costas summisso transfixit, &
„ accepto gladio apto ad hoc maleficium illum crudelissime
„ jugulavit, cujus sanguinem vino commixtum ex vulnere
„ exeuntem recollegerunt in quodam bacillo, quo facto cir-
„ cumstantes ipsi Judæi cum gladiis & puntarolis totum ipsum
„ corpus transfixerunt sanguinemque ex punctionibus exeun-
„ tem in dicto bacillo recolligentes, ex quibus puer ipse ta-
„ liter per manum ipsorum impiissimorum Judeorum misera-
„ biliter mortuus fuit, quibus peractis sanguinem inter se se
„ diviserunt; ex cujus parte postea fugacinas azimas confe-
„ cerunt ad eorum pessimum & detestandum usum, quas in
„ eorum pascate cum familiis comederunt comittendo pro-
„ pterea impiissimum hoc delictum.
„ S. Franciscus de Priolis
„ S. Benedictus Trevisanus
„ S. Antonius Victurius Eques ad presens, &

„ S.

„ S. Thomas Trivisanus olim & in hoc Advocat. in Concilio
„ Rogatorum
„ Volunt quod Servadeus, Jacob de Colonia, & Moyses in
„ die crastina post nonam ponantur hora solita super tribus
„ palis in una plata cum qua conducantur a Sancto Marco
„ usque ad Sanctam Crucem eundo per canale majus cum
„ precone continue ante illos proclamante culpam ipsorum,
„ & deinde per terram a Sancta Cruce ad Sanctum Marcum
„ super tribus solariis, & conducantur in medio duarum co-
„ lumnarum ubi super tribus palis alligati quilibet catena
„ longa per passum constituantur, & vivi in supposito igne
„ comburantur sic quod corpora eorum in cinerem conver-
„ tantur.

„ Et volunt etiam quod Lazarus & Cervus stent annis duo-
„ bus in carcere forti, & postea perpetuo banicti a Venetiis
„ & districtu & etiam omnibus terris & locis Dominii no-
„ stri tam a parte terræ quam maris, & si quo tempore con-
„ trafecerint, & capti fuerint finiant vitam suam in carcere
„ forti.

Lata Patrum suffragiis sententia insequtioni postea die universis civibus per urbem spectantibus exequtioni demandata fuit.

Neque unicum hoc tantummodo in Venetæ Reipublicæ Dominio a Judæis patratum infanticidium novimus, siquidem quinquennio a cæde Sebastiani pueri, (qui passionem expleverat die XXX. Martii anno MCCCCLXXX.) vix elapso, apud Marosticam Vicentini agri non ignobile oppidum Laurentius puer crudele martyrium die V. Aprilis anno MCCCCLXXXV. in Christi Nazareni odium a Judæis illatum consumavit; cujus sacrum corpus in ejusdem oppidi Ecclesia Divo Sebastiano sacra immemorabili religione colitur. Eapropter Hebraica natio (ut refert in Histor. Ecclesiast. Vicentina Franciscus Barbaranus lib. II. cap. LXXII.) perpetuo a civitate & territorio Vicentinis exilio expulsa fuit. Anteriori quidem decreto, ut Judæi a Vicentinis finibus ejicerentur anno MCCCCLIII. die XXI. Augusti statutum fuerat, verum cum, nescio qua de caussa, decretum hoc in irritum decidisset, nova postmodum lege post Laurentii, (quem te-

nerae

neræ ætatis respectus Laurentinum vulgus appellat,) necem Judæi ab incolendis Vicentinæ ditionis terminis anno MCCCCLXXXVI. die XXI. Aprilis prohibiti fuerunt: Id cum Antonii Bembi Jurisconsulti & Vicentiæ Prætoris curæ & merito potissimum tribuerent Vicentiæ, beneficii memoriam lapidea epigraphe, quam retulit in sua Vicentina Eccl. Hist. superius laudatus Barbaranus perrenari mandarunt.

Id jucundum accidit universis Civium ordinibus; majori tamen præ cæteris Petrus Brutis Episcopus Catharensis Vicentiæ tunc temporis Joannis Baptistæ Cardinalis Zeni Episcopi Vicentini Locumtenens, affectus gaudio fuit, qui cum insita animi justitia & religione Judæorum perfidiam coram & scriptis execraretur, adversus eos anno MCCCCLXXVII. doctissimum ediderat tractatum, ipsorumque duras cervices per triennale publicatum disputationum certamen continuata victoria confregerat. Majori autem in eos exarserat odio, ex quo Tridenti de Sancti Simonis martyrio inquirens nefandum Judæorum scelus ex diligenti testium examine ad certam lucem adduxerat; unde & alia contra eos edidit probatissima opera, quæ Vicentinis deinde typis in diem prodierunt anno MCCCCLXXXVIII. Quum itaque Judæorum e Vicentino districtu statutam expulsionem accepisset, Vicentinis civibus, quos in spiritualibus laudatissime regebat, in publica concione gratulatus est, ipsosque ut gauderent, & vehementer lætarentur hortatus est, quorum civitati *jam dies illa illuxerat, qua undique se nitidam ab omni Judæorum labe, atque putredine* intuebatur. *Quibus expulsis*, sequitur deinde, *ex Vicentinorum laribus, evenit dictu mirabile quoddam, quod & in præsentiarum neminem fugit, nam Civitas ipsa miserabili modo afflicta ab ictu ejus pestifero, libera continuo atque incolumis evasit. Voluit Deus ipse Vicentinis meis ostendere sibi ratum fuisse, quos & ipse expulit cæteri propulsarent.* Cumque deinde in orationis progressu multas & graves expulsionis hujusmodi caussas exposuisset, illam fuisse præcipuam asseruit, quod Hebrei *evisceratis corporibus liberorum nostrorum sanguinem sitiunt*.

Porro ex iis quæ probatissimi scriptores sceleribus ipsis aut synchroni aut suppares de patratis infanticidiis exararunt, liceat quasi obiter deducere Judaicum odium haud infrequenter in Christianos pueros desævisse, cujus non unum argu-

O men-

mentum in Venetæ ditionis locis impie peractum probavimus. Nec minus horrendum Judaicæ perfidiæ exemplum affert Clarifs. Senator Ludovicus Fuscarenus in epistola, quam ad Antonium Gradonicum dedit; quum enim pro eximio, quo prestabat, Christianæ religionis zelo Hebraicæ nationi *perpetuum bellum* ob ipsius nefanda scelera indixisset, Gradonicum ipsum, virum illustrem, æque ac probum, qui per ea tempora *Auditoris Novi Sententiarum ac Syndici a parte Levantis* (sic Veneti vocabant Magistratum, cujus cura erat sententias civiles urbis, ac patrata in ditione Veneta Orientali crimina ad Judices superiores deferre,) munus in Republica agebat, gravi ferventique sermone per litteras laudavit, quia Cretensium Hebræorum, qui agnos in Christi Domini ludibrium crucifixerant, locumque sacrum impia abominatione polluerant, inultum scelus ad Judices Capitales ex officii sui authoritate deduxerat. *Ex delictis quæ tu studiosissime* (hæc sunt Fuscareni verba) *contra Hebreorum perniciosissimam crudelitatem inquisivisti, unum de sacrilega immolatione ita universis patefacere decrevi, quod nemo postbac sit tam amens, qui dubitet, vel improbus, qui neget nequissimos Judæos, agnos temporibus nostris passim crucifigere . . . . . Christianos miro semper odio persecuntur, horum sevitiem non illusio, non injuriæ, non flagella, non verbera, non domini mors, non Martyrum tormenta exsatiant, temporum diuturnitates, & miracula non divertunt, sed e contrario ad hauriendum sanguinem nostrum laniandaque viscera fiunt ardentiores, & nulla calamitatum nostrarum miseranda voragine expleri queunt. In Ponto, veluti novisti, servum a pyratis emptum sacratissima baptismatis aqua lotum crucifixerunt . . . . Sed quid ego deploro ea, quæ in solitudine acta sunt; Nonne auctor testis spectator, & adiutor fuisti nobis aperientibus oculos eorum quibus in eadem Insula* (Creta) *in foro maxima cæcitas allata est. Nulla consuetudine, nulla lege, nullo jure, nullo exemplo, Domus Christianorum Judæis vendita fuit, cui sacer locus inerat: abrasæ turpiter, deletæ Sanctorum imagines, signato ore, effossis oculis, venerandumque templum immunditer dedicatum est. Non passus Deus Omnipotens tam crudele nephas celari lucem cereos plurimos ibi fulgere voluit. Hoc vidit universus populus, sacrilegium cognitum, nec vendicatum est: Hac patientiæ facilitate furor & sceleris audacia effrenatum Judæorum animum importunamque naturam ad tantam deduxit insaniam,*

niam, quod ipsi turpissimas servas super altari parere coegerunt, ubi panis in Christum sacris Sacerdotis verbis convertebatur. Pergit deinde pius Senator invehi in atrocissima Judæorum facinora, quæ tum in Cretensi Insula, tum in Marostica Vicentini (ut diximus) districtus oppido, & alibi patraverant, ut videre est in ipsa epistola, quæ ex integro vulgata legitur in Creta Sacra Tom. II. pag. 384. Quum igitur & insita animi pietate, & Fuscareni hortatione roboratus acrius in Judæorum crimina animadverteret Gradonicus, ipsorum insidiis circumventus, & iniquorum calumniis ad Senatum delatus, a collato sibi officio depositus fuit; verum Dei miseratione sic disponente detectis dolis compertaque ipsius innocentia ad pristinas dignitates evocantibus Patrum suffragiis & bonorum plausu revocatur. Rei testimonium perhibet Matthæus Bossus Canonicus Regularis Lateranensis, vir doctrina & sanctimonia illustris, qui in epistola ad Gradonicum data (vulgata legitur Tom. I. epistol. num. XXVII.) ipsi *in Christo* gratulatur *de dignitate* omni restituta. *Nullas unquam* (ita Bossus) *Antoni, ad te libentius dedi, quam modo istas, quibus tibi in Christo congratulor, mihique gaudeo de dignitate omni, & laude restituta, quæ adempta tibi fuerat eorum pravitate, qui corrupti & alienati Judæorum pecunia infensum Senatui fecerant. Ita mihi semper persuadebam, & pollicebar futurum tempus, quo egregia tua virtus, & magna fides agnoscenda erigendaque foret, & quanto magis adversabantur tibi tempora hominumque nequitia, plus ego Deo fidebam, & ex tua constantia me ita solabar, ut non detrimentum indignitatemque te, mi Antoni, tam subiisse, quam fructum & laudem acquisisse mihi viderere ..... Vive victor, & Deo pange laudes hymnisque sacrifica, qui a te semper invocatus, semperque laudatus dedit malis his finem, & sancti Senatus oculos ad veritatem aperuit, & primam tuam omnem dignitatem, & laudem tibi restituit; quæ res mihi plane tantæ letitiæ atque solatio est, ut non possim (fateor quidem) id satis litteris explicare, ita me Christiani nominis zelus, & odium contra maleficorum Judæorum incendit. Spero ad paucos forsitan dies me faciet Dominus Jesus tuis amplexibus dignum, quod ut ita sit opto, oroque. Interim vele paticiorum sanctissime ac pro me ora.*

Nec unicam tantum de Judæorum sceleribus epistolam scripsit illustris Fuscarenus, quum enim non multis a Cretensi crimine elapsis annis publico decreto Judæis permissum es-

 set

ſet ut medicam artem in ægros etiam Chriſtianos exercerent, Ludovicus, qui fortaſſe tunc temporis publicis muniis præpeditus Venetiis aberat, prolixam epiſtolam Franciſco Triviſano Monacho Carthuſienſi miſit, eum vehementius rogans ut omni conatu apud Ducem & Senatum, apud quos plurimum pietatis & prudentiæ laude valebat, id ageret, ut juratis Chriſtiani nominis hoſtibus conceſſa pridem medendi facultas adimeretur; Judaica enim perfidia non minori rabie in viros quam in pueros Chriſti fideles ſe ſe ferebat, cujus illud enorme eſt argumentum, quod Rabi Moyſes Medicus dum animam ageret apud ſuos Judæos gloriabatur *quod venenis mille quingentos Chriſtianos arte ſua confiſos peremiſſet*, utque *idem facerent*, hortabatur. Porro pium hoc bellum, quod Judæis perpetuum indixerat Fuſcarenus, ex eo etiam argumento probatur, quod ipſo Feltrenſem civitatem pro Veneto Dominio munere adminiſtrante, Feltrinæ ex nobili Tomitanorum familia natus eſt Beatus Bernardinus, qui evangelicæ prædicationis & prodigiorum luce fulgens, Judæorum gentes acriter adeo perſecutus eſt, ut plurimis ex locis eos expelli ſtuduerit, & ad eorum coercendas uſuras ſanctos Pietatis montes in oppidis & civitatibus ubi verbum dei diſſeminaverat, ad pauperum ſubſidia curaverit.

Cum autem hæc omnia a piiſſimo Senatore ſcripta, ad comprobationem Veneti cultus erga Martyrem Tridentinum (præcipua ſcilicet hujuſce opuſculi ratio & finis) minus pertinere videantur, eo quia ipſius Martyris paſſionem ætate præceſſerunt, tamen haud parvi cenſeo fore momenti, ut iis quoque innata Judaicis animis Chriſtiani ſanguinis fundendi ſitis rabieſque comprobetur, indeque falſitatis apertæ evincatur Heretici ſcriptoris aſſertio, qui nullum jactat a Judæis patratum unquam fuiſſe infanticidium. Reliquum modo eſt, ut & aliud, quo Venetorum cultus erga puerum Tridentinum Martyrem comprobatur, documentum afferamus, editionem ſcilicet *Miſſalis ſecundum morem Romanæ Curiæ* Venetiis anno 1487. excuſi, in cujus Kalendario ad diem XXX. Martii ita legitur: *Paſſio Beati Simonis de Tridento*. Ipſum autem *Miſſale ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ* Venetiis iterum editum fuit anno 1494. appoſita ad V. Kalend. Aprilis hac nota *Paſſio Beati Symonis pueri de Tridento MCCCCLXXV*.

Quod

Quod autem & Venetiis aliquid actum sit ad inquirendam Tridentini infanticidii veritatem, argui potest ex oratione Hieronymi Campagnolæ Patavini ad inclytum Rogatorum Senatum in Hæbreos, quæ Veronæ in Bibliotheca Saibante mſ. asservatur. Hujus fragmentum affert sæpelaudatus P. Benedictus in sua Dissertatione pag. 188. „ Audaciores facti „ (pecuniarum suarum spe) hoc tempore Censoris offitium „ implorant, Vigintimillianum Episcopum se corrupturos „ arbitrantes, & divo Simoni voventium regionum concur-„ sum Urbis Tridentinæ Præsuli, & Joanni Saliensi Præ-„ tori justissimo, & demum Sixto Pontifici Maximo, qui „ Cardinalibus quinque referentibus, Præsulis & Prætoris „ acta comprobavit bonorum virorum famam eripere, qui-„ bus nisi in flagranti crimine comprehenderetur, salvi fo-„ rent .... Nunc vero cum Romæ, & in Venetiarum in-„ clyta Urbe, ad quas veluti reliqui Orbis reginas confluunt „ nationes, se convictos videant, rabie contaminati canes „ insaniunt, anhelant, complorantque hujusmodi scelus, & „ omnium malorum terribile portentum in ultimas usque „ terras diffamandum &c. „ Hæc autem (arguit prælaudatus Dissertationis auctor) coram P. C. nequaquam ausus fuisset proferre Hieronymus Campagnola, nisi post manifestatam rerum veritatem Senatus ipse postrema suæ voluntatis decreta revocasset.

Hæc autem Veneta ad Sanctum Simonem Tridentinum Martyrem spectantia documenta ideo in publicum afferre optimum censui, ut antiqua populorum, quæ olim vigebat devotio, aliquantulum nostris temporibus, Deo permittente, reviviſceret, neque tamen aliquid vel simultatis, vel odii erga Judaicum genus Christifideles contraherent, siquidem pium est credere, & ipsum Simonem in beata æternitatis quiete non sui sanguinis vindictam, sed obcæcato potius populo Fidei lucem implorare, iisdem ferme sensibus, quibus post Christi Crucifixi Redemptoris exemplum Stephanus inter saxorum turbines, & Jacobus Major sub fullonis fuste, id enixe pro sævientibus in se Judæis exorarunt, ex quorum manibus temporalem mortem, *quæ ad æternam vitam* adduceret, excipiebat.

F I N I S.

I N-

INDEX
VIRORUM ILLUSTRIUM
ET
RERUM NOTABILIUM.

A

B

Ber-

Cul-

Eccle-

G

H

I

Phi-

TABULÆ DISPONANTUR.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio: Paolo Zapparella* Inquisitor General del Santo Officio di *Venezia*, nel Libro intitolato *Opuscula quattuor, quibus illustrantur Gesta B. Francisci Querini Patriarchæ Gradensis, Joannis de Benedictis Episcopi Tarvisini, Francisci Foscari Ducis Venetiarum, Andreæ Donati Equitis. Accedit Opusculum Quintum de Cultu B. Simonis pueri Tridentini Mart. apud Venetos Auctore Flaminio Cornelio Senatore Veneto Ms.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Marco Carnioni* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Agosto 1756.


(Barbon Morosini Cav. Proc. Reff.
(Alvise Mocenigo 4°. Cav. Proc. Reff.

Registrato in Libro a Carte 47. al Num. 477.

Giacomo Zuccato Segr.

Adì 1. Settembre 1756. Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segr.


1


2


3




4


5


6





